THEOLOGIA

DOGMATICO-POLEMICA

THEOLOGIA
DOGMATICO-POLEMICA

QUA

ADVERSUS VETERES NOVASQUE HAERESES

EX

SCRIPTURIS, PATRIBUS, ATQUE ECCLESIASTICA HISTORIA

CATHOLICA VERITAS

PROPUGNATUR.

RECENSUIT

P. CAROLUS SARDAGNA

SOCIETATIS JESU PRESBYTER

IN EPISCOPI LYCEO AD D. PAULI RATISBONÆ

THEOL. DOGMATICO-POLEMICÆ PROF. ORD.

ET EXAM. SYNODALIS.

TOMUS II.

COMPLECTENS

TRACTATUM II. DE VERA RELIGIONE ET VERBO DEI.

ET TRACTATUS III. DE ECCLESIA

PARTEM PRIOREM.

ROMAE 1819.

APUD PIUM CIPICCHIA

Superiorum permissu.

INDEX CONTROVERSIARUM

QUÆ IN TRACTATU II. DE VERA RELIGIONE AC VERBO DEI CONTINENTUR.

ARTICULUS I.

DE VERA RELIGIONE

CONTROVERSIA I.

AN DETUR VERA RELIGIO, EAQUE REVELATA? Num. I.

CONTROVERSIA II.

AN RELIGIO REVELATA, EXTRA QUAM SALUS AETERNA OBTINERI NEQUIT, SIT UNICA. XXIV.

CONTROVERSIA VI.

AN IN QUALIBET RELIGIONE CHRISTIANA OBTINERI POSSIT AETERNA SALUS? LXXXVI.

Conclusio. Falsum est, aeternam salutem posse obtineri in qualibet Religione Christiana: adeoque extra Ecclesiam Catholicam nemo salvari potest. LXXXVIII.

ARTICULUS II.

DE VERBO DEI SCRIPTO

CONTROVERSIA I.

AN DETUR SACRA SCRIPTURA, A DEO INSPIRATA? CIX.

Conclusio I. Dantur Scripturae sacrae tam Veteris, quam Novi Testamenti, quae proprie sunt Verbum Dei. CXIII.

Conclusio II. Deus saltem res et sententias in Libris sacris expressas Scriptoribus sacris inspiravit. CXVIII.

Quaesitum I. Quotuplex sit divinae Scripturae sensus? CXX.

II. Quaenam assignari possint regulae pro discernendo genuino Scripturarum divinarum sensu? CXXIII.

III. Quot linguis fuerint Scripturarum Libri conscripti? CXXIV.

Quaesitum I. Cur Scriptura saepe sit obscura, et intellectu difficilis? CXCIV.

II. Cur Deus Scripturas saepe obscuras esse voluerit? CXCV.

CONTROVERSIA V.

AN SOLA SCRIPTURA DIVINA SIT REGULA FIDEI ADAEQUATA ET SUFFICIENS? CCIII.

Conclusio. Quamvis Scriptura sacra est vera et infallibilis regula externa credendorum; sola tamen non est regula adaequata et sufficiens. CCV.

CONTROVERSIA VI.

AN SOLUS SPIRITUS PRIVATUS, VEL SALTEM CUM SCRIPTURA, SIT ADAEQUATA REGULA CREDENDORUM? CCXIX.

Conclusio I. Spiritus privatus solus non est adaequata regula credendorum. CCXX.

Conclusio II. Neque Spiritus privatus una cum Scripturis divinis est regula adaequata credendorum. CCXXI.

CONTROVERSIA VII.

AN OMNIBUS NECESSARIA ET UTILIS SIT LECTIO SCRIPTURARUM IN LINGUA VULGARI? CCXXX.

Conclusio. Neque necessaria, neque utilis est omnibus promiscue Lectio Scripturarum in lingua vulgari. CCXXXIV.

ARTICULUS III.

DE VERBO DEI TRADITO.

CONTROVERSIA UNICA.

THEOLOGIAE DOGMATICO-POLEMICAE

TRACTATUS II.

DE VERA RELIGIONE, AC VERBO DEI SCRIPTO AC TRADITO.

ARTICULUS I.

DE VERA RELIGIONE.

CONTROVERSIA I.

AN DETUR VERA RELIGIO, EAQUE REVELATA?

Contra Deistas.

I.

Religio, quae quandoque pro societate Deum colentium usurpatur, significat hic certam rationem ac modum colendi Deum, vi cujus ipsi in hac vita placere, et in altera aeternam felicitatem consequi possumus. Hinc Religio vera ea est, quae veram de Deo existimationem et fidem habet, verumque ac legitimum cultum ipsi exhibet: contra falsa religio ea dicenda est, quae falsa de Deo docet, et adulterinum ipsi rependit cultum. Porro religio alia naturalis est, alia supernaturalis et revelata. Naturalis religio est collectio principiorum, quae

Deum colendum spectant, quoeque naturali lumine innotescunt; seu est Divinitatis sensus et cultus, quem Deo exhibendum docet ratio sola sibi relicta. Religio supernaturalis extraordinaria et supernaturali revelatione, et Dei manifestatione nititur et innotescit. Deus itaque omnis verae Religionis objectum est; naturalis quidem ut author naturae, supernaturalis ut author gratiae.

II. Dari veram Religionem nullus negavit, paucos Atheos si excipias: eandem vero a Deo revelatam esse inficiantur Deistae, ita appellati, quod vix aliud credant, quam dari Deum; rationem suam tanquam ducem et magistram in omnibus consulentes adorantesque, minuti Philosophi, cupiditatum suarum mancipia. Porro Deistarum quatuor sunt classes. Prima est eorum, qui Entis aeterni, infiniti, independentis, atque intelligentis existentiam admittunt, ac supremo huic Enti mundi fabricam tribuunt; sed providentiam divinam negant, ac mundi administrationem ad Deum pertinere. Altera Deistarum classis est eorum, qui nec Dei existentiam, nec providentiam negant; sed nullum admittunt discrimen bonum inter ac malum morale: nihilque interesse Dei docent, bonae an malae moraliter sint actiones hominum, quas neque bonas esse defendunt, neque malas, nisi quatenus ab humanis legibus vel permittantur, vel prohibeantur. Ad tertiam classem pertinent ii, qui humanae animae immortalitatem negant, eamque una cum corpore opinantur perire, alteramque generationem ita alteri perpetuo succedere, ut quae aliquando ab hoc mundo discesserit, ea nunquam huc sit reditura. Dei praeterea hominumque virtutes sub eadem rerum categoria docent non compre-

nihilque in nostris, ac Dei virtutibus esse quod ...ocum. Hinc autem inferunt, de bonitate ac ju... Dei ex earundem virtutum, ut sunt in homine, quas unice habemus, nullum a nobis ferri pos... ...icium, ac nihil certi, quod ad Deum pertineat, ...minum virtutibus erui posse. Ad quartam Deista... classem, quam unice hic impugnamus, revocan... qui Deum Ens summe perfectum ac providum, ...que immortalitatem admittunt; revelatione tamen ... homines non indigere asserunt, unamque nobis ...re naturalem religionem; cum ea tantum nobis ...dmittenda censeant, quae solo naturalis rationis ...e vera esse intelligimus. Horum e numero fuerunt ...dus Herbertus Baro Canturberiensis, Carolus Blo..., Schaftsburyus, Tindalus, aliique. Vide *Domini...vili* Dissertationem de Religione revelata, Tomo VI. ...auri Theologici.

III. *Conclusio 1.* Aliqua vera Religio necessario admittenda. Prob. Deus, cujus existentiam in Theo... naturali contra Atheos demonstratam fuisse hic ...onimus, divinas suas perfectiones et attributa suf...ter hominibus manifestavit; in mundi enim crea... emicat Dei potentia, in ejus ordine sapientia, in ...rnatione providentia, in conservatione bonitas etc. ... exsurgunt quaedam hominis erga Deum officia, ...turque homo Deum sibi cognitum glorificare. Ratio ... dictat, summo honore dignam esse summam Sa...ntiam et perfectionem: gratum ac memorem animum ...mmae Bonitati summo jure deberi. Atqui collectio ...ciorum hominis erga Deum est religio. Ergo genera...m loquendo, aliqua vera religio necessario est admit...nda. *Confirm.* Deus qui nihil facit absque consilio,

aliquem finem intendere debuit in hac manifestatione suarum perfectionum. Atqui nullum alium finem intendere potuit, nisi sui glorificationem. Cui enim bono suam justitiam manifestaret, nisi ut homo ipsum timeret? Cur bonitatem, nisi se amari vellet? Cur sapientiam, nisi ut creaturam ad certum, et sibi propositum finem duceret?

IV. *Conclusio II.* Vera Religio exigit cultum internum, atque externum, qui corporis exereetur ministerio. Prob. I. pars. Homo pro collatis a Deo beneficiis gratum memoremque animum debet, et de conferendis securum ac confidentem, atque ad ea postulanda sollicitum et orationi intentum. Atqui haec praestari nequeunt sine cultu interno. II. Finis hominis est cognitio et amor Dei. Homo enim eum in finem conditus est, ut ratione sua legitime utatur, et modo qui ipsam deceat. Jam vero modus ille legitimus importat, ut intellectui et voluntati condignum ac proportionatum proponatur objectum. Ergo cum utraque facultas infinita gaudeat capacitate, utrique proponi debet objectum infinitum. Ergo Deus. Ergo Dei cognitio et amor sunt finis hominis. Atqui hic finis obtineri nequit sine cultu interno. Ergo vera Religio necessario exigit cultum internum.

V. Probatur etiam altera Conclusionis pars, Imo. Homo duplici constat ex parte, corpore nimirum et anima, et ratione utriusque multis auctus beneficiis a Deo pendet: ergo ratione utriusque quaedam Deo debet, variaque sunt ejus erga Deum officia: ergo utrique facultati proportionatum accommodatumque cultum debet. Ergo sicut ratione animi cultum interiorem, ita ratione corporis externum debet, seu exte-

quaedam internae reverentiae signa Deo exhibere
. IIdo. Amor diu otiosus vacare non potest; cito,
cerus sit, in externa testimonia erumpit. Sic filii
ris erga parentes amoris et reverentiae argumen-
proferre satagunt. Ergo cum homo Deum super om-
diligere teneatur, facere non potest, quin exteriori
signo cultum internum prodat. Accedit omnium
rum unanimis consensus, qui sicut Deum ali-
, ita et religiosum aliquem cultum externum con-
retinuerunt, ita eos docente sana ratione.

VI. *Conclusio III.* Existit Religio naturalis. Prob. I.
ligio naturalis est ea, quam ratio sibi relicta dictat,
ad quam natura inclinat. Atqui debitam Deo reve-
tiam dictat ratio, et ad cultum Deo exhibendum in-
at natura: dictat enim unicuique natura gratum
memorem erga benefactores animum, summam
itatem colendam esse atque amandam etc. Ergo.
Officia quae homo Deo debet, ipsismet rerum es-
tiis, ipsaque natura innituntur. Atqui nomine re-
ionis naturalis nihil aliud intelligitur, quam isto-
m officiorum collectio. Ergo existit religio natu-
lis. P. M. Obligatio colendi Deum originem suam du-
ex proportione quadam hominis ad Deum, qua ho-
Deum sibi manifestatum potest, et debet glorifi-
re. Atqui haec proportio nititur natura et essentia
i et hominis. In hoc enim consistit illa proportio,
od Deus, ejusque perfectiones tales sint, ut cogno-
possint ab homine; homo vero facultatem habeat
cognoscendis parem, et idoneam. Ergo Deum inter
hominem adest proportio in utriusque essentia fun-
a. Ergo officia quae homo Deo debet, nituntur re-
m essentiis.

VII. *Conclusio IV.* Religio naturalis non sufficit, ideoque revelata est necessaria. Prob. I. Vera religio docere debet ea quae Deum spectant, eo modo qui sufficiat et ad Dei cultum, et ad hominis finem. Atqui id non praestat sola religio naturalis. Ergo necessaria est revelata. P. m. Homo ex sola religione natnrali naturam et attributa Dei non sufficienter cognoscit eo modo, quo requiritur ad rectam vitae institutionem; eoquod illa inter se sufficieuter conciliare nequeat, v. g. bonitatem Creatoris cum illa qua opprimimur miseriarum mole: justitiam Dei cum impiornm felicitate, et justorum calamitatibus. Accedit, quod religio naturalis nec volitiones Dei liberas explicet, neque formam cultus Deo debiti tradat; signa enim determinare quibus coli velit Deus, pendet a solo Deo, et a voluntate et electione ejus libera. Ergo religio naturalis non sufficienter docet quae spectant Deum. II. Veritates quibus religio naturalis innititur, non cognoscuntur nisi accurato ac recto rationis usu, ut ipsi etiam Deistae ultro fatentur. Atqui certum est plurimos homines accurate, ac recte ratione sua uti non posse in vera religione inquirenda; eoquod hujusmodi studio vacare nequeant ob vitae necessitates, aut mentis perspicacitate careant, quae rectae religionis inquisitioni est necessaria. Ergo cum illis necessaria sit aliqua vera religio, sine qua Deus coli non potest, et naturalis illis non sufficiat, revelata religio est omnino necessaria. III. Sola naturalis ratio, sine divinae revelationis subsidio, in corruptis hominibus, quales certe suut nationes omnes nobis notae, longe aberrare solet a vero, quod exemplo Ethnicorum omnium Philosophorum, eorumque, qui divina revelatione contempta unam naturalem rationem ducem sequi voluerunt,

apertissime comprobatur. Ergo. Vide plura apud *D. Thomam* Lib. I. contra Gentes Cap. IV. et *Gregorium Simon* Tractatu de Religione, Tomo I. Quaest. VI.

VIII. *Conclusio V.* Existit vera Religio revelata. Prob. Imo. Religio naturalis se sola non est sufficiens, ut homo finem suum obtineat. Ergo cum vera Religio sit homini necessaria, existit vera Religio revelata. Deus enim sicut non abundat in superfluis, ita non deest in necessariis, cum providentissimns sit et benignissimus humanae reipublicae Gubernator. II. Omnes homines qui Deum existere sibi persuasere, qualibet mundi aetate existimarunt etiam, Ens supremum inter atque homines aliquam fuisse semper communicationem, Deumque hominibus plurima manifestasse. Hujusmodi enim communi hominum persuasioni sacrae illae ac religiosae caeremoniae innitebantur, quas natio quaelibet a Diis suis se accepisse arbitrabatur; ac superstitiosa illa divinationis ars, qua semper usi sunt plurimum Idololatrae omnes; quia ipsis semper fuit persuasum, Deos inter atque homines communicationem esse perpetuam, pluribusque modis diversis a Diis res futuras hominibus manifestari. Ergo vox naturae est, dari religionem revelatam. III. Probatur ex sequelis. Si Deus per revelationem locutus non fuisset, sequeretur Imo, Libros veteris novique Testamenti, commemoratas in ipsis personas, testimonia etiam Judaeis et Paganis tributa, meris in fabulis numeranda esse, omniaque per insignem et ab hominum memoria inauditam fraudem obtrusa fuisse. II. Inter tot miraculorum millia, quae in veteri ac novo Testamento narrantur, nec unum esse verum ac legitimum: quod si enim vel unum ejusmodi factum fuisset, id utpote organum divinae vocis

satis esset ad omnia incredulorum systemata subruenda. Jam vero plura hujus generis miracula agnoverunt jurati Christianorum hostes, Celsus, Porphyrius, Julianus. Complura autem tam manifesta, tam stupenda fuerunt, ut Judaeos aeque ac Gentiles innumerabiles commoverint ad amplectendam religionem asperrimam, mentique ac sensibus durissimam: cui tamen semel susceptae tanta animi constantia adhaeserunt, ut maluerint omnia tormentorum genera, ipsamque mortem perferre potius, quam illi nuntium remittere.

IX. *Conclusio VI.* Nullum dogma verae Religionis revelatae contrarium esse potest rationi naturali. Prob. Imo. Quae naturali ratione innotescunt, sive immediate ac sine ullo discursu, sive per evidentem demonstrationem, de eorum veritate, atque ita vera esse nobis constat, ut ne dubitare quidem possimus ea esse vera: Ex altera vero parte verissima etiam sunt, ac nefas est dubitare de eorum veritate, quae nobis Deus revelavit; nisi quis Deum esse mendacem dicat, vel ea quae revelat ignorare: quorum utrumque manifeste impium est ac blasphemum. Ergo cum veritas falsitati sit dumtaxat contraria, non veritati, fidei veritates veritatibus naturalibus opponi nequeunt. II. Deus, naturae humanae supremus Auctor, Principiorum naturalium cognitionem ac rationes nobis indidit, qua veritates non nullas per se notas immediate cognoscamus, aliasque ex prioribus per naturales illationes eruamus. Ergo quidquid his veritatibus est contrarium, a Deo esse non potest. Ergo cum aeque a Deo sint, quae nobis ex divina revelatione innotescunt, ea naturali rationi opponi omnino nequeunt. III. Si revelatio divina rationi esset contraria, hominis intellectus sola naturali ratione utens,

necessario in errorem induceretur. Ergo cum aeque a Deo sit ratio naturalis ac revelatio divina, Deus ipse esset auctor erroris, in quem necessario intellectus induceretur. Atqui absurdum, impium, et blasphemum est dicere, Deum auctorem erroris esse, in quem necessario intellectus inducitur. Ergo absurdum, impium et blasphemum est dicere, revelationem divinam naturali rationi esse contrariam. IV. Contrariae opiniones de uno eodemque objecto intellectui ita inesse nequeunt, ut intellectus utrique opinioni assentiatur ut verae. Ergo fieri nequit, ut Deus quidquam revelet, quod veritati naturaliter cognitae sit contrarium; cum si id revelet Deus, contrariis veritatibus intellectus assentiatur oporteat, alteri propter naturales demonstrationes, alteri propter divinam revelationem.

X. Ex his sequitur I. falsissimam esse *Petri Pomponatii* opinionem, qui saeculo XVI. ineunte Patavii et Bononiae docuit, posse aliquid verum esse Philosophis, quod falsum sit Christianis. Id enim fieri nullo modo potest; cum revelatio divina naturali rationi nunquam opponatur. II. *Benedictum Spinosam* impie asseruisse, inter fidei dogmata plurima esse, quae nec umbram veritatis habeant. Nullum enim est, aut esse potest fidei dogma, quod verissimum non sit. Et quamvis plurima solo naturae lumine non innotescant, atque omnem superent mentis nostrae vim; nullum tamen probari ullo modo potest rationi naturali contrarium. Neque minus est falsum, quod addit Religionis nefarius hostis, nulla dogmata ad fidem Catholicam pertinere, de quibus inter honestos viros possit dari controversia. Constat enim posse inter honestos viros, ex sola naturali ratione ratiocinantes, dari controversiam de iis omni-

bus fidei Catholicae dogmatibus, quae sine revelatione non innotescunt; non quod ea dogmata naturali rationi sint contraria; sed quod ea verissima esse, ex sola naturali ratione non possit intelligi. III. Falsum esse, quod quidam dictitant, Philosophum ea omnia posse admittere, quae naturali ratione recte utenti, post maturum rerum omnium examen admittenda esse videntur, quin animadvertet, an veritates naturales quas defendit, cum fidei veritatibus possint conciliari. Cum enim ex una parte naturalis veritas revelatae non opponatur, et ex altera parte veritas revelata certa adeo sit, ut de ea dubitare non liceat; quidquid divinae revelationi adversatur, admitti omnino non potest ut verum. Ergo cum Philosophi sit veritatem unice quaerere, nihil is ut verum potest admittere, quod divinae revelationi adversetur. IV. Discrimen esse admittendum inter ea, quae supra, et ea quae contra rationem sunt. Neque enim claris ac distinctis mentis nostrae ideis opponitur, quidquid neque per sese nobis innotescit, neque ex ideis quas habemus, per naturales illationes. Ac sane plura sunt, non solum in revelatae religionis mysteriis, sed etiam in ipsa natura, quae neque per sese, neque ex ideis, quas habemus, per naturales illationes innotescunt; quin propterea claris ac distinctis mentis nostrae ideis opponantur, aut sint contra rationem. Quare ista maxime inter se discrepant, esse aliqua secundum rationem, alia supra, vel praeter rationem, alia contra rationem. Ea *secundum rationem* dicuntur esse, quae vera aut probabilia esse intelligere possumus, eas duntaxat ideas examinantes, quas sensibus aut reflexione acquirimus, et quae vera aut probabilia esse per deductionem detegimus. Talis est v. g. existentia, aut infinita Dei perfectio. Ea

supra, *vel praeter rationem* esse dicuntur, quorum veritas ex principiis naturaliter cognitis deduci minime potest per naturalem illationem, ob ignorantiam humanae mentis, et inaccessam Mysteriorum fidei sublimitatem. Talis est Trinitas Personarum in Deo, resurrectio mortuorum, aliaque plurima Religionis nostrae mysteria. Ea denique dicuntur esse *contra rationem* quae cum claris ac distinctis nostris ideis constare omnino non possunt; ut v. g. plurium Deorum existentia.

OBJECTIONES.

XI. *Objicitur I.* contra II. Conclusionem, Inutilitas cultus externi. Ens summe sapiens nihil agit sine motivo legitimo. Atqui Deus nullum habet legitimum motivum exigendi ab homine cultum externum. Ergo P. m. Tale motivum non est gloria interna, quae augeri non potest: non externa, quae Deo essentialis non est; cum Deus sibi sufficiat. Ergo R. I. D. M. Deus nihil agit sine motivo legitimo nobis cognito vel ignoto, C. M. Semper nobis cognito, N. M. Deus equidem nihil agit sine motivo legitimo; quodnam autem sit illud motivum, assignare semper nec tenemur, nec possumus. R. II. N. m. Ad *probat.* N. A. Deus cultum externum a nobis exigit ad gloriam suam extrinsecam promovendam; non quod eo cultu, eaque gloria ad sui felicitate indigeat; sed quia ut supremum habet in omnia dominium, sic jus summum habet, ut illud revereantur qui capaces sunt. Ergo sicut homo caeteris entibus praestat natura, sic caeteris officio praestare debet. Equidem liberas et rationales creaturas formare liberum Deo fuit; semel vero creatas omni officio erga ipsum liberas facere non potuit.

XII. *Dices.* Ideo inter homines necessaria sunt illa externa honoris ac reverentiae signa, quia aliter de sensibus internis judicare nequeunt. Sed Deus independenter ab illis exterioribus signis interiores sensus discernit. Ergo. R. D. m. Independenter a signis exterioribus discernit interiores sensus, sed tamen signa illa pro suo jure exigit, C. m. Secus, N. m. et Cons. Externa nostrae erga Deum pietatis signa necessaria sunt; non quod Deus sine illis actus nostros interiores ignoret, sed aliis de causis. Ex parte Dei quidem, tum ut supremum in corpora dominium exerceat: tum quia corpus ipsum multis Dei beneficiis auctum et cumulatum in partem debitae gratitudinis pro viribus excurrere debet. Nobis etiam sunt necessaria; amor enim iners et otiosus, valde dubius est. Deinde anima corpori alligata multum pendet a corpore, a sensiblibus ad spiritualia facilius erigitur. Signa tandem illa sunt necessaria ex parte aliorum hominum; homo enim ad societatem a natura ipsa factus et compositus, commercium cum alii inire debet, non tantum in civilibus, sed etiam, et a fortiori, in rebus religionis, utpote quae propius tangit homines, quam rerum civilium possessio.

XIII. *Objicitur II.* Ignoratio cultus. Nullus tenetur cultum Deo exhibere, quem cognoscere non potest. Sed seclusa revelatione, impossibile est scire, quem cultum exigat Deus Ergo antecedenter ad revelationem homo nullum Deo cultum exteriorem debet. R. D. M. Nullus tenetur cultum exhibere, quem non potest cognoscere tum determinate, tum indeterminate, C. M. Quem non potest cognoscere determinate, N. M. Equidem homo eum praecise cultum quem exigit Deus, absque revelatione divina cognoscere nequit; antequam vero Deus

illum manifestet, ad duo tenetur. I. Generatim ad cultum aliquem externum exterius exhibendum. II. Ut animo paratus sit ad eum cultum exhibendum, quem Deus jusserit.

XIV. *Objicitur III.* Essentia cultus. Externa illa signa non jure naturali, sed positivo praescripta sunt; neque pertinent ad essentiam cultus. Ergo vera religio non requirit necessario cultum externum. P. A. Verus ac sincerus Dei cultus in Dei cognitione et amore consistit. Sed Dei cognitio et ejus amor sunt quid internum. Ergo verus Dei cultus est internus. R. Cultum externum in specie, seu has determinatas caeremonias jure positivo praescriptas fuisse; caeremonias vero generatim sumptas, et externa interioris reverentiae signa, qualiacunque tandem illa sint, jure naturali praescribi, esseque divino cultui intrinsecas et essentiales. Ut enim superius ostendimus, natura hominis, Dei glorificatio, variaque ejus beneficia postulant externa reverentiae signa. Ergo sunt essentialia et intrinseca cultui, qui Deo ab homine debetur. Ad *probat.* D. M. Consistit primario ac principaliter, C. Tantum N. M. Aut aliter D. In cognitione Dei et amore tam externo quam interno, C. M. Interno solum, N. M.

XV. *Objicitur IV.* contra IV. Conclusionem, Inutilitas religionis revelatae. Lex omnibus communis et innata sufficere debet. Atqui lex et religio naturalis omnibus communis est et innata. Ergo debet sufficere. Ergo revelata est inutilis. P. M. Lex omnibus communis et innata medium est hominibus concessum ad informandos eorum mores. Atqui medium illud debet sufficere; proportionem enim debet habere a Deo, a quo datur, cum fine, id est, cum morum informatione. Ergo. R. N. M.

Lex non inde est sufficiens, quod sit communis et innata; sed ex eo, quod et omnia tradat quae informant rectam vitae institutionem, et ea proponat modo proportionato hominum infirmitati et necessitatibus. Haec autem non praestat sola religio naturalis. Ad *probat.* N. m. Ad rationem additam D. Debet habere proportionem aliquam, et quo gradu voluerit ejus author, C. Omnem, et omni gradu, N. Deus potest medium usurpare, quale voluerit, eique quam ipse voluerit perfectionem communicare.

XVI. *Dices I.* Saltem habere debet proportionem cum fine hominis naturali; alias insufficientia illa in Deum refunderetur. Ergo religio revelata non est absolute necessaria. R. ut prius, D. A. Debet habere proportionem aliquam, C. A. Omnem omnino, et numeris omnibus absolutam, N. A. Neque insufficientia illa vitio verti potest Deo; quia medium illud neque est omni modo insufficiens, neque unicum; rationis enim ruinas sufficienter resarcit Deus per revelationem.

XVII. *Dices II.* Religio debet esse universalis, cum omnes homines cultum religiosum Deo supremo rerum omnium Creatori debeat. Ergo cum sola naturalis religio non vero revelata sit universalis, sola naturalis est necessaria, et ut vera admittenda; revelata vero est superflua. R. Divinam revelationem non esse quidem adhuc universalem, cum pluribus ea non innotescat; sed tamen ita a Deo esse ordinatam, ut sit universalis, ac propterea gentibus omnibus aliquando fuisse promulgatam, foreque aliquando omnibus notam. Ii praeterea, quibus divina revelatio nota minime est, ea propria culpa carent; quia veram religionem quaerere nolunt, vel propriis peccatis efficiunt, ne a Deo ipsorum mentes illuminentur.

XVIII. *Dices III.* Si lex naturalis hominem non satis instrueret, quomodo Deum colere debeat, foret imperfecta et manca. Atqui sine injuria Creatoris id dici nequit. Ergo. R. N. M. Sicut anima non est imperfecta ex eo, quod ad constituendum hominem requirat corpus tanquam conprincipium: ita lex, vel religio naturalis imperfecta non est, aut debita sibi perfectione destituitur, licet ad praestandum cultum Deo debitum requirat revelationem Dei, tanquam determinativum. Igitur perfectio et finis religionis naturalis habetur in eo, quod hominem intra limites honestatis naturalis contineat, donec distinctior Deum colendi modus ex divina revelatione illi innotescat.

XIX. *Dices IV.* Saltem in statu naturae purae nulla daretur religio revelata. Ergo cum status hic sit possibilis, religio revelata non est simpliciter necessaria. R. I. Nos non de possibili, sed de presenti statu loqui. R. II. N. A. Revelatio etiam in statu naturae purae locum haberet, tum quia ratio humana sibi permissa in turpissimos errores, et absurdissimas superstitiones impingeret: tum quia etiam in hoc statu sola naturalis ratio non declararet homini libera Dei consilia. Et profecto, etiam in statu naturae purae, ratio sana quibusdam detegendis non suffecisset, iis scilicet quae a positiva ac libera Dei voluntate pendent, cum volitiones illae liberae non sint rationis etiam sanae objectum proportionatum: nec rationis sanae eminentia exigat, ut ad omnia sese extendat. Hinc rationi etiam integrae necessaria fuisset quoad illas veritates revelatio extraordinaria vel naturalis ordinis in statu naturae purae, vel supernaturalis in statu naturae integrae.

XX. *Dices V.* Qui credit unum dari Deum, et

juxta lumen rationis vivens; eundem iis ritibus colit quos judicat ad illius honorem conducere, sufficienter jam ad finem suum ultimum dispositus est. Ergo non est opus religione revelata. P. A. Deus honoratur per animi sensus, qualescunque illi sint, modo ex sincero ipsi placendi studio eliciantur. Ergo etiam si homo in aliquo errore versaretur circa modum, quo sensus illos exerit, et eorum actus exercet, plecti a Deo non posset ob ignorantiam invincibilem. Ergo sufficienter esset ad finem suum ultimum dispositus; ideoque opus non est religione revelata. R. N. A. Deus coli debet illis ritibus qui ipsi placent. Quinam vero ipsi placeant, non dependet ab arbitrio hominum, sed ipsius Dei. Cum igitur ritus colendi Deum sint diversissimi, ipse Deus debet determinare, quos a nobis exigat. Ad *Probat.* C. A. N. ultimam Conseq. Felicitas hominis, finisque ejus ultimus in Dei cognitione et amore reponenda sunt. Jam vero ignorantia quantumvis inculpabilis veritatum illarum, quae per religionem revelatam manifestantur, arcet hominem a Dei cognitione et amore, adeoque a recta et beata vita, quae est finis hominis. Ergo homini necessaria est revelatio, ut finem suum assequatur, atque ad Dei cognitionem perveniat.

XXI. *Objicitur V.* contra Vtam Conclusionem, Impossibilitas revelationis. Repugnat Deum hominibus ea manifestasse, quae ad ipsum ac sui ipsius perfectiones pertinet: Ergo non datur religio revelata R. N. A. Nihil enim proferri a Deistis potest, ut contradictionem involvere probent, vel sonos in aere a Deo produci, vel motus excitari in organo auditus, vel signa quaedam alia hominibus praeberi conspicienda, vel denique perceptiones imprimi in anima, quibus ea homi-

nibus innotescant quae Deo placuerit ipsis manifestare. Si enim possumus homines vel articulatis vocibus, quibus sonos in aere producimus, ac motus in aliorum hominum organo auditus excitamus, vel scripto, quo res aliis intelligendas ac veluti conspiciendas praebemus, mentis nostrae ideas aliis communicare; cur efficere non potest Deus, ut ideae harum veritatum, quas ipsi placet nobis manifestare, in mentibus nostris excitentur, vel sensus nostros ita moveat, ut ideae illae oriantur, vel eas immediate in mentibus nostris producat?

XXII. *Objicitur VI.* contra VI. Conclusionem, pugna revelationis cum naturali ratione. Religio revelata plurima continet, quae sunt supra rationem. Atqui quod est supra rationem, eo ipso est contra rationem. Ergo. P. m, Quae sunt supra rationem, ipsi non sunt conformia. Sed quae rationi non sunt conformia, sunt contra rationem. Ergo mysteria quae sunt supra ratio nem, sunt contra rationem. R. C. M. N. m. Supra rationem ea dicuntur esse, quae inter attributum et subjectum enuntiant habitudinem, quam humana ratio non percipit. Contra rationem ea sunt, quae inter attributum et subjectum enuntiant habitudinem omnino contrariam habitudini, quam percipit humana ratio. Unde esse contra rationem, dicit oppositionem cum principiis lumine naturae notis. Sed ex eo quod Deus nobis aliqua manifestet, quae rationem nostram superant, non sequitur ea principiis lumine naturae notis adversari. Quisquis enim sobrie sapit, prudenter cogitat, de infinito infinitas enunciari posse propositiones veras: ab humana vero ratione, utpote finita, non posse attingi veritatem infinitarum numero propositionum, etiam singularum. Et quamvis connexionem inter mysteria fidei et rationem

naturalem non cognoscat, ob factam tamen revelationem divinam, de qua duo intelligit naturalis ratio, et eam necessariam esse, et omnia admittenda esse quae ipsa proponit, firmissime ea omnia credit, quamvis intra naturalis rationis limites non contineantur. Neque tamen, quamvis in obsequium fidei intellectum captivet, ut ea etiam tamquam certissima credat quae non intelligit, quidquam contra rationem admittit; cum ea intellectus captivatio a recta ratione exigatur. Ad *Probat.* D. M. Quae sunt supra rationem, ipsi non sunt conformia positive, ita ut conformitas mysteriorum fidei cum naturali ratione cognoscatur, C. M. Non sunt conformia, id est, difformia rationi, N. M. Et sic dist. min. N. C. Si homo mysteria revelata sola naturali qua praeditus est ratione velit examinare, neque ea rationi conformia esse cognoscet, neque difformia. Non cognoscet ea esse rationi conformia; quia nullum est naturale principium, quocum eadem mysteria connectantur: non difformia; quia nullo naturali principio potest demonstrari, eadem mysteria esse falsa. Quare in eo statu intellectus omnino ignorat, utrum falsa an vera sint Fidei nostrae mysteria, cum neque eorum veritatem, neque eorum falsitatem naturalis ratio ipsi demonstret. Accedit vero revelatio divina, quae ea mysteria docet esse admittenda; atque intellectus, quia ex naturali ratione jam novit verissimum esse quidquid Deus ipse revelat, ea mysteria admittit; non quidem contra rationem iisdem praestans assensum, sed ignorantiam deponens, ut divinae revelationi praestet assensum.

XXIII. *Dices I.* Nulla potest assignari ratio, cur Deus dirigere nos velit ad ultimum finem nostrum per lumen fidei, seu religionis revelatae. Ergo. II. Est con-

tra rationem aliqua credere, quae superant rationem, seu captum nostrum. Ergo religio revelata repugnat rationi. R. Ad Imum. N. A. Decet, ut creatura nobilissimam sui partem, nempe intellectum per quem a brutis discriminatur, captivet in obsequium fidei sicque Authori suo supremum praestet obsequium, firmissime credendo etiam illa quae rationem superant, propter authoritatem Dei loquentis. Ad II. N. A Ipsa sana ratio, quae docet Deum infinite perfectum esse, dictat etiam Deum plurima scire, quae captum naturalis rationis excedunt; alioqui non foret infinite sapiens: et omnia firmissime credenda esse, quae Deus revelavit; eoquod impossibile sit Ens perfectissimum decipi ab hominibus, aut homines ab illo. Profecto maximopere hallucinantur Deistae, quod postulent pro mysterio credendo rem sibi prius explicari, *quomodo*, et *quare* ita sit; sic enim volunt ut mysterium amittat rationem mysterii, ut fiat ipsis credibile. Et quid aliud hoc est, nisi libenter credere velle, dum nihil credendum supersit: et admittere velle mysteria, ubi nulla porro sunt. Praeclare respondit olim *S. Bernardus* Epist. CXC. Cap. I. Abaelardo, volenti mysteria fidei per solam rationem explicare: *Dum paratus est de omnibus reddere rationem, etiam quae sunt supra rationem; et contra rationem praesumit, et contra fidem. Quid enim magis contra rationem, quam rationem conari transcendere? Et quid magis contra fidem, quam credere nolle quidquid non possis ratione attingere.*

CONTROVERSIA. II.

AN RELIGIO REVELATA, EXTRA QUAM SALUS AETERNA OBTINERI NEQUIT SIT UNICA?

Contra Indifferentistas laxioras.

XXIV.

Adiaphoristae, sive indifferentistae laxiores docent, in qualibet secta posse quemlibet salvari, modo Deum dari credat, eumque juxta leges suae sectae colat; sive Mahometanus sit, Paganus, Judaeus, aut Christianus. Vocantur hi Indifferentistae laxiores, ut discernantur ab illis qui asserunt, posse quidem quemlibet salvari in quacunque religione Christiana, v. g. sive Catholica, sive Lutherana etc. non tamen in quacunque religione alia etiam non Christiana, Indifferentistae strictiores idcirco appellati. Indifferentistae laxiores fuere Rethoriani, Rethorii cujusdam Aegyptii discipuli, David Georgius, Joannes Quintinus Picardus, et Ulricus *Zwinglius*, qui in Confessione fidei ad Franciscum I. Galliae Regem, explicans articulum de vita aeterna, ait: *Videndos in coelo egregios et virtuosos omnes; Adamum, primum et secundum, Abel, Enoch, Noe, Abraham, Isaac, Matrem Dei, Petrum, Paulum, Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones etc.* Quod adeo stomachum movit *Luthero*, ut hanc insaniam Zwinglio exprobraverit, in parvo Catechismo scribens, *De-*

sperare se de hominis salute, qui non contentus oppugnare Sacramentum, in Gentilismum prolapsus, Scipionem Epicureum, Numam daemonis organum, Sanctis adnumeraret.

XXV. *Conclusio I.* Vera religio revelata est unica. Prob. I. Deus est infinite sapiens et verax, cum sit Ens infinite perfectum. Ergo unica datur vera religio a Deo revelata. P. C. Si plures darentur verae religiones a Deo revelatae, sequeretur Deum pugnantia revelando aut deceptum fuisse rerum ignorantia, aut contra mentem suam locutum esse. Atqui utrumque est metaphysice impossibile. Ergo. II. Sola religio Christiana est evidenter credibilis, et credenda, reliquae vero sectae omnes antichristianae sunt incredibiles, multaque continent quae rectae sanaeque rationi manifeste adversantur; ut paulo inferius ostendemus. Ergo cum idem sit Author religionis naturalis et revelatae, sola religio Christiana a Deo est revelata.

XXVI. *Conclusio II.* Extra veram religionem revelatam aeterna salus obtineri nequit. Prob. I. Aeterna salus obtineri nequit in ea religione, in qua Deus neque sufficienter cognoscitur per lumen fidei, ut author felicitatis nostrae supernaturalis, neque eo ritu colitur, qui ipsi placet, quique ab ipso praescriptus est. Atqui id fit in sola vera religione revelata. Ergo extra illam obtineri nequit aeterna salus, ut pote quam Deus proposuit, ut mercedis ac praemii loco sit. II. Deus veram religionem revelando voluntatem suam manifestat, fidemque a nobis exigit; quisquis enim loquitur, sibi credi vult, et dictis fidem haberi. Ergo increduli qui veram religionem revelatam repudiant, maximam Deo inferunt injuriam, atque infidelitate sua aeterna mercantur supplicia.

XXVII. Praeterea, si aeterna salus in qualibet religione obtineri posset, sequeretur I. Quemvis sectam suam mutare posse, nec ad illius leges observandas *teneri*. Atqui hoc admitti nequit, tum quia sequeretur mera confusio, et morum perversitas: tum quia pleraeque religiones mutationem hanc prohibent tamquam malam, et supplicio dignam. II. Christus frustra humanam naturam induisset, ac pro nobis frustra mortuus fuisset, siquidem aeterna salus absque illius morte et doctrina obtineri posset. III. Frustra Deus religionem Christianam tot evidentibus signis fide dignissimam constituisset, et adhuc conservaret.

OBJECTIONES.

XXVIII. *Objicitur* I. Auctoritas Scripturarum. Apostolus ad Hebr. XI. v. 6. scribit: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Ergo omnes in quacunque religione possunt salvari, modo credant Deum dari remuneratorem. II. Idem I. ad *Timoth.* Cap. II. ait, quod Deus velit omnes homines salvos fieri. Ergo non est credibile homines damnari, qui juxta sectae suae leges vivunt. III. *Act. X.* v. 22. Cornelius Centurio, antequam in Christum crederet, dicitur *vir justus et timens Deum.* Ergo si absque fide in Christum habuit justitiam, potuit etiam absque fide in Chistum acquirere salutem. IV. *Genes. IV.* nulla facta religionis mentione, ait Deus ad Cain: *Nonne si bene egeris, recipies?* Ergo qui bene agit, sive intra, sive extra Ecclesiam, recipiet mercedem suam V. Matth. XIX. ait Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Non homicidium facies;*

non adulterabis etc. Ergo si haec serventur, quae jure naturali praecipiuntur, quilibet etiam non Christianus salvabitur. R. ad I. N. C. Sensus citati textus est: Ut quis Deum rite colere, eique placere incipiat, credere prae omnibus debet, et existere unum Deum, et esse remuneratorem: non quod haec duo tantum credidisse sufficiat, cum *Marci XVI.* praeter illa requiratur etiam baptismus. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*; sed quia prima sunt et faciliora fidei objecta, necessaria ad spem excitandam. Ad II. D. A. Quod Deus velit omnes homines salvos fieri, voluntate conditionata et antecedente, quatenus ipsis suppeditat media proxime vel remote sufficientia ad sobrie et pie vivendum, ad cognoscendam et amplectendam veram religionem, C. A. Voluntate consequente et absoluta, non obstante eorum infidelitate, N. A. et C. Ad III. Respondent *S. Basilius* in Regulis brevioribus, Regula CCXXIV. *S. Chrysostomus*, et *Oecumenius*, non intelligi ibi justitiam supernaturalem, sed moralem, et naturalem. Verum alii Patres, quibus apertius suffragari videntur Scripturae, in quibus Cornelius dicitur *Act. X* v. 1. *Religiosus ac timens Deum, cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper*, communius docent, illum, antequam accerseret Petrum, justitiam supernaturalem habuisse, quia in Deum crediderat, atque etiam implicite in Christum: per bona autem opera, non viribus solius naturae, sed ex gratia Dei tum excitante, tum cooperante elicita meruisse fidem explicitam in Christum. Ad IV. R. per haec verba, *Nonne si bene egeris, recipies?* non excludi, sed supponi fidem, quae si deficiat, opus bonum esse non potest ea bonitate, cui debetur prae-

mium vel vita aeterna. Ad V. R. ut prius. Observantia mandatorum supponit fidem: cur vero illius mentionem non fecerit Christus, commoda ratio assignari potest; quia nimirum qui Christum interrogaverat, Judaeus erat, ideoque veram tunc profitebatur religionem.

XXIX. *Objicitur II.* Exemplum Samaritanorum. Judaei ac Samaritae erant cultu ac religione distincti; et tamen quivis salvari poterat in utraque religione. Ergo. P. A. Christus proponit Samaritanum tanquam exemplum misericordiae: laudat leprosum Samaritanum, qui solus e reliquo numero regressus est ad agendas Christo gratias, quod a lepra mundatus fuisset: Samaritanae mulieri, quaerenti de religione, benigne errorem monstrat: Samaritanis fraterne communicat. Ergo Samaritani salvari poterant in sua religione. R. N. A. Ad *prob.* C. A. N. C. Priora nihil evincunt; ad id vero, quod postremo loco additum est, ajo, Christum talem benevolentiam exhibuisse in ipso conversionis actu, et post illam; posteaquam enim mulieri dixerant Joan. IV. v. 42. *Jam non propter tuam loquelam credimus. Ipsi enim audivimus, et scimus, quia hic est vere Salvator mundi*, discipuli Christi Samaritanis communicarunt. Prius certe Christus eam communionem suis interdixerat, dum Matth. X. vetuit: *In civitates Samaritanorum ne intraveritis.*

XXX. *Objicitur III.* Exemplum Judaeorum. Religio Judaica, quamvis ab ipso Deo condita, dividebatur in plures sectas sibi oppositas, Pharisaeorum, Sadducaeorum, Essenorum, quae omnes erant bonae, et ad salutem perducebant. Ergo. R. Sectas Judaeorum convenisse quoad substantiam et articulos fidei, solis

exceptis Sadducaeis qui post captivitatem Babilonicam, imo post Alexandri Magni tempora exorti, non solum resurrectionem corporum, Angelos aliosque Spiritus negabant, sed etiam quinque libros Moysis tantum recipiebant, repudiatis caeteris omnibus Scripturae libris. Hi ob numerum factionis et potentiam, modo Legem Moysis servarent, admittebantur quidem in consortium Judaeorum, sacrificabant in Templo, et ut videre est in Actibus Apostolorum, inter judices Synedrii sedebant: verumtamen verae religionis, aeternaeque salutis expertes erant, quam ne expectabant quidem, quod animam hominis mortalem esse assererent.

XXXI. *Objicitur IV.* Exemplum Gentilium. In veteri Testamento Gentiles non tenebantur recipere religionem Judaicam, et circumcisionem, quamvis religio Judaica fuerit vera religio, a Deo instituta. Ergo neque tenentur religionem Christianam amplecti, absque ullo aeternae salutis discrimine. R. C. A. N. C. Religio Judaica solis Abrahami posteris praecipiebatur, non vero aliis populis, qui tenebantur tantum in unum Deum credere, sperare, ac diligere, fide, spe, et amore supernaturali, et legem naturalem servare. Contra lex Christiana omnibus lata est, juxta illud Christi Matth. XXVIII. *Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

XXXII. *Objicitur V.* Paritas, et ratio. Rex terrenus gloriae sibi ducit, si a diversis populis ritu diverso colatur. Ergo etiam Deus. II. si Judaeus vel Turca putaret se habere veram fidem, et sectae suae leges constanter observaret, juste non potest ab aeterna felicitate excludi. Ergo potest quis salvari etiam extra religionem

Christianam. R. D. A. Si illa diversitas consistat tantum in caeremoniis decentibus adhuc regiam majestatem, C. A. Si ritus illi regiam majestatem deceant, N. A. Falsae religiones non colunt Deum eo modo, quo vult Deus coli: et quamvis evidenter credibile, ac credendum sit, Deum alio modo velle ab hominibus coli; spreto tamen Dei imperio, obstinate Deum colere pergunt eo ritu, qui non Deo, sed ipsis placet. Ergo cultus ab aliis religionibus Deo praestitus, injuriam divinae Majestati infert. Ad II. N. A. Talis juste damnandus esset, tum ob alia peccata quae patravit: tum etiam quia debitam diligentiam omisit in pervestiganda vera religione; vel quia agnitam veritatem proterve repudiavit, ut genio liberius indulgeret suo, pravisque cupiditatibus. Caeterum si legem naturalem observaret, Deus qui vult omnes homines salvos fieri, non denegaret illi gratiam veram religionem agnoscendi, et amplectendi.

CONTROVERSIA III.

AN RELIGIO CHRISTIANA SIT EVIDENTER CREDIBILIS IN SE, ADEOQUE VERA RELIGIO?

Contra Omnes Sectas Antichristianas.

XXXIII.

Unicam dari veram religionem revelatam, extra quam aeterna salus obtineri nequit, priori Controversia ostendimus. Discutiendum nunc superest, quaenam ex tot religionibus hac gaudeat praerogativa. Ac primo quidem observo figendas esse terminorum quorumdam notiones,

ut lites praecaveantur. *Evidenter verum* dicitur quod vel in se, vel in suis principiis ita clare cognoscitur, ut rapiat omnino intellectum ad assensum. *Evidenter credibile* est illud, pro quo tam gravia pugnant motiva, ut evidens sit, eum prudenter agere qui illud credit. *Evidenter credendum* vocatur, de quo evidens est dari obligationem illud credendi. Observo II. Ut ipsa fides nostra tanquam obedientia Deo praestita nobis imputaretur, voluisse Deum id, quod credi a nobis vellet, non ita evidenter patere, ut quae sensu aut demonstratione percipiuntur; sed quantum satis esset ad fidem faciendam, remque persuadendam homini non omnino extreme pertinaci: ut ita vera religio tanquam lapis esset Lydius, ad quem ingenia sanabilia, et insanabilia explorarentur. Observo III., eam veram esse religionem ab ipso Deo revelatam, quae caeteris omnibus religionibus manifeste apparet esse multo credibilior homini salutis suae cupido, et prudente assensu dignissima. Neque enim Deus naturalis rationis, et revelatae religionis author permittere unquam potuit, ut religio falsa caeteris omnibus, atque adeo vera quoque religione credibilior videatur: alias per se loquendo, quilibet teneretur rebus omnibus rite perpensis religionem falsam amplecti, nullusque propriae salutis, ac genuini Dei cultus amans, veram profiteri posset religionem; quod tamen sanae rationi maxime adversatur, argueretque non modicum divinae providentiae defectum in praeparandis mediis ad consequendum finem nostrum ultimum unice necessariis.

XXXIV. *Conclusio*. Religio Christiana est evidenter in se credibilis. Prob. Illa religio est evidenter in se credibilis, pro cujus veritate tanta pugnat credibilitatis evidentia, sive tam gravia motiva, ut non nisi

per summam imprudentiam ejus veritas in dubium vocari queat. Atqui talis est religio Christiana. Ergo Religio Christiana est evidenter in se credibilis. Minor propositio ostenditur adducendo gravissima credibilitatis motiva, quae *Hugo Grotius* Lib. II. de Veritate Relig. Christianae nitide solideque describit.

XXXV. Primum credibilitatis motivum sunt miracula Christi. Christus, a quo instituta fuit religio Christiana, in confirmationem doctrinae ac Divinitatis suae innumera patravit miracula; caecis enim visum restituit, surdis auditum, claudis ingressum: mortuos ad vitam suscitavit, ut testantur Apostoli et Evangelistae oculati testes, aut oculatorum testium discipuli, qui fuso sanguine Magistri sui doctrinam propugnarunt. Quin horum prodigiorum fama tam certam atque indubitatam habuit originem, ut edita a Christo prodigia aliqua neque Porphyrius, neque Celsus, neque ipse Julianus, cum in Christianos scriberent, negare ausi fuerint: Hebraei vero in Thalmudicis libris aperte fateantur. Ipse *Josephus Flavius* Judaeus Lib. XVIII. Antiquitatum Iudaicarum Cap. IV. luculentissimum Christo testimonium perhibet: *Eodem tempore fuit Jesus vir sapiens, si tamen virum eum oportet dicere. Erat enim mirabilium patrator operum, et doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt. Plurimos quoque tum de Judaeis, tum de Gentibus sui habuit sectatores. Christus hic erat; cumque invidia nostrorum Principum Cruci eum Pilatus addixisset, nihilominus qui eum primum dilexerunt, perseveraverunt. Apparuit enim eis tertia die vivens: multa et haec et alia mirabilia carminibus Prophetarum de eo vaticinantibus; et usque hodie gens Christianorum, ab hoc sortita vocabulum,*

non defecit. Ex quo sequitur Religionem Christianam veram esse, quia confirmata est miraculis, sive testimonio Dei, qui falsum testari nequit: ideoque evidenter credibile est, eam authorem habere Deum.

XXXVI. Porro naturali vi non patrata fuisse haec miracula satis hoc ipso apparet, quod totius naturae creatae vires superaverint. Neque enim per naturae vim fieri potest, ut mortui ad vitam revocentur, ut sola voce aut contactu morbi gravissimi, et quidem subito tollantur. Quod si ad naturalem efficaciam referri opera ista aliquo modo potuissent, dictum jam pridem id fuisset ab iis, qui se aut Christi in terris agentis, aut Evangelii ipsius hostes professi sunt. Simili argumento colligimus nec praestigias fuisse; quia pleraque opera palam gesta sunt, inspectante populo, et Pharisaeis cuncta ipsius opera observantibus. Adde, quod similia opera repetita, et ipsi effectus non momentanei sed permanentes fuerint. Quibus, ut oportet, expensis, omnino sequitur, quod et Judaei fatentur, opera haec processisse a virtute aliqua plus quam humana, id est, a spiritu alique bono, vel malo. A malo autem spiritu non esse profecta haec opera inde probatur, quod doctrina Christi, cui probandae ista opera adhibebantur, malis spiritibus adversatur. Vetat enim malos spiritus coli, abstrahit homines ab omni immunditia morum, qua hi spiritus delectantur. Re quoque ipsa apparet, ubicunque ea doctrina recepta est, collabi daemonum cultum, et artes magicas, unumque Deum coli cum detestatione daemonum. Credendum autem non est, quemquam malum spiritum adeo esse imprudentem, ut ea faciat, et quidem saepissime, ex quibus nihil honoris sibi ac commodi, contra vero

maximum detrimentum ac dedecus accedat. Sed neque sapientiae aut bonitati ipsius Dei ullo modo convenit, ut passus credatur illudi astu daemonum hominibus ab omni malitia alienis, et sui metuentibus, quales fuisse primos Christi discipulos vita ipsorum inculpata, et multae calamitates Christi causa toleratae manifestum faciunt. Quod si dicas a bonis mentibus, Deo tamen inferioribus profecta Christi opera, jam eo ipso fateris, illa Deo placuisse, et ad Dei honorem pertinuisse; cum bonae mentes nihil faciant, nisi quod Deo gratum, ipsique gloriosum sit. Ut jam taceam, illud mihi multo probabilius videri, prodigiorum, quae proprie dicimus, auctorem non alium esse, quam Deum, et gratiosis Deo hominibus ac Spiritibus edendorum signorum facultatem hoc unice sensu tribuendam esse, quod Deus ipse ad eorum se preces convertens, miracula vel signa edit. Jam vero Deus miracula nec facit, nec fieri sinit absque causa: id enim sapientem legis conditorem decet, a legibus suis non nisi ob causam, et quidem gravem, recedere. Causa autem nulla alia reddi potest, cur haec facta sint, quam ea quae a Christo allata est: nempe ut doctrinae ipsius redderetur testimonium. Neque vero qui ea aspicerent, aliam causam ullam animo concipere potuerunt: quos inter cum multi, ut diximus, pio essent animo, Deum hoc egisse ut eis imponeret, impium est creditu.

XXXVII. Alterum credibilitatis motivum est admirabilis illa Christi post mortem et sepulturam resurrectio ac reditus in vitam. Id enim non modo ut verum, sed ut praecipuum fidei suae fundamentum adferunt omnium locorum et temporum Christiani: quod fieri non potuit, nisi qui primi Christianam fidem do-

cuerunt, certo auditoribus suis persuaserint rem ita gestam. Certo autem persuadere hoc non potuerunt hominibus aliquo judicio praeditis, nisi affirmarent, semetipsos oculatos rei testes esse: sine qua affirmatione nemo illis fidem habuisset, praesertim iis temporibus, cum illis credere maximis malis ac periculis constaret. Affirmatum hoc ab ipsis magna constantia etiam libri ipsorum, et aliorum docent: imo ex libris apparet provocasse eos ad testes quingentos, qui Jesum post mortem redivivum conspexerint. Neque fieri potest, ut in falsum testimonium tam multi conspirent. Et ut alii testes non fuissent, quam duodecim illi notissimi Christianae doctrinae propagatores, sufficere hoc debebat. Nemo gratis malus est. Honorem ex mendacio sperare non poterant, cum honor omnis esset penes Paganos, aut Judaeos, a quibus ipsi probris et ignominia afficiebantur: non divitias, cum ob hanc professionem saepe et bonis mulctarentur, et Evangelium ab ipsis doceri non posset, nisi omni bonorum temporalium cura omissa. Neque vero alia ulla hujus vitae commoda ad mentiendum eos movere potuerunt, cum ipsa Evangelii praedicatio laboribus, fami, siti, verberibus, carceribus eos objecerit. Fama duntaxat inter suos tanti non erat, ut propterea homines simplices, et quorum vita ac dogma a fastu abhorrebat, tantam malorum vim subirent: neque vero sperare ullo modo poterant tantum progressum sui dogmatis, cui et intenta commodis suis natura, et ubique imperantium auctoritas repugnabant, nisi ex divino promisso. Restat ergo ut religionis suae tuendae causa mentiti dicantur; quod omnino, si res recte expendatur, dici de illis non potest. Nam aut religionem illam veram ex animi sententia crediderunt,

aut non crediderunt. Si non credidissent veram, immo si non credidissent optimam, nunquam hanc elegissent omissis religionibus aliis: immo quamvis veram professi non essent, nisi et professionem ejus credidissent necessariam; praesertim cum et facile praevidere possent, et experimento statim discerent, hanc professionem multa incommoda aerumnasque post se trahere. Quod si crediderunt religionem suam veram, immo et optimam, et profitendam omnino, et quidem post Magistri sui mortem: sane id fieri non potuit, si fefellisset eos Magistri sui de sua resurrectione pollicitatio. Nam id cuivis sano homini satis fuisset ad excutiendam etiam ante conceptam fidem. Rursum religio omnis, praesertim vero Christiana, mendacium ac falsum testimonium maxime in divinis rebus prohibet: non potuerunt ergo religionis, et quidem talis amore, ad mendacium permoveri. Adde jam, quod viri fuerunt vitae ne ab adversariis quidem culpatae, et quibus nihil objicitur praeter solam simplicitatem, cujus ingenium a confingendo mendacio longissime abest.

XXXVIII. Tertium credibilitatis motivum petitur ex praeceptorum Christianae religionis eximia sanctitate circa Dei cultum, et officia proximo debita. Christiana Religio Deum ut mentem purissimam pura mente colendum docet, et iis operibus, quae suapte natura etiam citra praeceptum honestissima sunt. Sic non carnem vult circumcidi, sed cupiditates: non ab omni opere, sed ab illicito nos feriari: non pecudum sanguinem, aut adipem Deo sacrare, sed si opus sit, pro veritate ipsius testanda nostrum offerre sanguinem, et quae de bonis nostris egentibus damus, Deo data credere. Praecipua vero pars religionis ubique ostenditur

posita in firma, vividaque fide, qua et revelatis a Deo mysteriis assentimur, ac veluti stimulis quibusdam ad pie sobrieque vivendum urgemur: tum in pia fiducia, qua compositi ad fidele obsequium in Déum toti recumbimus, unde et spes exsurgit, et verus amor tum Dei, tum proximi; quo fit ut praeceptis ipsius pareamus, non serviliter poenae formidine, sed ut ipsi placeamus, ipsumque habeamus pro sua bonitate Patrem ac remuneratorem. Hic est Dei cultus in religione Christiana, quo certe nihil excogitari potest Deo dignius. Similia sunt quae adversus proximum exiguntur officia. Christi Lex omnino prohibet injuriam sive verbis, sive rebus factam reponere, ne, quam in aliis improbamus malitiam, rursum probemus imitando: bene fieri vult bonis quidem praecipue, sed et malis ad Dei exemplum, a quo Solem, astra, aërem, ventos, imbres habemus, communia in homines quosvis dona. Nihil plane egregium reperiri potest aut in Graecorum philosophicis scriptis, aut in sententiis Hebraeorum, aliarumve Gentium, quod non hic multo uberius pleniusque contineatur, et quidem ut sancitum divina auctoritate: puta de modestia, de temperantia, de bonitate, de morum honestate, de prudentia; de officio magistratuum et subditorum, parentum et liberorum, item conjugum inter se, maxime vero de vitandis vitiis, quae specie quadam honesti plurimis Graecis Romanisque imposuerunt; cupiditatibus scilicet honorum ac gloriae. Summa vero praeceptorum solida brevitate admirabilis est, ut Deum amemus super omnia, proximum vero sicut nos ipsos, id est, ut alteri faciamus quod nobis velimus fieri.

XXXIX. Quartum motivum est celerrima illa atque admirabilis Christianae religionis propagatio. Con-

veniebat divinae providentiae id efficere, ut quod optimum esset, pateret quam latissime. Id autem contigit religioni Christianae, quam ipsi videmus per Europam omnem, ne Septemtrionis quidem recessibus exclusis, doceri: nec minus per Asiam omnem: etiam ejus insulas in Oceano: per Aegyptum quoque, per Aethiopiam, et alias aliquot Africae partes: postremo et per Americam. Neque id nunc tantum fieri, sed et olim factum, ostendunt omnium temporum historiae, libri Christianorum, Acta Synodorum, vetus traditio nunc quoque apud barbaros conservata de itineribus ac miraculis Apostolorum. Jam suis temporibus quam late Christi nomen celebraretur apud Britannos, Germanos, aliasque ultimas gentes, notant Clemens, Tertullianus, et alii. Sequitur et hoc videamus, quibus instrumentis progressus fecerit Christiana religio. Qui illam primi docuerunt, non modo sine imperio omni fuerunt, sed et fortunae humilis, piscatores, textores et si quid his simile. Et horum tamen opera dogma illud intra annos triginta, aut circiter, non tantum per omnes Romani Imperii partes, sed ad Parthos quoque et Indos pervenit. Nec tantum ipso initio, sed per tria ferme saecula; privatorum opera, sine minis ullis, sine ullis invitamentis, immo renitente quam maxime eorum vi, qui imperia obtinebant, promota est haec religio; ita ut antequam Constantinus Christianismum profiteretur, haec pars Romani orbis prope major esset. Primis Christianismi Doctoribus sermo erat simplicissimus, et sine illecebris, sola praecepta, promissa, minas, nuda oratione proferens: quae cum per se nullam habeant efficaciam parem tantis progressibus, omnino necesse est statuamus, et miracula adfuisse, quae

in Actis Apostolicis, omnique historia tam sacra quam profana narrantur, et arcanam adfuisse Dei actionem huic negotio adspirantem. Adde, eam religionem a tot populis avidissime fuisse susceptam, quae effraenatis naturae cupiditatibus tam acerbe adversatur, cujus auctorem Cruci affixum fuisse Christiani ultro fatebantur, quamquam ignominiosum videri poterat talem Dominum colentibus. Adde, susceptam fuisse hanc religionem non ab iis, qui animum habebant certa norma religionis vacuum, ac proinde ductilem, multoque minus antecedente quadam institutione praeparatum, sicut Hebraei circumcisione, et unius Dei cognitione ad legem Moysis acceptandum idonei erant redditi; sed contra impletum opinionibus, et consuetudine, quae velut altera natura est, repugnante cum istis novis institutis, educati scilicet, legumque et parentum auctoritate confirmati in sacris paganicis, aut Judaicis ritibus.

XL. Quintum motivum suppeditant nobis impleta Prophetarum oracula, qui multis ante Christum saeculis illius ortum, vitam, mortem, caeteraque quae exinde futura erant, tam aperte et perspicue praenuntiarunt, ut quidam Gentilium suspicati sint, libros Prophetarum non ante; sed post Christi in terras adventum ab impostore quodam Christiano fuisse conscriptos: neque iis res futuras praenuntiari, sed peractas jam et impletas describi, solo tempore *futuro* in locum *praeteriti* substituto, ut historia speciem prophetiae praeseferret. Sed tam certum est vera haec esse, et sincera, ut id nemo sanae mentis in dubium vocare queat. Prophetarum oracula Judaeis Christianorum hostibus infensissimis fuerunt credita. Haec ab illis et Gentes omnes, et Christiani ipsi accepere. Haec Judaei non secus ac Chri-

stiani sancte colunt, et pro divinis oraculis habent, quamquam plena illa sint objurgationibus, et minacibus vaticiniis ad frangendam Judaeorum superbiam, contumaciam, obstinationem. Haec in Graecum sermonem longe ante Christi tempora translata sunt, atque ita per orbem universum omnium trita manibus; ut si quid in scriptis Propheticis interpolare tentassent Christiani, id statim animadverti potuisset, non a Judaeis tantum, sed ab ipsis Ethnicis. Quam prompte itaque detexissent palam Judaei falsitatem, si pro sinceris Prophetarum oraculis Christiani supposita vaticinia protulissent.

XLI. Aliqua itaque Prophetarum de Christo et Ecclesia vaticinia in medium proferenda sunt, ut suum argumento constet robur. Messias ex virgine nasciturus praedicitur Isaiae VII. v. 14. *Ecce virgo concipiet, et pariet filium.* Michaeas Cap. V. v. 2. locum in quo nasceretur Messias designat. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis.* Messiam a Regibus e remotis terris venientibus adorandum esse praedixit Regius Psaltes Psal. LXXI. v. 10. *Reges Tharsis et Insulae munera offerent: Reges Arabum et Saba dona adducent.* Caedem infantium in Bethlehem vaticinatus est Jeremias Cap. XXXI. v. 15. *Vox in excelso audita est lamentationis, luctus, et fletus Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari super eis, quia non sunt.* Fugam Messiae in Aegyptum, et reditum in terram Israel praenuntiavit Oseas Cap. XI. v. 1. *Ex Aegypto vocavi filium meum.* Praecursorem fore aliquem, qui praedicationi Messiae populum praepararet, praedixit Isaias Cap. XL. v. 3. et seq. *Vox clamantis in deserto: Pa-*

rate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri etc. Prodigia a Messia patranda enumerat Isaias Cap. XXXV. v. 4. etc. *Deus ipse veniet, et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum.* Judae proditionem et pretium triginta denariorum designat Zacharias Cap. XI. v. 12. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Manuum et pedum perforationem Propheta regius Psal. XXI. v. 17. *Foderunt manus meas et pedes meos.* Vestimentorum divisionem ibidem v. 19. *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Acetum, quo potatus in Cruce, Psal. LXVIII. v. 22. *In siti mea potaverunt me aceto.* Derisionem, et capitum contumeliosam motionem Psal. XXI. v. 8. *Omnes videntes me, deriserunt me; locuti sunt labiis, et moverunt caput.* Deprecationem pro crucifixoribus Isaias Cap. LIII. v. 12. *Et pro transgressoribus rogavit.* Solis deliquium Amos Cap. VIII. v. 9. *In die illa occidet Sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis.* Ignominiosam mortem inter duos latrones Isaias Cap. LIII. v. 12. *Tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est.* Resurrectionem Christi a mortuis Psal. III. v. 6. *Ego dormivi, et soporatus sum: et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.* Ascensionem Psal. LXVII. v. 19. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem.* Missionem Spiritus Sancti Joel. Cap. II. v. 28. *Effundam spiritum meum super omnem carnem: et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae.* Conversionem Gentilium ad Christum Isaiat Cap. XLIX. v. 6. *Ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.* Et Zacharias

Cap. II. v. 10. *Lauda et laetare Filia Sion: quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur Gentes multae ad Dominum in die illa, et erunt mihi in populum.*

XLII. Haec omnia in Christo ad apicem impleta fuisse tradunt ipsissimis fere Prophetarum verbis Apostoli et Evangelistae testes oculati, aut oculatorum discipuli, qui nec decipere voluerunt, cum fuerint viri simplices, et vitae probitate conspicui: nec decipere potuerunt, cum ea quae narrant, facta sint publica, maximi momenti, omnibus nota; eoque scripserint tempore, quo fraus omnis facillime detegi potuisset. At vero quamvis saepius ad Judicum, sive Judaeorum sive Gentilium, tribunalia steterint, nunquam tamen fraudes ac doli accusati fuerunt: cujus si vestigium aliquod extitisset, non id sane reticuissent eorum tum accusatores, tum Judices.

XLIII. Atqui verae Prophetiae quae eventu completur, author esse alius non potest quam Deus. Ergo evidenter credibile est, Christianismum esse veram Religionem a Deo revelatam authoremque hujus religionis nempe Christum, et quae ad eum pertinent, a Prophetis fuisse praenuntiata, ut homines eo certius dignoscerent doctrinam Christi esse veram, eamque promptius amplecterentur. Minor subsumpta probatur. Prophetia proprie et stricte sumpta, est certa rei liberae et contingenter futurae cognitio, et praedictio, quae superat vires intellectus cujuslibet creati. Ergo authorem alium habere non potest quam Deum, qui solus increatus est omnium creaturarum Opifex. P. A. I. ex communissimo consensu omnium hominum, etiam paganorum, qui ut futuri cognitionem adipiscerentur, ad oracula quae-

dam, ad signa divinitus quasi instituta recurrébat, et commercium nescio quod cum aliqua divinitate fingebant. Ergo etiam Pagani sentiebant, praedictionem rerum libere et contingenter futurarum alium authorem habere non posse, quam Deum, eamque legitimum esse authoritatis fundamentum, et argumentum. II. Ratione. Si homo, vel Angelus posset naturaliter futura contingentia cognoscere, vel in se ipsis, vel in alio ea cognosceret. Atqui neutrum dici potest. Non in se ipsis; nam nondum existunt: Si in alio; vel in causis creatis, vel in praescientia divina. Non in causis creatis; nam causae illae vel non sunt determinatae ad hos effectus, sive ad haec futura; vel etiam aliquando non existunt: Si vero in praescientia divina, jam non naturaliter cognoscuntur haec futura. Ergo solus Deus est auctor Prophetiae proprie et stricte sumptae. Ex quo colliges, daemones neque intimas hominum cogitationes, neque futura contingentia certo cognoscere; sed eos tantum effectus, qui naturaliter humanam quidem excedunt cognitionem, sed non angelicam; eaque illos praenuntiare posse, quae ipsis cernentibus ac testibus facta sunt, vel quae ipsi faciunt, vel quae signis naturalibus futura praenoscunt. Nec in hoc quidquam stupendum est: Neque enim quia Medicus praenoscit, quod praevidere nescit hujus artis ignarus, ideo jam divinus habendus est.

XLIV. Verum si tanta est Prophetiarum perspicuitas, qui fit, ut Judaei, viri utique perspicaces sicut et caeteri hominum, earum evidentiam non agnoscant? R. Id aequissimo Dei judicio fieri, quo in scelerum, et perpetrati Deicidii poenam homines inveteratae malitiae suis tenebris relinquuntur; sapientissimo

sane divinae providentiae consilio, quo fit ut maneat inconcussa veritas Scripturarum, quae et Judaeos obcaecationis et obdurationis arguunt, et a Judaeis tamen religiose servantur, ut nulla possit suboriri suspicio collusionis Christianos inter et Judaeos, horum hostes infensissimos, et a quibus Christiani sacros codices accepere. Adde, quod haec ipsa Judaeorum obcaecatio evidenter probet et sinceritatem prophetiarum, et Christianae religionis veritatem. Perspicue enim a Prophetis, praesertim ab Isaia praedictum est, tantam fore ingrati hujus populi obcaecationem ad finem usque saeculorum.

XLV. Sextum motivum praebet innumerabilis multitudo, et constantia Martyrum. Non modo ab honoribus arcebantur Christiani ob novae ac peregrinae religionis professionem, verum etiam iis afficiebantur tormentis, quibus crudeliora nulla reperiri poterant: supplicia vero ad mortem tam erant frequentia, ut testentur illorum temporum Scriptores, nulla fame, nulla pestilentia, nullo bello plus hominum uno tempore absumptum. Nec vulgaria erant mortium genera, sed vivicomburia, cruces, atque id genus poenae, quae sine maximo horrore legi aut cogitari non possunt: atque haec saevitia, quae non longis interpositis spiramentis, et his ipsis non ubique, ad Constantini ferme tempora in orbe Romano, alibi longius duravit, adeo eos non imminuit, ut contra sanguis eorum semen esse diceretur: ita repisis plures succrescebant. Neque viri tantum plebei, durisque laboribus exerciti, tormenta acerbissima, mortemque pro Christo pertulerunt, verum etiam persaepe nobilitate sanguinis illustres, summis Magistratibus functi, mulieres, virgines, adole-

scentes, quibus nec appetitus inerat, nec spes probabilis duraturi nominis; sicut et pauci sunt, quorum nomina in Martyrologiis existant, pro numero eorum qui eam ob causam supplicium tolerarunt. Atqui ex tanta illa multitudine omnis generis, sexusque hominum tot locis ac saeculis distinctorum, qui pro hac religione mori non dubitarunt, merito inferendum est, magnam aliquam tantae constantiae fuisse causam, quae alia cogitari non potest, quam lux veritatis, et Dei Spiritus. Neque enim satis congruere videtur divinae bonitati, ut in re tanta errare sineret, ac pro re inutili et falsa mori homines tam multos, tantoque erga se amore succensos.

XLVI. Enumerari possent gravissima alia motiva, nempe efficacia, qua Religio Christiana cultores suos ad eximiam sanctitatem perducit: duratio ejusdem religionis ab initio Evangelicae praedicationis ad nostra usque tempora: probitas, eruditio, ac sapientia eorum, qui primis Ecclesiae saeculis Christianam religionem amplexi sunt, quod diligenti inquisitione, qualis viros prudentes in maximi momenti negotio decet, comperissent veram et firmis testibus subnixam fuisse famam, quae de miraculis a Christo editis percrebuerat: mirabilis potestas, quam primis maxime Ecclesiae temporibus, Christiani in daemones exercuerunt, ut patet ex *Tertulliani* Apologetico contra Gentes Cap. XXIII: gravissima poena, nempe eversio Urbis Jerosolymitanae, qua Deus in Judaeos animadvertit, juxta vaticinium Danielis, ob necem Christo illatam: quae omnia brevitatis studio praetermittimus; cum ab aliis passim Theologis uberius sint pertractata.

XLVII. Vere o Domine *Testimonia tua credibi-*

lia facta sunt nimis. Psal. XCII. v. 5. Liquidissima Christianus quilibet perfundatur voluptate necesse est, dum motiva expendit, quibus mysteria Christianae Religionis evidenter credibilia redduntur. Illico enim deprehendit, Evangelicam doctrinam dignissimam esse, cui fides adhibeatur summa cum adhaesione et certitudine, tanquam rei a Deo summe veraci revelatae. Intellectus cognoscit mysteria nostrae fidei esse talia, ut merito credat esse a Deo revelata: voluntas ex pio erga primam veritatem affectu, et ipsius reverentia, magno conatu intellectum illico impellit, ut quod sibi per evidentia credibilitatis motiva credendum proponitur, propter Dei loquentis auctoritatem firmissime credat; revelationem vero ipsam propter illius veritatem objectivam, per illustrationem supernaturalem suasive propositam. Neque ullum ex eo oritur incommodum, quod homo Christianus his motivis adjuvetur ad firmius credendum. Quamvis enim mysteria fidei non propter humanam rationem, sed ob Dei loquentis autohoritatem credenda sint; motiva tamen, quibus evidenter credibile esse ostenditur, quod Deus auctor sit Christianae religionis, cum laude expendit possunt, tum ut majori cum affectu et fervore voluntas imperet intellectui assensum mysteriorum nostrae fidei propter authoritatem Dei revelantis: tum ut fideles in vera fide confirmari ac roborari, infideles vero ad eam amplectendam facilius induci queant.

OBJECTIONES.

XLVIII. *Objicitur I.* in genere infirmitas argumenti, quod ex miraculis ducitur. Miraculum est opus supra vires totius naturae creatae. Atqui incertum est dari ejusmodi opera. Ergo pariter incertum est dari mi-

racula. Ergo nullius ponderis est argumentatio ex miraculis ducta. P. m. Omnes naturae vires et proportiones perspectas non habemus. Ergo incertum est dari opera, quae totius naturae creatae vires exceedunt. R. C. M. N. m. Ad *probat*. D. A. Perspectas non habemus positive, C. A. Negative, N. A, et C. Quamvis quousque pateant agentium naturalium vires semper et praecise determinare non possimus, sunt tamen quae ex ipso rationis lumine, et communi hominum judicio ex experientia quotidiana viribus tum naturae tum artis impervia esse constat. Sic ad quem gradum celeritatis pervenire homo possit currendo, prorsus nos latet; at optime novimus, illum non posse uno die iter Vienna Constantinopolim conficere. Nescimus quem gradum virium habere possit homo; at optime novimus, illum non posse montem humeris ferre. Sic quamvis definiri nequeat, quousque in sanandis morbis sese protendat hominum industria; attamen citra temeritatem affirmare possumus, morbos quoscunque solo verbo et nutu, et quidem instantanee, naturaliter sanari non posse, multoque minus defunctos ad lucem revocari. Pariter quamvis mechanicae artis auxilio ingentia pondera medio in aere, aut super aquas suspendi possint; certum est tamen absque ulla machina, absque ullo corpore interjecto, suspensionem in aere, aut super aquas deambulationem vires omnes humanas superare. Itaque si possibilem vel actualem proportionem causam inter creatam et effectum non percipimus, et praesertim si manifesta sit repugnantia, opus illud merito totius naturae creatae vires superare, verumque miraculum esse legitime judicamus.

XLIX. *Dices I.* Saltem non est certum, quod De-

us permittere non possit miraculum in testimonium falsi. Ergo ex miraculis evinci nequit veritas religionis. R. N. A. Id enim repugnat veracitati, bonitati, sapientiae divinae. Repugnat veracitati divinae. Cum enim Deus sit causa principalis omnium miraculorum, foret etiam causa principalis illius, quod in confirmationem erroris patraretur. Ergo foret etiam causa principalis illius erroris. Repugnat bonitati, Deus enim in illa hypothesi homines in miseriam quasi invitos, et obtorto collo detruderet. Ita enim a natura facti sunt homines, et compositi, ut ex una parte nullam doctrinam nisi veram, aut saltem veritatis colore illitam admittere velint; ex altera vero alte infixum animo habeant, miraculum verum et proprie dictum esse certum veritatis signum. Jam vero repugnat divinae bonitati, hac perspecta hominum dispositione, ipsius manu eorum cordibus impressa, iis propinare, tanquam causam principalem, vera miracula in confirmationem erroris, et creaturam ineluctabiliter in errorem detrudere. Repugnat denique sapientiae divinae; quia Deus finem non obtineret, ob quem miracula instituit, nempe ad destruendum errorem, et veritatem confirmandam.

L. *Dices II.* Daemon multa in Scripturis legitur patrasse miracula, non utique ad veritatem, sed errorem confirmandum. Ergo. P. A. I. *Genes. III.* legitur, serpentem cum Heva locutum fuisse. II. *Exodi VII.* de Magis Aegyptiacis dicitur, quod *fecerint similiter* ac Moyses. Ergo cum opera Moysis fuerint vera miracula, idem dicendum erit de operibus Magorum. III. *I. Regum Cap. XXVIII.* Mulier Pythonissa Samuelem ab inferis revocavit. IV. Antichristus II. ad *Thessalon.* et in *Apocalypsi* multa dicitur patraturus prodigia. R. D.

A. Daemon multa legitur patrasse miracula improprie talia, id est, mirabilia, quae vires quidem naturae humanae, sed non totius naturae creatae, nempe Angelicae superant, C. A. Miracula vere ac proprie talia, quae totius naturae creatae vires superant, et de quibus hic unice est sermo, N. A. Ad I. R. Id nullum fuisse verum miraculum, cum daemon eo modo, quo obsessorum corpora movet, serpentis linguam ad verba proferenda agitaverit. Ad II. R. Magos similiter fecisse quantum ad res productas, non quantum ad modum producendi. Neque enim Magorum serpentes a daemonibus creati sunt, sed e vicinis locis in regiam Pharaonis ministerio daemonum delati. Cum vero Moysis exemplo sciniphes educere tentarent, compressa fuit a Deo daemonum potestas, ac limitata est permissio, quam Deus prius iis concesserat, utendi nativa potestate. Ex quo colliges opera illa Magorum vera non fuisse miracula, sed effectus daemonum, illorum viribus pares. Ad III. Respondent aliqui cum Tertulliano, Theodoreto etc. non ipsum Samuelem, sed illius phantasma daemonis opera confictum Sauli apparuisse, quod utique daemonis vires non excedebat. Communior autem Scripturae interpretum opinio est, cui plerique patrum, S. Ambrosius, S. Hieronymus etc. atque ipsae divinae Scripturae favere videntur, Ecclesiastici Cap. XLVI: *Et post hoc dormivit*, (Samuel) *et notum fecit Regi, et ostendit illi finem vitae suae, et exaltavit vocem suam de terra; in prophetia delere impietatem gentis*, veram Samuelis animam in corpore aereo assumpto apparuisse, non daemonis virtute, sed Dei imperio, praeveniente Deo conatus mulierculae, quae repentino Samuelis adventu, antequam magicas suas artes absolveret, vehementer tur-

bata est. Quod si etiam diceretur, Deum in poenam Saulis potuisse uti daemone tanquam instrumento ad manifestandam veritatem, ex cujus cognitione ac praevisione Saul magis cruciaretur, nihil sane affirmaretur inconveniens, aut rationi repugnans. Ad III. R. Ab Antichristo non patranda fore vera miracula, sed falsa; opera nimirum quae vires daemonum non excedunt.

LI. *Dices III.* Miraculum nullam per se habet connexionem cum veritate. Ergo ex miraculis evinci nequit vera religio. P. A. Miraculum cum doctrina consociatur ex solo hominis testimonio. Ergo nullam habet per se connexionem cum veritate R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Quvamvis miraculum per se, et independenter ab hominis testimonio connexionem non dicat cum hac determinata doctrina; posito tamen illo testimonio connexionem dicit cum veritate hujus doctrinae. Quippe Dei attributa, nempe bonitas, justitia, veracitas, etc. non tantum vetant ne miraculum mendacio inserviat; verum etiam ne miraculi operatio cum doctrina falsa consocietur. Eo ipso enim, quod miraculum per se generatim veritati confirmandae sit destinatum, repugnat illud doctrinae falsae conjungi. Nam qui miraculum doctrinae falsae consociat, fidei sibi debitae litteras proferret, Deique potestatem pro tali casu sibi concessam depromeret, miraculum proprie dictum edendo. Ergo Deus fieret in casu dato doli et mendacii assertor, quod tamen vetant Dei sapientia, veracitas etc.

LII. *Objicitur II.* Incertitudo miraculorum Christi. Si certa, atque indubitata fuissent miracula Christi, debuissent Judaeorum assensum rapere, eorumque mentionem fecisset Josephus Flavius. Atqui Judaei Christi miracula non admisere: altumque est de illis apud Jo-

sephum silentium. Ergo miracula Christi non sunt certa, aut Magicae arti adscribi possunt. R. D. M. Debuissent Judaeorum assensum rapere quoad miraculorum realitatem, C. M. Quoad doctrinae veritatem, subdist. Debuissent consequentia morali, C. Necessaria, N. M. Judaei miracula Christi saepe fateri coacti sunt; doctrinam vero Christi constanter negaverunt, quod pravis eorum cupiditatibus adversaretur. Josephum Flavium quod spectat, etsi is siluisset, certitudo miraculorum Christi idcirco minime nutaret: At vero non siluit, sed luculentum Christo perhibuit testimonium Lib. XVIII. Antiquit. Judaic. Cap. IV. Caeterum miracula Christi arti Magicae adscribi non posse, ostendimus Numero XXXVI.

LIII. *Dices I.* Testimonium Josephi Flavii, a nobis Num. XXXV. exhibitum, a Christiano aliquo posteriorum temporum assutum fuit. Ergo. P. A. Origenes testatur, a Josepho Flavio Christum non esse agnitum. Ergo in illo codice Josephi, quem habuit Origenes; non extabat illud testimonium. R. N. A. In omnibus exemplaribus tam editis, quam ineditis, quae ad nos pervenerunt, exstat illud testimonium, hujusque expressam mentionem faciunt antiquissimi Scriptores, *Eusebius* Lib. I. Hist. Eccl. Cap. XI. *S. Hieronymus* Lib. de Script. Eccles. *S. Isidorus Pelusiota* Lib. IV. Epist. CCXXV. *Sozomenus* Lib. I. Hist. Eccles. Cap. I. *Cedrenus* in Hist. Comp. *Nicephorus* Lib. I. Hist. Cap. XXXIX. *Suidas* in Lexico. Profecto si verba illa non semper extitissent in Josephi libris, Eusebius illa non adhibuisset tanta confidentia contra Judaeos ac Gentiles. Nonne Judaeorum irrisioni obnoxius fuisset, et calumniatoris vel falsarii notam subiisset, qui locum supposititium citabat? Idem dic de S. Hieronymo, cui certe ignota non

C 5

fuisset Manuscriptorum varietas. Ad *probat.* R. Origenem id unum mirari, non quod Josephus Christum non agnoverit; sed quod fidem Christianam amplexus non fuerit, quamvis tam honorifice de Christo, fidei nostrae auctore et senserit, et scripserit.

LIV. *Dices II.* De miraculis Christi constare nobis tantum potest ex aliorum testimonio. Ergo non sunt certa, et indubitata. P. C. Ut per viam testimonum facti alicujus veritas teneatur: debet constare de singulorum testium probitate ac propensionibus. Sed de his non constat; nam Judaei passim censentur gens leviter credula, et superstitiosa: Christiani in causa propria testes legitimi non censentur. R. N. C. Ad *probat.* D. M. Ut facti alicujus privati et particularis veritas teneatur, C. M. Facti alicujus publici, et multis saeculis constanter asserti, N. M. Licet v. g. Romam propriis oculis non conspexerim; licet singulorum, qui Romae existentiam asserunt, probitatem et privatas propensiones non discusserim; de hujus tamen Urbis existentia ita certus sum, ac si eam propriis oculis vidissem.

LV. *Dices III.* Christus ipse dubiam habuit miraculorum suorum veritatem. Ergo miracula illa non sunt certa P. A. Ille miraculorum suorum veritatem dubiam habuit, qui ea publicari noluit. Atqui Christus noluit miracula sua publicari. Ergo. R. N. A. Ad *probat.* D. M. Ille miraculorum suarum veritatem dubiam habuit, qui ea publicari noluit, quia revera in se dubia aut fucata erant, C. M. Qui ea publicari noluit ex certa quadam speciali ratione, et quibusdam miraculis propria, N. M. Et sic distincta minore, N. C. Christus passim Divinitatem suam eruit, et causam suam tuetur ex miraculis a se patratis, tum quoad eorum splendorem,

tum quoad eorum publicitatem. Si ergo certis quibusdam in casibus silentium imperet, et latebras quaerat, haec agendi ratio non ex eo oritur, quod miracula illa dubia ac fictitia esse ipse sentiret; sed ex causa, circumstantiis et operibus illis propria et relativa. Sic *Matth. VIII.* vetuit Christus leproso, ne prodigiosam illam sanationem manifestaret, priusquam secundum Legem a Sacerdotibus sanus fuisset pronuntiatus; quia illi pro sua in Christum invidia, facile potuissent eum a lepra mundatum non esse, pronuntiare, si publica hujus prodigii fama hominem hunc antevertisset. *Matth. IX.* Christus caecis a se domi intra privatos parietes illuminatis comminatus est, *Videte ne quis sciat*; quia hoc silentio omnem calumniae et cavillationi ansam praecidere voluit, certus alia miracula quae in publico fecerat, et quotidie palam operabatur, abunde sufficere ad muniendam suam authoritatem. *Marci VIII.* caeco prope Bethsaida sanato ait Christus: *Vade in domum tuam, et si in vicum introieris, nemini dixeris*, quia hujus miraculi cognitione Bethsaitas fraudare voluit, sicque pertinacem illorum animum plectere, juxta illud *Matth. XI. Vae tibi Corozaim, vae tibi Bethsaida etc.* Indigni enim erant Bethsaitae, qui nova viderent miracula, quibus otiosa fuerant vetera.

LVI. *Dices IV.* Si certa forent miracula Christi, tunc ideo, quia id ex revelatione, seu Verbo Dei scripto habetur. Atqui id dici nequit sine manifesta petitione principii; quia qui negat miracula Christi, hoc ipso negat etiam existentiam Verbi Dei scripti, et veritatem Ecclesiae Christianae. Ergo. R. N. M. Infallibilis ac metaphysica miraculorum Christi certitudo habetur equidem ex Verbo Dei, factaque Ecclesiae revelatione;

at vero certitudo moralis illorum stricte talis, quae omne prudens dubium excludit, et de qua sola in praesentiarum agimus, habetur ex constanti atque antiquissima Christianorum omnium persuasione : ex confessione etiam Gentilium, et Judaeorum. v. g. Josephi Flavii, Porphirii, Celsi, Juliani etc. ex auctoritate Historicorum, praecipue Evangelistarum et Apostolorum, quos hic nondum consideramus ut Scriptores Sacros, et divinitus inspiratos, sed ut historicos, quos ex Criticae regulis omni fide dignissimos esse cognoscimus, qui paulo post mortem Christi, viventibus adhuc quam plurimis etiam adversariis, quibus perspectae erant res a Christo gestae, libros suos conscripsere; nunquam idcirco in jus vocati, aut mendacii, vel fraudis alicujus convicti.

LVII. *Dices V.* Sana ratio dictat, aut falsa narrari ab Evangelistis, aut miracula Christi vana fuisse oculorum ludibria. Ergo. P. A. Sana ratio ~~dictat~~, turbari potius leges naturae in ordine morali, id est, homines abuti ratione sua, quam turbari leges naturae in ordine physico, a Deo sapientissime stabilitas. Ergo facilius percipitur, homines ratione sua abusos fuisse haec miracula sibi persuadendo, quam toties a Deo perturbatas fuisse naturae leges in ordine physico stabilitas. R. N. A. Ad *probat*, iterum N. A. Facilius percipimus turbari posse leges naturae in ordine physico, quam iu ordine morali : nam leges in ordine physico stabilitae sunt ex positiva et arbitraria Dei voluntate. Ergo eas pro nutu et arbitrio mutare potest : at leges in ordine morali sunt quaedam principia certa et inconcussa, quarum mutationi obstant Dei attributa. Deus potest habere motivum se dignum ad perturbandas leges praedictas in ordine physico; nullum vero habere po-

test perturbandi leges illas in ordine morali. Cui enim rei inserviret talis moralium legum turbatio ? An Dei gloriae ? An hominum utilitati? Leges illae in hoc ordine morali sunt medium a Deo optimo et veracissimo hominibus datum ad stabiliendam factorum veritatem: non ita leges in ordine physico. Profecto quis eo usque desipiat, ut putet Deum vel per se facere, vel permittere posse, ut omnes homines simul et universim insaniant, suam naturam, sibique apprime congenitos sensus exuant ?

LVIII. *Objicitur III.* Incertitudo Resurrectionis Christi. Resurrectio Christi nititur testimonio mulierum, et discipulorum. Atqui testimonium illud est illegitimum. Ergo. Prob. min. Mulieres inani plerumque credulitate laborant, facileque mediis in tenebris Angelos sibi fingere potuerunt, timore correptae, et ob Christi mortem moerentes. Adde, quod testimonium mulierum Apostoli contempserint. Neque Discipulorum testimonium aliquid probat: dum enim Christi resurrectionem testantur rem sibi decoram referunt, et propriam causam agunt. Accedit, quod discipuli in Emmaus proficiscentes Christum toto itinere non agnoverint, eumque dum agnoscere se putant in fractione panis, Christus subito ab eorum oculis evanuerit, quod umbrae magis, quam corpori solido competit. R. N. m. Ad *probat.* ajo, mulierum credulitatem hic objici non posse, non enim hic agitur de audita, aut de rumore sparso; sed de visu. Ergo tam parum deceptae fuere, ac quingenti illi quibus Christus ante ascensionem suam spectandum se dedit. Timor mulierum non praecessit, sed subsecutus est Angelorum visionem. Deinde Angeli non a solis mulieribus, sed etiam ab ipsis custodibus conspecti fue-

runt. Neque dici verisimiliter potest, earum phantasiam spe atque expectatione resurrectionis Christi fuisse perturbatam; adeo enim de resurrectione diffidebant, ut corpori ungendo aromata ferrent, et anxie quaererent, quis lapidem revoluturus esset a monumento. Discipulorum difficultas ad credendum mulieribus, resurrectionis certitudinem mirum in modum confirmat; evincit enim magnam eos adhibuisse cautionem ne deciperentur, probatque, eos soli evidentiae cessisse. Altera objectionis pars omni pariter fundamento destituitur. Qui enim concipiat discipulos vanitati operam dare eo mortuo, a quo omnia sperabant? Cujus commodi consequendi spe, aut cujus periculi vitandi gratia mentiri ipsis volupe fuerit, aut cur ad quingentos testes provocant? Vide dicta Num. XXXVII. Discipuli in Emmaus proficiscentes, toto itinere Christum non agnoverunt, vel quia is exteriorem corporis formam immutaverat ne statim agnosceretur; vel quia discipuli distractione sensuum impediebantur. Posteaquam vero illum in fractione panis agnoverunt, evanuisse dicitur Christus, id est, conspici ab illis desiisse, quod sane corporis antea visi realitati minime obstat.

LIX. *Dices I.* Nulla datur ratio praeferendi testimonium Apostolorum testimonio Judaeorum, qui ex relatione militum testantur, corpus Christi clam fuisse a discipulis subductum. Ergo. R. N. A. Hoc Judaeorum commentum est evidenter incredibile: Nam I. Discipuli pauci numero, natura pavidi, rudes et simplices, ex morte Christi consternati; numerosam militum cohortem, quae ad monumentum in rupe excisum excubabat, nec fallere, multoque minus expugnare poterant. II. Corpus Christi a discipulis clam sublactum fuisse vel ex proprio visu resciverunt mili-

tes, vel ex confessione Apostolorum. Atqui non ex proprio visu, dormivisse enim dicuntur: Non ex confessione Apostolorum, id enim neque ante, neque post rei hujus executionem unquam aperuerunt Apostoli. III. Judaei gravissime animadverti postulassent in Custodes milites ob negligentiam; in Apostolos ob furtum. IV. *S. Matthaeus*, qui paucis post ascensionem Christi annis; Evangelium suum conscripsit, eo nimirum tempore; quo manifestae falsitatis facile argui potuisset, si falsa scripsisset, Judaicum hoc commentum toti orbi manifestavit, et Judaicae perfidiae larvam detraxit; ait enim Cap. XXVIII. *Ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt Principibus Sacerdotum omnia quae facta fuerunt. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit a Praeside, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus. At illi accepta pecunia fecerunt, sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judaeos usque in hodiernum diem.* Quae relatio si mera calumnia fuisset, a Judaeis diligentissime fuisset confutata, sumptumque illico fuisset de Apostolis supplicium ob intollerabilem injuriam Principibus populi, totique Synagogae irrogatam. At siluerunt Judaei, hocque silentio suo vera Apostolum scripsisse comprobarunt.

LX. *Dices II.* Christus apparens Magdalenae, vetuit ne ab ea tangeretur. Joan. XX. v. 17. *Noli me tangere.* Atqui nulla alia de causa Magdalenae conatus compressit, nisi quia verebatur, ne mulier illa errorem tandem agnosceret, seque vano phantasmate delusam animadverteret. Ergo. R. N. min. Non omnem sui conta-

ctum Christus prohibuit, sed diuturnum, tenacem, ac longiorem pro illo tempore, illum nempe, qui maximo ardore et affectu fieri solet inter eos qui ultima miscent colloquia. Nempe B. Magdalena pedes Christi tenaci amplexu tenebat, ita ut nollet eos dimittere, quasi Christum ultimo conspectura. Intempestivum esse hunc ardorem declarat Christus duplici de causa; quia iterum eum esset visura, et quia longior hic amplexus eam remorabatur, quo minus discipulos statim certiores faceret resurrectionis Christi. *Nondum ascendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos.* Profecto si Christus metuisset, ne fraus detegeretur, a pluribus magis quam ab una muliere timendum ei fuisset. Atqui Apostolis omnibus non modo videndum, sed etiam palpandum se praebuit Lucae XXIV. *Palpate et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes.* Joan. XX. *Deinde dicit Thomae: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum: et noli esse incredulus, sed fidelis.*

LXI. *Dices III.* Notitia de resurrectione Christi est tantum privata, quia paucis post mortem apparuit. Atqui notitia privata in re tanti momenti non sufficit, sed publica est opus: Ergo. R. I. N. M. Publica enim fuit resurrectio Christi ex terrae motu, atque ex vacuo sepulcro, quod omnibus scrutari licebat; quia evidenter incredibile erat Apostolos corpus Christi clam subduxisse. Publica fuit resurrectio Christi militibus, qui Angelum de coelis descendentem, lapidem revolutum, et caetera omnia, quae ad sepulcrum contigerant, propriis oculis viderunt. Publica fuit Scribis et Pharisaeis, ac Principibus Sacerdotum, qui a militibus quae ad se-

spulcrum acciderant, audierunt, et miracula ab Apostolis patrata non agnoscere non potuerunt. Publica denique fuit, quia Christus post mortem suam plus quam quingentis testibus apparuit. R. II. Nego etiam minorem. Sufficit enim notitia etiam privata, neque ita publica, si legitimis comprobetur argumentis. Nam ut quis de re aliqua moralem habeat certitudinem, minime necesse est, ut eam propriis viderit oculis: alioquin de rebus omnibus, quarum quis testis oculatus non fuit, illi dubitandum foret.

LXII. *Dices IV.* Si Christus vere a mortuis surrexisset, debuisset in conspectu omnium Judaeorum e sepulcro egredi, aut saltem Judaeis omnibus spectandum se praebere. Atqui hoc minime factum est. Ergo. R. N. M. Sufficit apparitio legitimis, et sufficienti numero testibus facta. Vel enim semel tantum Christus a morte redivivus apparere debuisset Judaeis omnibus; et tunc apparitio illa oculorum illusio postea fuisset habita: vel toties ea apparitio fuisset repetenda, quoties Judaei id postulassent; et tunc Christus per mortem ab hominum commercio separatus, debuisset modo tam familiari ac antea inter eos conversari, quod omnino absurdum est. Adde, Judaeos suo Deicidio tali apparitione indignos se praebuisse, et Prarisaeos ac Principes Synagogae, si eorum indoles spectetur, his apparitionibus fidem non fuisse adhibituros: ut patet exemplo Lazari, quem certo sciebant et mortuum esse, et inspectante multa Judaeornm turba a Christo vitae fuisse restitutum; neque tamen idcirco permoveri poterant, ut doctrinae Christi adhaererent. Vide *Gregorium Simon* in Tractatu de vera Religione, Tomo II. et III.

LX II. *Objicitur IV.* Infirmitas argumenti ex pro-

pagatione religionis Christianae petiti. Christiana religio armis plurimum debet. Ergo ex illius propagatione nihil infertur, P. A. Ex historia primorum saeculorum novimus, initio non nisi paucos maxime rudes Christo nomen dedisse, doctos ac nobiles diu restitisse, donec a Christianis Imperatoribus proscripta idololatria, et gentilium fanis subversis, vi et armis ad eam religionem adigerentur. R. N. A. Quamvis initio Christiana religio fuerit semen minimum, ut Christus praedixerat: id tamen mox a morte ipsius, intra paucos annos, ac multo magis primo alteroque saeculo, totum Romanum Imperium latissime patens occupavit: imo ad barbaras etiam gentes ignoti alias nominis pervasit, cujus rei luculentissimos testes habemus Apostolum in Epist. ad *Rom.*, *S. Justinum* M. in Apologia, *Tertullianum* in Apologetico Cap. XXXVII, *Svetonium*, *Tacitum*, *Plinium* juniorem. Falsum est etiam primis saeculis non nisi rudes et plebejos ad Christiana sacra transiisse. Certe *Hegesippus* Apud *Eusebium* Lib. II. Hist. Eccles. Cap. XXII. testatur, primores quosdam Hierosolymitanae urbis credidisse. Quam multi vero e Gentilibus litterati, qui Christianorum sacra amplexi sunt, Pantaenus, Clemens Alexandrinus, Justinus, Origenes, Athenagoras, Tertullianus, Arnobius, Lactantius, aliique Philosophi praestantissimi; tot certe, ut *Eusebius* Lib. II. Hist. Eccles. de primis temporibus scripserit, *Viros insignes litteris et pietate, qui Apostolis successere per orbem terrarum, se numerare non posse, ac eos tantum commemorare, quorum sua aetate scripta supererant.* Equis autem calculum inire velit omnium Episcoporum, virorum certe minime rudium, qui per trecentos annos in Asia, Africa et Europa frequentissimas gubernarunt

Ecclesias? Nec defuerunt primis saeculis personae nobilitate et dignitate illustres, ex quarum numero erant illi, de quibus Apostolus ad Philipp. IV. v. 22. scribit: *Salutant vos omnes Sancti, maxime autem qui de Caesaris domo sunt.* Falsum denique plerosque Christianorum vi et armis ad eam religionem adactos fuisse. Quid enim armis pro hac religione prioribus tribus saeculis usque ad Concilium Nicaenum gestum est? An non e contrario totis imperii Romani viribus, et inferni furiis contra illam pugnatum saevitumque est? Quid vero patiendo, moriendoque Christiani effecerint, repente ad stuporem orbis cognitum est, dum sublato libertatis vexillo per Constantinum, Romanus orbis subito Christianum se esse miratus est.

LXIV. *Dices.* Certum est ex historia medii aevi, plures gentes Germanorum, Hungarorum, Normanorum, Danorum etc. armis ad religionem Christianam aut illectas, aut compulsas fuisse. Idem naviter jam antea egerant Imperatores Orientis, et Occidentis Saec. IV. et V. contra Idololatras. Ergo. R. D. A. Armis actum est ante religionem in potiori orbis parte stabilitam, N. A. Post religionem stabilitam et dominantem, T. A. Tota via aberrant illi, dum quod Christiana religione jam in orbe dominante gestum a Christianis interdum est, malitiose conferunt cum iis, quae Mahometus ad religionem suam introducendam agi voluit, egitque. Ignorare enim nequeunt Christianismum floruisse in potissima orbis parte, ac tum gravibus interdum edictis, et armorum metu contra eos subinde actum esse, qui incredibili mentium caecitate lumini adhuc rebelles erant. Judicarunt enim Principes, consulendum esse etiam nolentibus, quando, quid bonum esset, nescirent. Sed Ma-

hometana superstitio armis primum plantata est, atque armis, velut regula sua, ut vocant, essentiali dilatata; inter effata enim Mahometica praecipuum erat, miraculis sibi opus non esse, sed armis religionem suam stabiliendam: At vero contraria omnia et Christus docuit, et praedicatores Evangelii ad constituendam in orbe Christianam religionem egerunt. Dixi superius, *Transeat.* Nam etsi non nullae gentes, Religione jam dominante, armorum metu ad sacra Christiana transierint; cessante tamen metu, volentes et gaudentes in Christiana religione perstiterunt. Vide *Herman. Goldhagen* Introduct. in *Scripturam*, Tomo I. Sect. I. Quaest. II.

LXV. *Objicitur. V.* Infirmitas argumenti petiti ex multitudine et constantia Martyrum. Ex una parte non ea fuit Martyrum multitudo, quae passim a Christianis obtruditur; paucorum enim nomina e probatis illorum saeculorum monumentis hodie supersunt; et ipse *Origenes* in libris contra Celsum fatetur, paucos per intervalla temporum, et facile numerabiles pro Christiana religione mortem obiisse: ex altera parte multi etiam ex Paganis, Mahometanis, Judaeis mortem pro religione sua constanter pertulerunt. Ergo ex multitudine et constantia Martyrum non evincitur veram esse religionem Christianam. R. Innumerabilem esse eorum multitudinem, qui pro Christo sanguinem fuderunt; quidquid Henricus Dodwellus obganniat, res est testatissima, veterum omnium Scriptorum authoritate firmata. Ut paucos e multis nominemus, diserte id testantur *S. Justinus M.* initio Apologiae primae. *S. Irenaeus* Lib. IV. adv. Haereses, Cap. XXXIII, *Clemens Alexandrinus* Lib. II. Stromatum, *Origenes* Lib. II. contra Celsum, *S. Cyprianus* in Epist. ad Fortunatum de Exhortatione

Martyrii Cap. XI. *Lactantius* de morte Persecutorum Cap. XV. *Eusebius* passim in Historia sua Ecclesiastica, *S. Augustinus* Tract. CXIII. in Joan. *Prudentius* hymno XI. de passione S. Hippolyti ad Valerianum, *Sulpitius Severus* Hist. Sacrae Lib. II. Cap. XXXII. etc. Neque obest, quod paucorum nomina hodie supersint; plurimorum enim nomina et Acta perierunt invidia Gentilium, praecipue in diuturna illa ac saevissima Diocletiani et Maximiani persecutione, quae scripta Ecclesiastica exhausit. Origenes verbis illis id solum significat, quamvis in Christianos saevitum fuerit crudelissime, Christianos tamen omnes deleri non potuisse, paucosque re vera pro Christo morte affectos, si cum iis comparentur qui superstites fuerunt. Pagani, Mahometani et Judaei post exortam religionem Christianam, et paucissimi fuere, qui pro secta sua mortem oppeterent, et plerumque notoriis criminibus Christianorum gladios in se provocarunt. Quod si Judaeos opponas ante Christi adventum pro patriis legibus fortiter occumbentes, ajo paucos fuisse, si cum Christianis comparentur, utpote quorum ejus generis patientia ferme ad Manassis et Antiochi tempora redigatur: et verae pro eo tempore religionis fuisse cultores, Christiana nondum exorta.

LXVI. *Objicitur VI.* Christianae religionis absurditas et impossibilitas. Capitale est Christianae religionis dogma, Deum ipsum factum esse hominem. Atqui absurdum, id est, et impossibile. Ergo. P. min. Est summe inconveniens et absurdum, Deum Majestatis semetipsum exinanire, ut vilissimam servi formam accipiat: ut patet exemplo Regis terreni, qui mediastinum ageret. Ergo Incarnatio est inconveniens, adeoque impossibilis. R. C. M. N. Ad *probat.* N. A. Vix ullum

est religionis nostrae mysterium, quo divinae perfectiones aeque nobis manifestantur. Ex Incarnatione enim elucescit infinita Dei omnipotentia, qui duas naturas perfectione infinitum distantes, simul in una persona, intimo nexu, sine ulla confusione ac permixtione, sed salvis utriusque proprietatibus, ita conjungit, ut, quemadmodum observat S. Leo M. Serm. I. de Nativitate Christi Cap. II. *Nec inferiorem consumat glorificatio, nec superiorem minuat assumptio.* Commendantur sapientia, justitia, misericordia. Deus enim carnem assumendo divinum plane adinvenit modum, infinita sua sapientia dignum, conciliandae cum justitia misericordiae, salvis atque illaesis utriusque juribus. Laesa erat per peccatum hominis Dei Majestas, debitamque pro offensa satisfactionem exigebat justitia, quam praestare de suo homo reus non poterat: misericordia, ne universum genus humanum periret, prohibebat. Stupendo itaque divinae sapientiae consilio Deus carnem induit, ut, cum homo Deus pro homine reo condignam exhiberet satisfactionem, et suum justitiae jus servaretur, et suus misericordiae ac clementiae locus relinqueretur. Ad rationem additam, nego paritatem, quae siquid probaret, inconveniens quoque esse evinceret, Deum rerum etiam vilium et minimarum curam gerere. Disparitas ergo est, quod Rex terrenus id facere censeretur ex imprudentia, et vilitate animi, cum neglectu negotiorum majoris momenti: vel certe incommodum aliquod pateretur. Quorum nihil cadere potest in Deum summe sapientem, summeque providum.

LXVII. *Dices I.* Ea est Dei infinite perfecti immensitas, ut nullis limitibus circumscribi queat. Ergo impossibile fuit humanam naturam ab illo assumi. P.

C. Si Deus carnem induisset, corporis angustiis concluderetur, motoque corpore, moveretur etiam Divinitas. Atqui id fieri nequit. Ergo. R. C. A. N. C. Ad *probat.* N. utramque sequelam. Sicut enim, ut domestico exemplo utamur, tota anima rationalis unitur pedi, quin tamen pedis spatio circumscribatur, cum etiam existat in caeteris humani corporis partibus; Ita neque Deus exiguo corpusculi spatio circumscribitur, tametsi eidem intime uniatur. Similiter humana natura, cum non sit ubique diffusa, transferri potest de loco in locum: At vero Deus, qui vi immensitatis suae omne spatium occupat, moveri ab uno loco in alium non potest, etiamsi intima unione hum anitati copuletur.

LXVIII. *Dices II.* Unio dari nequit, nisi inter extrema, quae mutuam habent ad se proportionem. Atqui natura divina infinita nullam habet proportionem ad naturam humanam finitam. Ergo. P. m. Deum inter et naturam humanam major datur distantia, quam inter summe calidum, et summe frigidum. Atqui haec uniri inter se nequeunt. Ergo nec illa. R. D. M. Unio dari nequit, nisi inter extrema, quae mutuam habent ad se proportionem perfectionis, N. M. Proportionem habitudinis, quae in eo habetur, quod utrumque extremum, vel unum saltem per unionem sui cum altero magis perfici possit, C. M. Ut extrema possint uniri non requiritur proportio perfectionis; alias anima rationalis, utpote spiritualis quaedam substantia uniri non posset cum materia. Sufficit ergo proportio habitudinis, qualem inter se habent Deus, et natura humana, cum illa sit per unionem perfectibilis, hic vero eam perficiat. Ad *probat.* D. M. Major datur distantia inaequalitatis, C. M. Contrarietatis, N. M. Atqui inter

Deum et humanam naturam nulla probatur intercedere contrarietas, sicut inter summe calidum et summe frigidum.

LXIX. *Dices III.* Si Deus naturam humanam assumpsisset, natura divina mutaretur. Atqui id est impossibile, cum Deus necessario sit immutabilis. Ergo. P. M. Deus vere ac intrinsece aliter se habere inciperet, quam prius se habuerat; quia qui antea non erat homo, factus fuisset homo. Ergo mutaretur. P. C. Deus intime in se recepisset naturam humanam. Ergo mutationem subiisset; ut patet exemplo naturae humanae, quae non alia de causa mutatur, quam quod incipiat intime uniri cum natura divina. R. N. M. Ad *probat.* N. A. Quamvis Deus aliquo modo aliter se haberet, non tamen intrinsece àliter se haberet, ita ut possit dici mutationem subiisse. Illud enim tautummodo mutari dicitur, quod ita aliter se habere incipit, ut vel pristinam aliquam perfectionem amittat, vel novam acquirat. Atqui Deus, naturam humanam assumendo, nihil suae perfectionis amisit, aut novam ullam acquisivit; quidquid enim perfectionis relucet in natura humana, totum illud eminentiori modo Deus per identitatem in se continet. Ad hujus *probat.* N. A. Illud dicitur aliquid in se recipere, quod est subjectum phisicum, id est, quod ex duobus intime unitis magis perficitur. Ergo cum Deus naturam humanam perficiat, non autem ab ea perficiatur, non potuit naturam humanam intime in se recipere. Exemplum habemus in anima rationali, quae non dicitur in se recepisse corpus, quamvis ei intime uniatur. Ad rationem additam R. naturam humanam assumptam non ideo mutari, quod cum natura divina intime uniatur; sed quia ab illa perfici ulterius

potest, et per unionem sui cum Deo summam ac divinam perfectionem participat; quod vice versa de natura divina dici nequit, ut superius ostendimus.

LXX. *Objicitur VII.* Sequela. Si Christiana religio evidenter foret credibilis, sequeretur I. piam affectionem necessariam non esse ad credendum; quia evidentia credibilitatis sufficienter inclinaret ad assensum. II. Homines evidentia illa necessitari ad assensum, ita ut a nemine possit negari. Atqui utraque sequela est falsa, quia Catholici docent necessariam esse piam affectionem ad credendum: et veritas Religionis Christianae unanimi consensu negatur a Deistis, Paganis, Judaeis, et Mahometanis. Ergo. R. ad I. N. M. Evidentia credibilitatis minime necessitat, sed inclinat tantum ad assensum: unde necessaria est ad credendum fide theologica pia affectio, quae assensum imperet; praecipue cum religio Christiana plura complectatur mysteria, quae rationem nostram et captum superant. Ad II. D. M. Ut a nemine negari possit veritas Christianae religionis, N. M. Ejus credibilitas, si illius motiva animo non nimis pervicaci, et veritatis studioso attente considerentur, C. M. Cum veritas Christianae religionis sit tantummodo stricte moraliter certa, non diffitemur, illius veritatem absolute negari posse, quamvis non nisi imprudenter omnino et perfatue. At vero credibilitas illius, cum sit evidens, omnino negari nequit, nisi ab eo qui animum contra veritatem omnino obfirmavit, et quae pro illa afferuntur, motiva expendere omnino negligit. Quare simili fere ratione Christianorum adversarii negant, motiva superius a nobis allata prudenti fide esse digna, qua ab imperitis saepe negatur illud, quod Mathematicis est evidens; quia

nimirum illi terminos artis, et demonstrationis non assequuntur.

CONTROVERSIA IV.

AN RELIGIO CHRISTIANA SIT ETIAM EVIDENTER CREDIBILIS COMPARATE AD ALIAS SECTAS ANTICHRISTIANAS?

Contra eosdem.

LXXI.

Conclusio. Religio Christiana non tantum in se, verum etiam comparate ad reliquas omnes sectas Antichristianas est evidenter credibilis; ita ut evidens sit evidentia vere tali; quod quis prudenter agat judicando fidem Christianam esse veram, sectas autem Antichristianas esse falsas, et prudenti assensu indignas. Prob. Ex una parte aliae sectae nulla habent motiva credibilitatis, nisi levia omnino, et prudenti assensu indigna, ut paulo post inferius ostendemus: ex altera parte docent incredibilia, falsa, ac sanae rationi contraria. Ergo stricte moraliter certum est, sola humana ratione spectata, eas a Deo non fuisse revelatas. Ergo Religio Christiana est etiam comparate evidenter credibilis. Prob. A. speciatim de singulis sectis Antichristianis.

LXXII. Pagani Divinitatem quasi frustatim concisam inter multos partiebantur, Deorum pluritatem statuendo, quam sanae rationi manifeste adversari ostendimus Tomo I. Num. IV. Illud vero pessimum, quod quibus hominibus hunc honorem habuerunt, ii com-

periantur magnis vitiis fuisse insignes: ebriosus Baccus, impudica Venus, mulierosus Hercules, impius in fratrem Romulus, crudelis in filios Saturnus, adulteriis infamis Jupiter etc. ita ut illorum honos ad Dei veri, et probitatis ipsi placentis ignominiam redundet, dum vitiis ex religione additur commendatio. Adde, non hominibus modo, verum etiam astris et elementis, animantibus, quibus Deus praeesse hominem voluit, ipsisque malis geniis divinum cultum fuisse exhibitum, maximo sane humanae rationis dedecore; cum debitus Regi honor non modo ei subtrahatur, sed in desertorem ejus atque hostem transferatur. Adde, superstitiosum fuisse ac maxime absonum cultus genus, quo Deos suos venerabantur, sanguine nempe humano, nudorum hominum in templis cursatione, ludis et saltationibus spurcitiae plenis, qualia nunc etiam conspiciuntur apud Americae, Africae et Indiarum populos paganismi tenebris obsitos. Praeter haec ingens nobis argumentum suppeditat contra se Pagana religio, eo quod ubicumque humana vi destituta est, plane concidit, tamquam sublato, quo uno stabat. Nam si oculos circumferas per quotquot sunt imperia Christianorum aut Mahometanorum, videbis Paganismi nullam, nisi in libris memoriam. Immo docent historiae, etiam illis temporibus, cum Imperatores vim et supplicia adhiberent ad sustendandam religionem paganicam, in dies ei aliquid decessisse. Neque tantum credulitas Paganorum evanuit ad Christi doctrinam, sed et ipsi maligni Spiritus ad Christi nomen excesserunt e corporibus, compresserunt vocem, et interrogati de silentii causa, dicere sunt coacti, nihil se posse, ubi Christus invocaretur.

LXXIII. Judaica religio ea sui parte, qua Chri-

stianae opponitur, Deum habere authorem nequit, cum multa doceat evidenter incredibilia. Negant Judaei Messiam advenisse, quem tamen Jacob Patriarcha *Gen.* Cap. XLIX. v. 10. deficiente suprema Judaeorum potestate, et *Daniel* Cap. IX. antequam Urbs et Templum Hierosolymitanum a Romanis everterentur, certo venturum praedixerunt, ut ostendimus Tomo I. Num. CXLVII. et CXLVIII. Negant Jesum Christum, cui tamen Messiae characteres omnes conveniunt, verum esse Messiam, naturalem Dei filium, a Prophetis praenuntiatum. Negant eum a Patre missum Divinitatem suam divinis ostentis comprobasse, injuste a Principibus populi sui damnatum tertia die a mortuis resurrexisse: quae omni evidenter credibilia esse priori Controversia late ostendimus. Sentiunt aerumnas quibuscum jam ab annis mille septingentis conflictantur, vagabundi per omnes orbis provincias, despicatui ab omnibus nationibus habiti, sine Rege, sine Templo, sine Ephod, sine Prophetis, iram Dei ubique secum circumferentes; neque tamen agnoscere volunt, has poenas a Deo justissimo vindice sibi irrogari, quod Christum verum Messiam occiderint, quamvis nullam aliam harum miseriarum causam ostendere queant. Etenim Judaei a plurimis jam saeculis in idololatriam lapsi non sunt, et antiquas hujus sceleris labes sufficienti poena et fletu jam abluerunt: toti praeterea haerent in observanda lege Mosaica, quantum sinit praesens eorum status.

LXXIV. Alterum argumentum, quo Judaismus apertae falsitatis convincitur, Christiani petunt ex libro Judaeorum doctrinali, quem Thalmud appellant, parisque saltem, si non majoris, volunt esse authoritatis cum libris Canonicis et divinis, licet ineptissima ac ma-

xime impia fabularum portenta in eo contineantur. Legitur in eo, Deum primas diei horas studio Mosaicae legis tribuere, tres horas erudiendis parvulis, tres alias ludendo cum pisce Leviathan transigere: eundem prae doloris magnitudine utraque manu pectus sibi tundere, duasque in Oceanum lacrymas effundere, quod Hierosolymitanum Templum a Romanis everti, dilectumque sibi populum per orbem dispergi permiserit: Deum flexis genibus quotidie orare: semel a Rabbinis excommunicatum fuisse, singulisque noviluniis sacrificium propitiatorium pro peccato a se commisso praecepisse, quod Lunam injuste splendore suo, luceque propria spoliaverit. Atqui haec omnia evidenter perfatua sunt, impia, et blasphema.

LXXV. Mahometana secta Authorem habuit Saeculo VII. Mahometem virum flagitiosissimum: primos illius sectatores praedones Saracenos, homines ab humanitate ac pietate alienos: nullis vaticiniis praenuntiata est, nullis miraculis, sed violentia, atque armis propagata. Ejus doctrina in Alcorano contenta, quem librum Mahometani symbolicum, ac tanquam divinum habent, I. est iniqua; quia Mahometes credi sibi vult, nulla inquirendi relicta libertate: unde et Alcorani lectio plebi est interdicta. Quod ipsum statim manifestum est iniquitatis indicium. Merito enim suspecta merx est, quae hac lege obtruditur, ne inspici possit. II. Est belluina; unde et religio porcorum dicta. Pollicetur enim dumtaxat terrenam et brutam felicitatem in coelis, in expletione libidinis et gulae, atque in omnium sensuum voluptate positam. Neque parabolice locutus censeri potest Mahometes, quia nihil aliud de summo hominis Bono tradit uspiam in sua lege, et foedas illas

voluptates optimam esse Dei remunerationem asserit; nec aliam intelligunt beatitudinem ejus sectatores. III. Est fabulis putidissimis referta. Talis est fabula de pulchra muliere, quae ab Angelis vino captis solenne didicerit carmen, quo ad coelum ascendi, et ex eo descendi solet: quae cum ascendisset in multam coeli altitudinem, deprehensam a Deo, ibique fixam, atque eam esse stellam Veneris. Talis illa de mure nato in nave Noachica ex elephanti stercore: contra autem fele ex leonis halitu. Atque illa maxime de morte in arietem commutanda, qui medio inter coelum et inferos spatio sit stabulaturus. Quae profecto talia sunt omnia, ut oporteat culpa sua in stuporem datos, qui istis fidem habent, praesertim cum Evangelii lux ipsos circumfulgeat. IV. Multa tribuit Deo indigna, absurda et flagitiosa. Inducitur Deus orans pro Mahomete, jurans per Angelos, ventos siccos et imbriferos, daemonesque. Dicitur, Deum Mahometi permisisse adulterium, et vagam cum quibus voluerit mulieribus copulam, etiam consanguineis, et arbitrarium divortium. V. Sibi ipsi turpissime contradicit. Moysem a Deo missum, item Jesum, et viros sanctos fuisse, qui Jesu disciplinam primi propagarunt, Mahometes ejusque sectatores fatentur. At in Alcorano multa narrantur plane contra quam a Moyse, aut Evangelistis sint prodita. Ut ex multis unum sumamus exemplum, Christum in Cruce mortuum, tertia die in vitam rediisse, conspectumque a multis Apostoli maximo consensu testantur. Contra Mahometes docet, Christum clam fuisse subductum in coelum, cruci autem affixum fuisse quoddam ejus simulacrum: ac proinde non mortuum esse Christum, sed deceptos fuisse Judaeorum oculos. Respondet Mahometes in Alcora-

no, libros veteris novique Testamenti a Judaeis et Christianis corruptos fuisse. At frustra est. Libri enim illi corrupti non fuerunt post adventum Mahometis; quia eo tempore toto orbe plurima exstabant Scripturarum exemplaria, et versiones, in quibus nulla datur in locis illis varietas: non ante Mahometis adventum; quia nulla aderat mutandi causa, cum nemo scire potuerit, quid docturus esset Mahometes. Praeterea si Christus, fatente Mahomete fuit Verbum Dei, Sanctus, et Deo dilectus Propheta, qui missionem suam veris ostentis et prodigiis confirmavit, verus fuerit Deus necesse est, adeoque Mahometi longe anteponendus; quod tamen Mahometani negant: aut certe nequissimus fuisset impostor, qui per summum sacrilegium Divinitatem sibi arrogabat. Atqui evidenter incredibile est Christum fuisse impostorem. Ergo evidenter credibile est talem fuisse Mahometem, qui se ipsi Christo vero Deo praetulit.

LXXVI. Deismus, quamvis religionis revelatae nomine non veniat, quod omnem divinam revelationem tanquam inutilem et supervacaneam aversentur ejus asseclae, sola ratione naturali contenti; non minus ac reliquae sectae Antichristianae evidenter incredibilis est, non quidem quoad ea quae affirmat, sed quoad ea, quae absque ulla ratione et prudenti motivo negat. Evidenter enim credibile est, Deum posse revelare, et actu revelasse aliqua, quae captum nostrum superant. Sana enim ratio dictat, Deum, cum sit infinite perfectus, a nobis comprehendi non posse, nec de rebus divinis pro modo et conditione rerum creatarum judicandum esse, aut divina et humana iisdem subjacere legibus, cum res divinae infinite res humanas et creatas superent. Praeterea si in rebus sensibilibus ac passim obviis tam multa

occurrunt, in quibus explicandis et conciliandis humani ingenii vis deficit, ipsa ratio docet, minime mirandum esse, si id circa Mysteria religionis contingat, quae superioris sunt ordinis. Adde, Deismum certum non habere magni nominis auctorem, a prudentioribus universim rejectum fuisse; nec alios habere sectatores, quam profligatae conscientiae homines, de quibus merito dicas, quod B. Judas in Epistola sua Catholica scribit: *Hi sunt in epulis suis maculae, convivantes sine timore, semet ipsos pascentes: nubes sine aqua, quae ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosae, bis mortuae, eradicatae, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in aeternum.*

OBJECTIONES

LXXVII. *Obijcitur I.* Credibilitas Polytheismi. Pro Paganismo vera militant tum oracula, tum miracula, antiquitus et universim credita. Ergo Paganismus evidenter credibilis est. P. A. *Valerius Maximus* et *Titus Livius* plurima narrant miracula. *Svetonius* in Vita Vespasiani refert, Alexandriae visum ab eo fuisse restitutum caeco jussu Dei Serapidis. *Philostratus* in Vita Apollonii Thyanaei scribit, puellam ab eo a mortuis suscitatam, multaque alia supra vires naturae patrata fuisse. Certe miraculorum Apollonii fama ita toto Oriente percrebuit, ut Hierocles Philosophus curationes illius cum divinis Christi prodigiis contulerit. R. N. A. Paganorum oracula ambigua fuere, et quae facile interpretationem ex qualicunque eventu acciperent. Quod si quid definitius praedictum ab illis, non tamen ne-

cesse est ab omniscia mente profectum; cum aut talia sint, quae ex causis naturalibus jam existentibus praesentiri poterant, sicut medici quidam venturos morbos praedixerunt: aut probabiliter ex eo, quod plerumque evenit, conjectari, quod et a rerum civilium peritis factum saepe legimus. Praetensa Gentilium miracula vim vere divinam, id est, omnipotentem non desiderabant, cum ad ea causae naturales, aut etiam daemones sufficerent, qui pro sua celeritate, efficacia, atque solertia facile possent dissita transferre, et componere ad effectus tales, qui homines in stuporem darent. Neque est, quod miretur quisquam, Deum permisisse, ut mira quaedam a pravis spiritibus ederentur, cum deludi talibus praestigiis meriti essent, qui a veri Dei cultu pridem defecerant. Ad *probat.* R. Quae Valerius Maximus de prodigiis habet, illa omnia pro dubiis tradit. Nam Lib. I. Cap. VIII. scribit: *Sed quia non nova dicuntur, sed tradita repetuntur, fidem authores vindicet.* Titus Livius in Historiae suae limine prodigia illa dicit, *poeticis magis decora esse fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis. Ea nec affirmare, nec refellere se velle.* Illud certum est, pleraque eventa quae illi narrant, fuisse fortuita, aut solius naturae vi contigisse; nisi quod cum causas, rationesque ignorarent, nec studiose ac solerter inquirerent, statim veteres in miraculorum familiam cooptabant. Quae Svetonius et Tacitus de Vespasiano narrant, manifestum est veris miraculis accenseri non posse; neque enim curationi huic accingere se ausus fuit, nisi posteaquam per Medicos rescivit, hominem illum sanari posse humanis remediis. Adde, rem totam nullis legitimis testibus comprobatam, ex turpi quorumdam

adulatione, atque immodica Principis ambitione ortum duxisse, qui sibi persuaserat, se Regem illum esse maximum, atque eximium, quem Judaica praenuntiabant oracula. Apollonius Thyanaeus, posteaquam bonam juventutis partem in celeberrimo apud Aegas Aesculapii fano inter Dei hujus Sacerdotes consumpsisset, non indoctus pro sua aetate medicus ac philosophus varias obiit Orientis provincias, ibique partim ope naturalis scientiae, partim fraudibus, ac daemonis ministerio ea gessit, quae summam illi auctoritatem admirationemque apud rudem populum conciliarunt; quaeque deinde rumore vulgi aucta, atque ut solet ornata, ad miraculorum dignitatem pedetentim obrepserunt. Philostratus mendacissimus Scriptor, Apollonio centum annis posterior, eorum quae narrat testem nullum, aut argumentum profert, quo fidem faciat suae historiae, et sibi saepe non constat. Postquam enim puellam ab Apollonio vitae restitutam retulit, dubitanter pronuntiat, et eam mortuam visam esse addit, nec an revera mortua fuerit, audet definire.

LXXVIII. *Objicitur II.* Credibilitas Judaismi. Judaica Religio auctorem habuit Deum: per Moysem promulgata est, stupendis miraculis confirmata ac defensa: cultores numeravit sanctissimos, Prophetas, Martyres etc. Ergo eadem fere pugnant pro Judaica religione credibilitatis motiva, quae pro Christiana. R. C. A. D. C. Eadem pugnant credibilitatis motiva pro religione Judaica ante adventum Messiae, seu Christi, C. C. Post Messiae adventum, N. C. Judaica Religio ea sui parte, qua Christianae opponitur, falsa omnino est, atque evidenter incredibilis, ut superius ostendimus Num. LXXIII. et LXXIV. Quoad hanc doctrinae suae partem

non probatur authorem habere Deum, sed contrarium evincitur argumentis omnibus pro Christianae religionis veritate allatis: neque etiam constat, ullis quoad hanc partem confirmata esse miraculis; sed contra illam miracula pugnant innumera, quae post Christi adventum in Christiana patrata sunt religione, cessantibus interim miraculis omnibus apud Judaeos, apud quos adeo olim erant frequentia.

LXXIX. *Dices I.* Illa Lex abrogari non potest, quae aeternum est duratura: Atqui talis est lex Mosaica, de qua tum alibi saepius, tum Levit. XVI. dicitur: *Eritque vobis legitimum sempiternum.* Ergo Lex Mosaica non fuit abrogata. *Confirm.* Ipse Christus Matth. V. ait: *Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere.* R. D. M. Quae est aeternum duratura aeternitate absoluta et proprie dicta, C. M. Aeternitate relativa, et improprie dicta, N. M. Et sic distincta minore, N. C. Vox *aeternum, sempiternum*, in Scripturis praecipue veteris Testamenti saepe aeternitatem impropre dictam, et relativam significat: talem vero hic denotari Mosaicae Legis aeternitatem manifeste evincunt tum motiva quae pro veritate Christianae religionis attulimus; tum etiam Prophetarum oracula, quibus haec abrogatio praenuntiata est. Sic Jeremiae XXXI. *Ecce dies veniet, dicit Dominus: et feriam domui Israel, et domui Juda foedus novum; non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum — — Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel: post dies illos dabo legem meam in visceribus eorum.* Malachiae I. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercitium: et munus non suscipiam de manu vestra.* Danielis IX. *Confirmabit au-*

tem pactum multis hebdomada una: et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium. Ad *confirm.* R. Christum loqui de solutione, quae praecepta moralia, de quibus tunc erat sermo, evertat. His Christus nihil detraxit, sed exponendo magis elucidavit.

LXXX. *Dices II.* Lex Mosaica erat perfecta, utpote ab ipso Deo condita. Ergo non potuit a Deo mutari aut abrogari sine nota levitatis. R. Legem Mosaicam fuisse imperfectam relative, non absolute. Imperfecta erat relative, tum quia infirmae Judaeorum indoli et conditioni erat accomodata: tum quia eo fine erat a Deo instituta, ut plebem Messiae pararet. Ergo minus perfecta esse debebat, quam lex per Messiam danda. Imperfecta tamen non fuit absolute, quia nullum in ea relative ad finem intentum reperitur vitium; immo fini intento optime collimabat, et erat infantili Judaeorum conditioni proportionata. Porro licet lex illa foret perfecta in se, et absolute sumpta, Deus potuit eam condere, et conditam corrigere, absque ulla injustitiae aut levitatis labe; Deus enim nulla lege cogitur ad plenam et omnimodam sui manifestationem. Ergo potuit dare legem imperfectam, id est, imperfectam sui cognitionem; quae quidem lex aut cognitio est imperfecta tantum relative ad aliam ampliorem, quam dare decrevit, et relative ad indolem eorum, quibus se manifestat.

LXXXI. *Objicitur III.* Credibilitas Mahometismi. Religio Mahometana latissime statim toto Oriente diffusa est. Ergo miraculo id adscribendum est, adeoque Deum habet authorem. R. N. C. Nullum enimvero miraculum est, armis, caedibus, rapinis populos subdi novae religionis jugo. Bellorum successu, et impe-

rii magnitudine nihil ad hanc rem fallacius est. Paganica sacra ipsi Mahometani improbant: et tamen scimus, quantae fuerint Persarum, Macedonum, Romanorum victoriae, quam late patuerint eorum imperia. Quin neque mirum foret, si populi suapte sponte amplexi fuissent legem, quae nihil non indulget sensibus, et cupiditati, et quae nullam habet difficultatem sive in credendis, sive in agendis. At magnum est miraculum, quod Christiana religio, quae credenda proponit mysteria sapientibus saeculi incognita, et humanae impervia rationi: quae sensibus bellum indicit, et cupiditatibus refraenandis tota incumbit: quae res praecipit arduas atque difficiles, ad quas nulla est in natura et indole hominum propensio, immo repugnantia maxima; scilicet mortificationem carnis, inimicorum amorem, orationem pro calumniantibus, beneficientiam in persecutores, honorum et mundanae gloriae contemptum etc. Orbe toto sit stabilita, non gladio, sed verbo; non disputationibus Philosophorum, sed praedicatione Piscatorum et idiotarum, qui mortem pro veritate fidei invicte sustinuerunt.

CONTROVERSIA V.

QUAENAM RELIGIO INTER OMNES SECTAS CHRISTIANAS SIT EVIDENTER CREDIBILIS?

Contra omnes Haereticos.

LXXXII.

Cum ipsa Christiana religio haereticorum perfidia in varias sectas primis jam temporibus fuerit divisa, quarum pleraeque extinctae paulo post fuerunt, novis identidem succrescentibus; quaeritur jam pro quanam communitate ex illis, quae Christi doctrinam se profiteri gloriantur, evidentia pugnent credibilitatis signa, ita ut nemo prudenter ambigere queat, quin illa veram habeat religionem ab ipso Christo institutam: evidens autem sit evidentia vere tali, prudenter illum agere, qui judicat, veram fidem vigere in illa communitate.

LXXXIII. *Conclusio.* Sola Religio Romano-Catholica est evidenter credibilis. Prob. I. Illa sola religio Christiana est evidenter credibilis, cui conveniunt signa et notae verae Ecclesiae; quia extra veram Ecclesiam dari nequit vera religio. Atqui hae notae conveniunt soli Ecclesiae Romano-Catholicae, ut Tract. III. de Ecclesia Artic. I. ostendemus. Ergo sola religio Romano-Catholica est evidenter credibilis. Prob. II. In sola religione Romano-Catholica conservata est doctrina a Christo, ejusque Apostolis tradita: haec sola per universam orbem propagata est, et miraculis confirmata, quorum multa hodiedum etiam patrantur: in hac

sola floruerunt Martyres, aliique viri eximia vitae sanctitate, ac dono prophetiae praediti, qui omnes cum Romana Ecclesia consentiebant, et coetus reliquos ab ea separatos, tamquam haereticos ac schismaticos execrabantur. Certe pro aliis sectis ne unicum quidem miraculum ostendi potest: de nullo ex sectariis constat, quod vera sanctitate, aut specialibus Dei donis eminuerit; immo plerumque, qui populos a religione Catholica adduxere, homines fuere flagitiosissimi.

LXXXIV: Eadem credibilitatis motiva *S. Augustinum* permoverunt, ut Catholicae religioni indubitanter adhaereret, eamque prudenti omnium hominum assensu dignissimum judicaret. Libro enim contra Epistolam Manichaei, quam fundamenti vocant, Cap. IV. scribit: *In Catholica Ecclesia, ut omittam sincerissimam sapientiam, quam in Ecclesia Catholica esse non creditis, multa sunt alia quae in ejus gremio me justissime teneant. Tenet consensio populorum, atque Gentium; tenet authoritas miraculis inchoata, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem Episcopatum, successio Sacerdotum: tenet postremo ipsum Catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista Ecclesia sola obtinuit, et cum omnes haeretici se Catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot et tanta Christiani nominis carissima vincula recte hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia.*

LXXXV. Ex dictis manifeste sequitur, Religio-

nem Romano-Catholicam non modo evidenter esse credibilem, verum etiam evidenter credendam. Cum enim vera religio sit medium unice necessarium ad obtinendum finem nostrum ultimum, tenemur illam amplecti, pro qua evidentia pugnant credibilitatis motiva, prae omni alia, quae aut omnino incredibilis est, aut certe longe minus credibilis. Accedit, quod reverentia Deo debita omnino a nobis exigat, ut ei religioni assensum praestemus, quam tot signis ornatam voluit, ut sine temeritate dubitare nequeamus, quin haec ipsa religio fuerit a Deo revelata. Quae ab adversariis contra Conclusionem nostram objici possent, passim per decursum Theologiae Dogmatico-Polemicae solvemus, praecipue in Tractatu III. de Ecclesia.

CONTROVERSIA VI.

AN IN QUALIBET RELIGIONE CHRISTIANA OBTINERI POSSIT AETERNA SALUS?

Contra Indifferentistas strictiores.

LXXXVI.

Syncretistae, sive Indifferentistae strictiores negant quidem hominem in quacunque religione aeternam salutem posse adipisci; volunt tamen omnes salvari posse, qui in Christum credunt, quamvis cum Catholicis non sentiant, et ab eorum communione sint separati. Tales postremis hisce temporibus fuere Marcus Antonius de Dominis Archiepiscopus Spalatensis ad Anglos dein

transfuga, Thomas Hobesius, Joan. Serranus Praeco Aurelianensis, Simon Episcopius et Hugo Grotius Batavi, Erasmus Roterodamus, Georgius Cassander, Georgius Callixtus in Academia Julia Helmstadii Professor, aliique magno numero Sociniani, Lutherani, Calviniani. Ipsi tamen inter se minime conveniunt. Aliqui putant sufficere fidem quamdam implicitam et confusam in Christum, tametsi praecipua de Christo mysteria, v. g. passio, resurrectio, non credantur: plerique alii docent sufficere et requiri, ut quis credat praecipua dogmata de Christo, et Sanctissima Trinitate, quae proin vocant articulos fundamentales, ac substantiales, reliquos vero adiaphoros, accidentales, arbitrarios, quos non modo ignorare, sed etiam negare fas sit, citra aeternae salutis dispendium. Si de his ipsis fundamentalibus articulis quaeratur, rursus inter se litigant, dum isti solos articulis Symboli Apostolici, illi praeterea Symbolum Nicaenum, CPolitanum, et S. Athanasii assignant: alii ad Catechismum Lutheri confugiunt.

LXXXVII. Contendunt itaque Indifferentistae, omnes aut fere omnes sectas Christianas convenire in articulis fundamentalibus. At plane ea in re contra mentem sentiunt Majorum suorum, quos tanquam parentes, et Sacrorum restauratores venerantur. Profecto omnibus constat, quam acriter *Lutherus* in Sacramentarios, Calvinianos nempe et Zwinglianos, invectus sit, quos teste Illustrissimo *Bossueto* in Historia Variat. Doctrinae Protest. Tomo II. Lib. I. vocat *insensatos*, *blasphemos*, *damnatos*, *pro quibus orare ultra non liceat*: *a daemonibus non obsessos tantum, sed etiam penetratos, quibuscum nil ultra commercii esset habiturus, nisi confiterentur panem Eucharistiae esse verum corpus Chri-*

sti. Alibi vero scribit, *serio illos se habere pro haereticis, et alienis ab Ecclesia Dei. Vel ex hoc capite felicem se esse; quod dicere possit: Beatus vir, qui non abiit in consilio Sacramentariorum, et in via Zwinglianorum non stetit, et in cathedra Tigurinorum non sedit.* Hinc instituta fuere tot colloquia, quamvis irrito semper eventu, ad conciliandos inter se discordes Protestantes, Sacramentarios, Lutheranos, qui sese invicem tanquam haereticos damnabant, ut adeo apud Bossuetum ipse *Calvinus* scripserit: *Interest ad futura saecula, nullam divisionem nostrarum suspicionem pervenire. Plus enim, quam concipi potest, ridiculum est nos, dum toti mundo adversamur, tam parum inter nos ab initio reformationis convenire.*

LXXXVIII. *Conclusio.* Falsum est aeternam salutem posse obtineri in qualibet religione Christiana: adeoque extra Ecclesiam Catholicam, quam hic supponimus veram esse Christi Ecclesiam, suo loco id probaturi, nemo salvari potest. Prob. 1. auctoritate Scripturarum. Matth. XVIII. ait Christus: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.* Ergo tam parum de aeterna salute rebellium Ecclesiae et refractariorum sperandum est, quam parum de salute Ethnici. Ad Ephes. IV. scribit Apostolus: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, et Pater omnium.* Ergo cum una sit vera fides, sine qua nemo salvari potest, qui a vera Christi Ecclesia exclusi sunt, naufragium faciunt salutis. Ad Titum III. *Haereticum hominem de vita, sciens quia subversus est, cum sit proprio judicio condemnatus.* Marci XVI. Christus posteaquam Apostolis dixit: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae*, illico subjun-

git, nullo facto discrimine articulos inter fundamentales, et accidentales: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.*

LXXXIX. Prob. II. Auctoritate Patrum. *S. Ignatius* Martyr Epist. ad Philadelphios scribit: *Siquis haereticos secutus fuerit, haeres regni coelorum non erit.* S. Cyprian. Tract. de Unitate Ecclesiae Cap. V. *Habere non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.* S. Hieronymus Epist. XIV. ad S. Damasum Papam: *Ego Beatitudini tuae, id est, Cathedrae Petri communione consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Siquis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.* S. Augustinus Epist. CXXXXI. alias CLII. ad Populum factionis Donatianae. *Quisquis ergo ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam; sed ira Dei manet super eum.* Et Epist. CLXXIII. alias CCIV. ad Donatum: *Foris ab Ecclesia constitutus, et separatus a compage unitatis, et vinculo charitatis, aeterno supplicio punireris, etiamsi pro Christi nomine vivus incendereris.* S. Fulgentius Lib. de Fide Cap. XXXVIII. *Firmissime tene, et nullatenus dubites, non solum omnes Paganos, sed et omnes Judaeos, et omnes Haereticos, atque Schismaticos, qui extra Catholicam Ecclesiam praesentem finiunt vitam, in ignem aeternum ituros.* S. Gregorius Magnus Lib. XIV. Moral. Cap. II. *Sancta universalis Ecclesia praedicat, salvari veraciter nisi intra se non posse, asserens, quod omnes, qui extra ipsam sunt, minime salvantur.* Denique Author Symboli ab Ecclesia recepti, quod a qui-

busdam S. Athanasio tribuitur, ait: *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem: quam nisi quisque integram, inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit.*

XC. Prob. III. Ratione Theologica. Qui non credit omnes articulos a Deo revelatos, nullam habet fidem supernaturalem. Atqui qui nullam habet fidem supernaturalem, is certo damnatur; cum juxta Apostolum, accedentem ad Deum oporteat credere. Ergo. P. M. Ad fidem supernaturalem requiritur, ut quis credat propter auctoritatem Dei revelantis. Atqui qui non credit omnes articulos a Deo revelatos, etiam illos quos credit, non credit propter auctoritatem Dei revelantis, sed ex alio motivo. Ergo. P. min. Eadem est auctoritas Dei revelantis tam in substantialibus quam accidentalibus, ut vocant articulis: neque enim Deus etiam in accidentalibus, si qui tales darentur, articulis falli aut fallere posset. Ergo et illi debent credi. Ergo cum illi non credantur, neque substantiales creduntur propter auctoritatem Dei revelantis. Neque dici potest, Deum, quamvis articulos illos revelaverit, nos tamen nolle obligare ad eos credendos: impossibile est enim, ut Deus auctoritatem suam vilipendat, hominumque arbitrio relinquat credere, vel repudiare quod revelavit.

XCI. Prob. IV. ex sequelis. Si quilibet in quacunque religione Christiana salvari posset, sequeretur I. Salvari potuisse Arianos, Pelagianos, Nestorianos, Eutychianos etc. Ergo Ecclesia errasset, eos condemnando ob rem adiaphoram. II. Frustra et inepte celebrata fuisse tot concilia, tum Oecumenica, tum particularia. III. Deceptos fuisse Sanctos Martyres, qui vitam potius

amittere, quam haeresi consentire voluerunt. IV. Stulte egisse Sanctos Ecclesiae Patres, qui eximio zelo magnoque excellentis doctrinae apparatu haereticos suorum temporum impugnarunt. Praecipue autem stulte egisse Catholicos Episcopos Saeculi IV. qui ne mutarent unam tantum litteram *homousion* in *homiusion*, quamvis Ariani pacem pollicerentur, si id facerent, gravissima incomoda, bonorum proscriptionem, exilium, carceres, et saepe mortem sunt passi. V. Imperatores Orientis et Occidentis, Constantinum, Theodosios, Valentinianos, Honorium etc. injustas tulisse leges, quando gravissimas poenas statuerunt in Arianos, Donatistas, Pelagianos, Nestorianos etc. VI. Ecclesiam, etiam primis saeculis, non modo injuste, sed etiam crudeliter ac tyrannice egisse cum haereticis illis, quod ob rem adiaphoram illos damnarit, suaque communione privarit. VII. Denique contra ipsos Protestantes sequeretur, Lutherum, Calvinum, aliosque Novatores saeculi XVI. perperam se ab Ecclesia Catholica separasse, tantaque rabie in eam invectos esse: impie tot bella fuisse ab eis excitata, tantasque tragoedias religionis causa; si quidem perinde est, quamcunque religionem Christianam quis amplectatur, et Romana Ecclesia cum Sectariis conveniat in articulis substantialibus. Quo titulo ergo Protestantes tot Monasteriis et bonis privarunt Catholicos?

XCII. Prob. V. Evertendo praecipuum fundamentum adversariorum. Commentitia prorsus, et a veritate aliena est illa articulorum distinctio in substantiales et accidentales. Ergo. P. A. I. Argumento ad hominem. Juxta Protestantes nihil est asserendum, quod in sacris litteris non continetur. Ergo cum Scripturae nullam faciant articulorum fidei distinctionem aut divisionem in

substantiales et accidentales, neque ipsis Protestantibus fas erit eos ita dividere. Neque dicas cum M. Ant. de Dominis, ea dogmata esse fundamentalia, quae clare in Scripturis exprimuntur: nam omnes haeretici, tam veteres quam recentiores, docent errores suos clare in Scripturis contineri. Ergo omnes haereses forent dogmata fundamentalia, praecipue cum sectarii non alium Scripturarum divinarum interpretem admittant, quam spiritum privatum. Prob. II. Ad conciliandam pacem in Ecclesia per hanc distinctionem articulorum in fundamentales et accidentales, necesse est certo scire, quinam sint articuli fundamentales, seu in quibus fidei capitibus vere contineatur fundamentum salutis. Atqui haec determinatio non est hactenus firma lege sancita: neque sanciri potest juxta principia Protestantium, qui solum spiritum privatum agnoscunt tanquam solum verumque Scripturarum interpretem, nisi Ecclesia tanquam Judex supremus admittatur, quae est columna et firmamentum veritatis. Et sane nemo prudens dixerit, Lutheranos v. g. et Calvinianos convenire inter se in articulis fundamentalibus. Cur enim realis Christi praesentia in Eucharistia, aut mors Christi pro omnibus obita, aut verus Christi ad inferos descensus non erunt articuli fundamentales, in quibus tamen discrepant inter se Calviniani, et Lutherani? Certe *Lutherus*, cum intellexisset Sacramentarios asserere, se cum Lutheranis in substantia fidei convenire, his verbis falsitatem est testatus: *Maledicta pax et concordia cum Sacramentariis per omnia saecula saeculorum.* Et in colloquiis mensalibus hac de re ait: *Non alia sperari potest concordia inter nos et Sacramentarios, quam quae inter Judam et Christum intercessit.* Atque in Epist. ad Ar-

gentoratenses. *Alterutros oportet esse Satanae ministros, vel ipsos Sacramentarios, vel nos.* Praeterea Protestantes ostendere nequeunt, quonam sensu intelligi debeant articuli fundamentales, cum Spiritus privatus aliter Arianis, Pelagianis, Nestorianis, Socinianis, Calvinistis et Lutheranis intelligendos esse hos articulos dictet; nisi confugiatur ad auctoritatem Ecclesiae Romanae, cujus judicium infallibile est: haec vero docet, omnes articulos a Deo revelatos fide divina credendos esse, absque ullo discrimine.

OBJECTIONES.

XCIII. *Objicitur I.* Auctoritas Scripturarum. In Scripturis clare innuitur, fidem in Christum sufficere ad salutem. Ergo P. A. Joan. III. v. 15. dicitur: *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Et v. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* II. Latroni, quamvis in solum Christum crederet, dictum fuit a Christo Lucae XXIII. *Hodie mecum eris in Paradiso. Act. VIII.* Philippus Diaconus Aethiopem Reginae Candacis thesaurarium baptizavit, nulla alia praemissa instructione, quam de Christo. IV. Apostolus Corinthios vocat *Sanctos*, propter fidem in Christum, quamvis inter ipsos essent schismata. I. ad Corinth. I. v. 2. *Ecclesiae Dei, quae est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi.* R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Scriptura dicit fidem in Christum esse necessariam; at nullibi asserit solam hanc fidem sufficere, alioquin fides v. g. in Spiritum Sanctum minime foret necessaria. Ad II. La-

tro in cruce explicite credidit in Christum, implicite vero omnes articulos, crediturus illos explicite, si ipsi fuissent sufficienter propositi. Ad III. Per illa verba, Act. VIII. *Evangelizavit illi Jesum*, non intelligitur tantum, quod Christum illi annuntiaverit, sed etiam ejus legem, saltem quoad ea quae creditu sunt necessaria. Neque longo tempore ad id indigebat Philippus; Aethiops enim ille probabilius, ut scribit *S. Irenaeus Lib. IV.* adv. Haer. Cap. XL. erat proselytus, in Lege Mosaica et Prophetis versatus. Ad IV. Dissensio Corinthiorum non versabatur circa res fidei, sed circa praestantiam eorum, qui ipsis Evangelium annuntiaverant; dicebant enim I. ad Cor. I. v. 12. *Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephae.* Quid mirum ergo, quod Apostolus honorifica illa verborum et scriptionis formula Corinthios compellet? Major enim et melior illius Ecclesiae pars hujusmodi contentionum et factionum expers erat, praeterquam quod contentiones illae ad fidem nullatenus pertinebant; nec enim errores illos Apostolus dissimulasset, qui longe minora vitia castigabat; sed charitati dumtaxat adversabantur.

XCIV. *Objicitur II.* Exemplum veterum Christianorum. Primi fideles Antiocheni, item Petrus, Paulus, Barnabas, ad veram Christi Ecclesiam profecto pertinebant: neque tamen minus fuere inter eos dissensiones; non eae tamen, quae unitatem tollerent. Ergo in accidentalibus articulis absque aeternae salutis dispendio discrepare fas erit ab Ecclesia Catholica. II. Alia fuit Cypriani circa baptizatos ab haereticis sententia, quam Stephani I. Rom. Pontif. uterque tamen in eadem communione mortuus est, uterque ab Ecclesia Catholica inter Sanctos colitur. Ergo. III. Diversae per orbem Ec-

clesiae diversos servarunt ritus, diversosque in Sacramentis celebrandis, in festis, in jejuniis mores, unitate fidei et religionis non amissa: atque haec diversitas ab Apostolis, primisque Evangelii praeconibus promanavit, qui se captui et ingenio populorum, ad quos proficiscebantur, suaviter accommodabant. Ergo. R. ad Imum. D. A. Fuere inter eos dissensiones circa res ad fidem non pertinentes, vel circa res fidei ab Ecclesia nondum decisas, C. A. Supremo judicio jam decisas, satisque eliquatas N. A. et C. Dissensio Gentiles inter et Judaeos ad Christi fidem Antiochiae conversos orta est ob caeremonias legales, ac primum postea in Concilio Hierosolymitano ab Apostolis definitum fuit *Act. XV.* earum observationem minime necessariam esse ad salutem, lisque omnis inter Catholicos cessavit. Contentio Petrum inter et Paulum non erat in re fidei, sed tantum in facto; quod Petrus advenientibus Antiochiam Judaeis, ex oeconomia quadam, atque in eorum gratiam, abstinuerit a mensa Gentilium. Dissensio Paulum inter et Barnabam fuit circa socium; volebat enim Barnabas Joannem, qui cognominabatur Marcus, socium praedicationis assumere, quod Paulo non probabatur. *Act. XV.* Ad II. R. S. Cyprianus neque existimavit quaestionem illam de Baptismo haereticorum pertinere ad fidem: neque eam S. Stephanus Papa expresse et explicite definivit: ideoque S. Augustinus duobus et amplius post Cypriani mortem saeculis scribit, quaestionem hanc, propter indefinitum dogma nimirum, nondum fuisse eliquatissima perfectione discussam. Verum hac de re ex instituto agemus Tractatu VI. Artic. I. Ad III. R. Si de ritibus ac caeremoniis tum in Sacramentorum usu, tum in Liturgia adhiberi solitis sit

sermo, itemque in jejuniis, et nonnullis festis; nam in diem Dominicam omnes consenserunt, diversitatem hanc facile concedimus. At omnibus eadem Sacramenta fuerunt, omnibus idem Sacrificium incruentum, eadem synaxis, eadem exomologesis, eadem Ecclesia, eadem fidei regula, eadem fides; nec ulla fuit opinionum diversitas, nisi in rebus ad disciplinam pertinentibus.

XCV. *Objicitur III.* Auctoritas Patrum. Juxta Patres sufficit ad salutem, si credatur Symbolum Apostolorum. Ergo. P. A. S. Augustinus Serm. LIX. alias CXXXV. de Tempore ait: *Symbolum est regula fidei, brevis et grandis. Brevis numero verborum; grandis pondere sententiarum.* S. Bonaventura in III. Senten. Dist. XXV. scribit, *Duodecim articulos Symboli Apostolici esse summam totius fidei Christianae.* R. D. A. Sufficit ad salutem, si credatur symbolum in genuino, vero, ac legitimo sensu, C. A. In sensu arbitrario, quo ab haereticis creditur, N. A. Qui in legitimo sensu credit symbolum, hoc ipso quod unam dari credat, Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam, credit implicite omnes articulos revelatos, quos eadem nobis fide divina credendos proponit. Ad *probat.* R. Augustinus, et Bonaventura id solum significant, ad articulus in Symbolo Apostolico contentos facile reliquos revocari posse. Patet id manifeste ex S. Bonaventura, qui l. c. statim subjungit: *Sic articulus de praesentia in Eucharistia revocari potest ad articulum de Omnipotentia Dei, vel ad articulum de passione et morte Christi: Baptismus ad articulum de remissione peccatorum.* Quibus verbis satis indicat, se reliqua fidei dogmata nequaquam excludere.

XCVI. *Objicitur IV.* Sequela. Juxta nos, qui

unicum negaret fidei dogma, damnaretur. Atqui id absonum omnino, et durum est; quia hac ratione agmen salvandorum valde minutum foret, cum pauci sint Catholici comparate ad reliquos, multique ex illis ob vitam flagitiose actam aeternam salutem non sint consecuturi. Ergo. *Confirm.* Incredibile est propter unicum in fide errorem, praecipue in materia levis momenti, tot homines perire, qui in aliis sectis vitam ducunt castigatissimam. Ergo. R. D. M. Si articulus ille, vel illud fidei dogma ei sit sufficienter propositum, C. M. Secus, N. M. Quod salvandorum numerus comparate ad reprobos sit exiguus, id neque durum, neque absonum est, sed veritati a Christo revelatae omnino conforme. Matth. enim Cap. VII. dicitur: *Angusta porta, et arcta via est, quae ducit ad vitam: et pauci sunt, qui inveniunt eam.* Et Cap. XX. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Caeterum non tam angusti sunt limites Ecclesiae Catholicae, ac vellent Protestantes: siquidem, ut de Europa nostra nihil dicam, latissime propagata est in America et Asia, ubi solus S. Franciscus Xaverius duodecies centena barbarorum millia sacro fonte lustravit. Ad *confirm.* D. A. Si tales homines ignorantia laborent invincibili, simulque animum habeant generatim credendi omnia, quae Christus, aut vera ejus Ecclesia credenda proponit, C. A. Si ignorantia illorum sit crassa, affectata, vincibilis, quali plerumque laborant Protestantes saltem paulo cultiores, N. A. Quae de castigatissima Protestantium vita jactantur, haud facile fidem inveniunt; castigata siquidem eorum vita plerumque in quadam honestate exteriori consistere solet. Cum enim sine speciali gratia tentationes graves moraliter superari nequeant, nullumque tota vi-

ta, praeter Baptismum, Sacramentum Protestantes suscipiant, ordinarie loquendo eos tentationibus succumbere mirum non est; praecipue cum docrinam sectentur carni et sanguini blandientem, quae liberum arbitrium negat, mandata Dei esse impossibilia, et peccata per solam fidem abstergi, vel potius tegi asserit.

XCVII. *Dices I.* Ex una parte articuli, circa quos protestantes a Catholicis discrerant, sunt tantum accidentales, suntque veluti foenum, stipulae, ligna, quae superaedificantur fundamento fidei, et charitatem quidem laedere possunt, unitatem tamen fidei fundamentalem non tollunt: ex altera parte Protestantes desciverunt a Romana Ecclesia ob gravissimas causas, nempe propter flagitiosissimos Clericorum mores, Romani Pontificis et Episcoporum tyrannidem, avaritiam, superbiam, luxuriam etc. Ergo propterea non sunt culpandi, aut damnandi. R. N. A. Dissidium illud circa Eucharistiam, cultum Sanctorum, Purgatorium, Justificationem, Sacramenta etc. minime vocari potest foenum, aut stipulae, quae unitatem fidei non tollant; alias dissidia omnia in materia religionis forent merae stipulae. Alterum objectionis membrum quod attinet, ajo Donatistas olim in Africa simili excusatione usos fuisse. Meminisse oportebat Protestantes divini illius effati, Matth. XXIII: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribae, et Pharisaei. Omnia ergo quaecunque dixerint vobis, servate, et facite: secundum opera vero eorum nolite facere.* Licet multorum mores illis temporibus perversi fuerint, fides tamen erat integra. Ergo debuissent Protestantes se et alios in moribus reformare; minime autem sanam doctrinam repudiare, seque legitimis Superioribus rebelli ac protervo spi-

ritu opponere. Caeterum qui mores ex nova hac reformatione prodierint, satis testatur *Erasmus Roterodamus*, author Protestantibus minime suspectus aut infensus, apud *Bossuetum* Tomo I. Hist. Variation. doctr. Protest. Lib. V. *Quae est ista stirps Evangelica*, inquit, *qua nihil dissolutius, nihil seditiosius, nil minus Evangelicum? Tollunt vigilias et officia, velut praxes Pharisaicas: at interin oportebat substituere aliquid melius, et non ruere a Judaismo ad Epicureismum. Extirpatur, quod erat purgandum; flamma injicitur aedibus ad absumenda purgamenta: mores neglecti, luxus, adulteria multiplicantur: nec regula, nec disciplina est: populus, excusso Superiorum jugo, nemini ultra cedit.* Et Lib. III. Epist. LIX. *Plus pietatis in uno bono Catholico Episcopo invenio, quam in omnibus istis novis Evangelistis.* Vitia Pontificum quod attinet, luce meridiana clarius est, si omnes Pontifices vitae parum castigatae, qui certe valde pauci fuere, simul in uno mortario contundantur, minus nequitiae prodituram, quam ex solo Luthero perditissimo illo scurra, cui solemne fuit foetidissimas spurcitias obscoeno ore eructare, in suis libris mille diabolos ubique crepare, maximorum Principum famam et auctoritatem inaudita temeritate lacessere.

XCVIII. *Dices II.* Ad salutem consequendam non requiritur major unitas fidei, quam Baptismi; ut enim Apostolus ad Ephes. IV. ait: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Atqui omnium Christianorum unum est baptisma: neque enim Ecclesia rebaptizat ablatos ab haereticis. Ergo omnium Christianorum una est fides, saltem in substantialibus. R. N. M. alias sequeretur fidem Paganorum eandem esse cum fide Chri-

stianorum; quia baptismus valide confertur etiam a pagano, modo is confusam et implicitam habeat intentionem faciendi id quod facit Ecclesia. Praeterea D. m. Unum est omnium Christianorum baptisma quoad Sacramentum et characterem, si omnia adhibeantur, quae a Christo praescripta sunt, C. m. Quoad sanctificationem et effectus baptismi, N. m. Si adultus, absque urgente necessitate, ac mala fide baptizetur ab infidelibus, vel haereticis, qui alias ritum a Christo praescriptum observant, verum quidem suscipit Sacramentum, infigiturque illi character baptismalis: at vero gratiam sanctificantem, et peccatorum remissionem non consequitur, quia malitia sua obicem ponit effectui baptismatis.

XCIX. *Dices III.* Divina providentia in preparandis mediis ad salutem non tollit ingeniorum diversitatem. Ergo salutem non alligavit uni religioni Catholicae. Ingenia enim etiam in rebus sacris variant, secundum diversitatem climatum, variaeque oriuntur affectiones. R. Siquid hoc argumentum probaret, evinceret omnino salutem aeternam obtineri posse extra quamcunque religionem Christianam. In forma D. A. Non tollit ingeniorum diversitatem, ita tamen ut velit omnes in eadem doctrina convenire, et Ecclesiam audire, C. A. Ut hoc non velit, sed cuicunque liberum relinquat credere quod lubet, et hac in re ingenio suo obsequi, N. A. – Sectarum divisio non ab ingenii varietate, sed a vitiosa affectus pronitate derivatur, quae suae pravitati conformia, tanquam meliora probat.

C. *Dices IV.* Christus restituit Ecclesiam libertati, quam habuit in statu Legis naturae. Atqui in illo statu dabatur religionis libertas. Ergo etiam in statu

Legis Christi haec libertas datur. R. N. M. et m. Falsa est major propositio. Christus enim Ecclesiam suam restituit libertati, quatenus illam a servitute peccati, atque ab oneribus, sive praeceptis caerimonialibus Legis Mosaicae liberavit; non vero in eo sensu, quod noluerit a fidelibus suis plura credi, quam explicite credita fuerunt in statu Legis naturae. Falsa est itidem minor; quia etiam in statu Legis naturae unica erat religio, extra quam salus obtineri non poterat, omnesque fideles conveniebant in unitate praeceptorum, poenitentiae, fidei, spei et charitatis supernaturalis, aliorumque, quod per traditionem a majoribus acceperant.

CI. *Dices V.* Saltem Ecclesia Romana in aliquibus cedere deberet sectariis; quia Ecclesiae mansuetudo exigit, ut dispersa membra colligantur, sicque consuleretur paci et bono communi. R. Si Protestantes vellent, ut Ecclesia diversos aliquos ritus permittat, qui ad fidem non pertinent, id facile a Romanae Ecclesiae mansuetudine obtinerent. Si vero ab eadem exigunt, ut bona illius pace ipsis fas sit vel in unico tantum articulo revelato a Catholicis dissidere, frustra sunt. Hoc ipso enim desineret vera esse Christi Ecclesia, columna et firmamentum veritatis, ac manifestae foret praevaricationis rea. Hinc cum S. Gregorio Nazianzeno sentit, qui Apologetico I. scribit. *Melius et optabilius est egregium bellum pace impia, et a Deo distrahente.* Nonne et Apostolus Galatis Cap. V. aperte denunciavit: *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit. -- Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini: a gratia excidistis*; quamvis in eo tantum erraverint Galatae, quod praefracte assererent, legalibus Moysis obligari etiam illos, qui sive ex Judaeis, sive ex Gentibus fidem Christi suscepissent?

CII. *Objicitur V.* Inaequalitas veritatis revelatae. Quilibet Christianus in quacunque secta Christiana salvari potest, modo saltem Christum Redemptorem agnoscat. Ergo non omnes veritates revelatae sunt aequaliter necessario credendae. Ergo alii sunt articuli fidei substantiales et essentiales, alii accidentales. P. A. Multi Catholici salvantur, quamvis plurima ignorent a Deo esse revelata, adeoque illa non credant fide divina, praecipue rudes, in divinis Scripturis non exercitati. Ergo etiam Sectarii salvari possunt, quamvis aliqua a Deo revelata non credant. R. D. A. Salvari potest ratione ignorantiae invincibilis, et per accidens, modo implicite ac generice credat, quae a Deo sunt revelata, C. A. Per se, praescindendo ab ignorantia invincibili, piaque illa praeparatione animi, N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Catholici illi salvantur, quia implicite omnia credunt; nec datur obligatio credendi explicite omnia a Deo revelata, quae neque necessitate medii, nec praecepti sunt necessaria; alias valde pauci salvarentur, iique tantum doctissimi. At vero haeretici, qui errorem contra Ecclesiae definitionem pertinaciter tuentur, non tantum non habent fidem implicitam omnium credendorum; sed positive discredunt, contemnuntque auctoritatem Dei revelantis, quae in omnibus articulis semper est eadem, falli et fallere nescia.

CIII. *Dices I.* Inter veritates revelatas multae sunt exigui momenti, v. g. quod Apostoli numero fuerint duodecim: quod temporibus Christi Judaeae praefuerit Pontius Pilatus etc. Ergo saltem in ejusmodi rebus, salva fide et salute, fas erit sentire ut lubuerit R. T. A. N. C. Summa Dei revelantis auctoritas omnino exigit, ut homines quascunque veritates a Deo revelatas

firmissime credant: neque absque summa divinae auctoritatis injuria dici potest, parum aut nihil referre, ut credantur, nec ne, quae Deus revelavit; perinde ac si Deus in rebus exigui momenti falsum loqui, aut decipere nos queat.

CIV. *Dices II.* Ipsi Catholici discrimen faciunt inter articulos fidei, dicuntque aliquos esse creditu necessarios necessitate medii, alios necessitate praecepti. Ergo etiam Protestantes congrue dividunt articulos fidei in fundamentales et accidentales. R. C. A. N. C. Quamvis Catholici hoc discrimen faciant inter articulos fidei quoad necessitatem illos credendi explicite; nihilominus constanter asserunt, omnes implicite credi debere, neque fas esse de ullo dubitare, multoque minus aliquem negare. Unde duplex fidei praeceptum statuunt, affirmativum unum, quo jubemur assentiri veritatibus revelatis: negativum alterum, quo tenemur nihil negare, nil in dubium trahere quod est revelatum: atque hoc semper, ac pro semper obligat. Porro fundamentum ita dividendi articulos habent Catholici in Scripturis, traditione et Patribus, quamvis ipsi Catholici in determinandis istis articulis non conveniant. At vero Sectarii nullum habent legitimum fundamentum dividendi articulos revelatos in substantiales, et accidentales.

CV. *Dices III.* Multa capita, quae nunc sunt controversa, et Ecclesiae unitatem scindunt, aliquando impune aut fuerunt ignorata, aut de iis tamen, sine ullo salutis periculo, est dubitatum. Ergo capita illa nostris etiam temporibus vel ad fidem non pertinent, quia Ecclesia condere non potest novos fidei articulos: vel si ad fidem pertinent, numeranda sunt inter articulos accidentales, quibus citra periculum salutis licet dissenti-

re. R. T. A. N. C. Non nulla sunt in divinis litteris, vel antiquis traditionibus, quae cum obscuriora esse videantur, licet revera fuerint revelata, non obligant tamen, antequam ab Ecclesia credenda proponantur. Quare mirum non est, de aliquibus fidei dogmatibus olim impune dubitatum fuisse, antequam ab Ecclesia essent definita, aut declarata. At vero posteaquam Ecclesia, quae est firmamentum et columna veritatis, decretoriam tulit sententiam, eaque dogmata fidelibus credenda proposuit, nefas est illorum veritatem in dubium vocare. Ergo quae olim impune, ob ignorantiam nimirum divinae revelationis, in dubium trahebantur, ea post Ecclesiae declarationem negari, aut in dubium vocari amplius nequeunt salva fide. Quamvis autem Ecclesia, juxta communiorem Theologorum opinionem, condere non possit novos fidei articulos, accepit tamen a Christo potestatem, atque infallibilem auctoritatem revelationes divinas, in verbo Dei tam scripto, quam tradito contentas, explicandi et applicandi, earumque sensum determinandi.

CVI. *Objicitur VI.* Probabilitas aliarum Sectarum. Protestantibus, aliisque Sectariis si non certa, saltem valde probabilis videri potest sua religio. Ergo perire non possunt. P. C. Licitum est in operando sequi sententiam minus probabilem, relicta probabiliori. Ergo etiam id licitum est in credendo. R. I. N. A. Si enim Sectarii pro agnoscenda veritate moralem diligentiam adhibeant, omniaque mature expendant, Religio Catholica ipsis evidenter credibilis apparebit, sua autem secta, quia in multis Catholicae religioni adversatur, evidenter incredibilis. Quod autem plurimi ex Sectariis, praecipue moratiores et magis exculti, ad Catholicos non

transeant,, id non vitio intellectus, sed voluntatis, et noxio rerum temporalium amore contingit. Sed dato etiam, ut liberaliter agamus, sectam suam videri non improbabilem, fieri tamen non potest, quin Catholica religio ipsis longe probabilior, ac tutior appareat. Quare R. II. O. A. N. C, Ad *probat.* O. A. de quo disputare nec lubet, nec vacat. N. C. Juxta patronos, probabilismi, quando agitur de licentia actionis, licet sententiam sequi minus quidem, vere tamen ac Theologice probabilem; quia per ultimum dictamen conscientiae removetur periculum peccandi, nulli provenit notabile damnum, nec operanti, nec proximo. At vero sequi non licet religionem, quae minus probabilis videtur. Cum enim vera religio sit necessaria necessitate medii ad salutem, ejus defectus neque per ignorantiam, neque per qualecunque dictamen suppleri potest. Praeterea per nullum dictamen removeri potest perturbatio Ecclesiae, scandalum, damnumque proprium ob privationem Sacramentorum: adeoque in materia religionis non nisi probabiliorem, immo tutiorem amplecti licet.

CVII. *Dices I.* Quamvis reliquae sectae sint minus credibiles, tamen religio Catholica non est evidenter vera. Ergo saltem licebit suspendere suum judicium circa quamlibet religionem, et nullam amplecti. R. C. A. N. C. Quando alicui religio Catholica evidenter credibilis apparet, hoc ipso datur obligatio illam credendi; quia tunc nullam prorsus habet prudentem rationem judicium suum suspendendi, cum prudenter amplius dubitare nequeat, quin Catholica religio sit vera.

CVIII. *Dices II.* Juxta communem Theologorum sententiam potest Deus permittere, ut tanta detur apparentia veritatis pro articulo falso, quanta datur pro ve-

ro. Ergo quamvis religio Catholica alicui videatur longe probabilior, aut etiam evidenter credibilis, probari tamen nequit, teneri illum ad eam amplectendam. R. D. A. Deus potest tantam apparentiam permittere pro articulo falso, respectu aliquorum hominum, et illorum mysteriorum, quorum fides non est necessaria necessitate medii, C. A. Respectu totius Ecclesiae, N. A. Deus permittere nequit, ut tota Ecclesia labatur in errorem, quantumvis materialem tantum, alias Ecclesia non foret amplius columna et firmamentum veritatis.

ARTICULUS II.

DE VERBO DEI SCRIPTO.

CONTROVERSIA I.

AN DETUR SACRA SCRIPTURA, A DEO INSPIRATA?

Contra Schwenckfeldianos, Libertinos, Deistas.

CIX.

Sacrarum Scripturarum nomine intelliguntur certi quidam libri, Deo inspirante conscripti: cumque per illos Deus quodammodo homini loquatur, vocantur a Patribus Epistolae a Deo missae per manus Prophetarum, et Apostolorum. Sic *S. Augustinus* Serm. II. in Psalm. XC. ait. *De illa civitate, unde peregrinamur, litterae nobis venerunt. Ipsae sunt Scripturae, quae nos hortantur ut bene vivamus.* Et S. Gregorius M. Lib. IV. E-

pist. XL. ad Theodorum: *Imperator coeli, Dominus Angelorum et hominum, pro vita tua tibi epistolas suas transmisit, et tu illas ardenter legere negligis? Quid est enim sancta Scriptura, nisi quaedam epistola omnipotentis Dei ad suam creaturam*? Dicuntur etiam iidem libri Verbum Dei scriptum, quod a divinis traditionibus distinguitur: cum illae non scripto, sed voce sint nobis traditae ab Apostolis.

CX. In Scripturis divinis, seu verbo Dei scripto tria sunt distinguenda, scilicet sensus, sive res verbis expressa, ipsa verba, et stylus: tres itidem in sacris scriptoribus divinae operationes, nimirum revelatio, inspiratio, et specialis directio, sive assistentia Spiritus Sancti ad praecavendum errorem. *Revelatio*, est ignotae antea veritatis facta divinitus manifestatio. Sic v. g. *Isaias* Cap. XLV. revelatione divina cognovit, Cyrum Persarum Regem futurum aliquando Judaici populi liberatorem. Et Cap. VII. Messiam ex Virgine nasciturum. *Inspiratio*, est incitatio quaedam interior, motusque insolitus, quo quis ad loquendum vel agendum impellitur, quin ratio aut libertas patiatur. Ita scripsisse videntur Scriptores sacri historias et facta, quae ipsis aliunde erant nota: ut adeo nulla revelatione opus eis fuerit. *Directio* specialis, est singulare Divini Spiritus auxilium, quo fit ut scriptor nihil falsi immiscere possit, quamvis verba, aut verborum compositio ipsius genio et indoli permissa fuerit.

CXI. Quemadmodum Epistola non potest dici esse Principis, nisi Princeps eam vel manu propria scribat, vel illam de verbo ad verbum dictet, aut saltem eam suo nomine scribi jubeat, suamque authoritatem eidem impertiat, simulque caveat ne contra mentem

suam aliquid immisceatur; sic etiam Scriptura dici nequit Dei Verbum, nisi scriptori sacro revelet, quae scribit, au divinitus inspiret, si non semper singula verba, saltem sensus, ita ut verba et stylus tantummodo Scriptorum arbitrio permittantur. Sola vero Spiritus Sancti assistentia minime sufficit, ut Scriptura verbum Dei dicantur Quando enim v. g. Ecclesia in Generalibus Conciliis congregata, vel etiam dispersa, Canones condit, specialiter illi assistit Spiritus Sanctus, omnemque in rebus fidei et morum errorem praecavet: neque tamen idcirco Canones illi Verbum Dei appellantur.

CXII. Exstare Scripturam sacram, quae sit Verbum Dei, non modo Catholici omnes, sed ii etiam qui a Catholica Ecclesia separati Christianorum nomine appellantur, saeculis omnibus constanter asseruere, immo Judaei etiam et Mahometani. Soli Libertini, Quintini Sutoris Picardi discipuli, eorumque propago Deistae, id inficias iverunt, necessaria omnino consecutione, quod omnem religionem revelatam rejiciant. His accenseri meretur Gaspar Schwenckfeldius Eques Silesius. Cum enim is Scripturam omnem dicat esse litteram, quae occidit, soloque spiritu interno contentos nos esse jubeat, Verbum Dei scriptum existere aut omnino negavit, aut certe mentem ac verecundiam omnem exuit, dum fontem vitae lethalem nobis esse pronuntiavit.

CXIII. *Conclusio I.* Dantur Scripturae sacrae, tam veteris quam novi Testamenti, quae proprie sunt Verbum Dei. Prob. Religio Christiana est evidenter credibilis, ut late ostendimus a Num. XXXV. usque ad XLVII. Atqui Christianae religionis capitale est dogma libros veteris novique Testamenti esse vere divinos. Ergo evidenter credibile est, libros veteris novique Testa-

menti, vere divinos existere. Hoc unico argumento, veritas conclusionis nostrae sufficienter ostenditur. Ut vero incredibilis Deistarum temeritas magis elucescat, rem hanc maximi sane momenti uberius illustrabimus.

CXIV. Probatur argumento praescriptionis, libros veteris Testamenti esse vere divinos. Judaei aeque ac Christiani in hanc librorum veteris Testamenti Divinitatem perpetuo consensu conspirarunt. Ergo certa est librorum illorum Divinitas. P. A. Quanta fuerit Judaeorum erga libros illos reverentia, obsequium, et zelus, res ipsa loquitur, eorumque historici testantur. Josephus Flavius Judaeus Cap. I. contra Appionem scribit: *Quantum fidei et auctoritatis nostrae Scripturae libris tribuamus re ipsa satis perspicuum est. Nam tanto et diuturno aevi curriculo decurso, nemo illis vel addere, vel adimere, vel quidquam denique in eisdem immutare ausus est. Immo quod rata Dei praecepta decretaque sunt pro certo existimare, iisque adhaerescere, et pro illis, si opus sit, vitam libenter profundere non dubitare, omnium Judaeorum animis, statim ab ineunte aetate quasi insitum et innatum est.* Idem Christiani etiam admiserunt. Christus ipse missionis suae Divinitatem argumentis ex veteri Testamento desumptis evincebat: Apostoli uno ore protebantur, novum illud quod promulgabant Testamentum, veteris esse complementum ac perfectionem: Christiani inter conventus suos libros veteris aeque ac novi Testamenti ut divinos legebant, ac reverebantur: Episcopi, et Doctores Ecclesiae ut divinos, ac divinitus inspiratos proferebant, laudabantque. Ex his merito infertur, libros veteris Testamenti vere esse divinos. Nam Christiani, quorum maxima pars ex Gentibus constabat, quae innato veluti

odio Judaeos aversabantur, Divinitatem illorum librorum admiserunt, propter veteres prophetias ipso eventu completas, ipsius Christi et Apostolorum auctoritate permoti, quos tanquam magistros et Doctores a Deo missos suscipiebant, eo quod illi missionem suam luculentissimis miraculis comprobarent. Neque Judaei in hanc librorum veteris Testamenti Divinitatem conspirare potuerunt, nisi quia certis argumentis ipsis erat comperta. Illorum animis insederat naturalis nescio quae propensio ad idololatriam, et aversio a Lege Mosaica. Ut ergo legem illam amplecterentur, opus eis erat motivo fortiori. Atqui motivum aliud esse non potuit, nisi legis illius, et librorum, quibus continebatur Divinitas, et miraculis, et Moysis testimonio confirmata, quo asserebat Deum haec sibi dictasse. Profecto nemo prudens suspicari potest, Judaeos, in aliis multis litigiosos, incurios fuisse in scrutanda legum suarum origine, aut Moysi tam dura praecipienti parituros, nisi is luculentis prodigiis legem suam ab ipso Deo dictatam fuisse demonstrasset.

CXV. Neque difficilius ostenditur libros novi Testamenti esse divinos I. Ex natura librorum illorum. Doctrina libris illis exarata, humanae menti est impervia. Traduntur in illis dogmata, seu mysteria, et praecepta moralia, quae sapientes ac Philosophi, multoque minus Apostoli, rudes et simplices homines, proprio marte fingere non potuerunt. Ergo libri illi divini sunt, Deo inspirante conscripti. II. Argumento praescriptionis. Quicunque a prima Christianae religionis origine Christo initiati sunt, sive ex Gentibus, sive ex Judaeis, libros novi Testamenti divinos esse constanter ac semper tenuerunt; quotiescunque enim adversus Eccle-

siam aliqua insurrexit haeresis, toties Ecclesiae defensores et Patres ex Scriptura praesertim novi Testamenti contra eos arguebant, eamque divinam esse expresse asserebant. Ergo libri novi Testamenti vere divini sunt. P. C. Primi Christiani Divinitatem librorum novi foederis non admiserunt, nisi rei veritate accurate discussa, et clare perspecta, Apostolorum auctoritate in eam opinionem abducti: Neque enim eos in re tanti momenti caeco impetu abreptos fuisse, aut insaniisse, ullo modo credibile est. Atqui Apostolorum auctoritas firma est et ineluctabilis; continua enim illi operabantur miracula, ut probarent divina esse quae scribebant et docebant, et se ipsos esse divinitus missos. Ergo. Profecto Apostoli, eorumque primi disciputi gravissimi criminis rei fuissent, si Divinitatem librorum novi foederis confinxissent; merito enim illis imputaretur, quod hominibus errori obnoxiis Christiani eam detulerint reverentiam, quae illi soli propria est, qui nec falli, nec fallere potest. Vide plura apud *Gregorium Simon* Tractatu de Religione, Tomo III. Quaest. III.

CXVI. Quod si dicas ab Impostore aliquo corruptos, aut suppositos fuisse Apostolis libros illos, rem asseris non modo nullo idoneo teste, aut ratione comprobatam, verum etiam incredibilem omnino atque impossibilem. Codex ille scripturarum via vitae est, in qua errare periculosum. Summam religionis continet: ideo diligenti cura asservatus, exscriptus magna fide, ut nemo crediderit impune posse aliquid ei detractum, vel additum fuisse. Ne id contigeret, Deus providit; neque enim sinebat, ut in errorem perniciosum induceret liber, quo nos veritatem docere susceperat. Fraus latere non poterat; diu enim est, quod homines in di-

versas partes scissi sunt, ad quas quisque rapere conatur Verbum Dei. Clamitassent ergo falsarios, si vel minimum ab adversariis depravatum advertissent. Adde, quod pluries descriptus sit Codex sacer, omnium manibus tritus, omnibus expressus linguis, ubique disseminatus, omnibus locis ac temporibus celebratus, ab innumeris scriptoribus laudatus. Igitur occultus error, et perniciosus non potuisset irrepere in toties multiplicatos ejusdem sacrae scripturae codices per totum orbem terrarum; et id fieri nemine conscio, cum assiduo oculis legatur, et teneatur memoria, et nullo reclamante in re tam magni momenti. Amens sit, cujus mentem haec cogitatio subire potuerit, aut commentitium aut supposititium librum esse pro vero, qui olim scriptus nunc exciderit, aut totus corruptus sit.

CXVII. Praeterea qua ratione impostor aliquis supponere potuit Apostolis v. g. Epistolas Canonicas? An ante mortem v. g. B. Pauli, eoque adhuc vivente? At diu istud latere non potuisset Apostolum: nam arctissimo cum iis Ecclesiis, quas fundaverat, commercio consociabatur, frequenter suos ad eas mittebat discipulos, invisendi, consolandi, monendi gratia: immo eas frequenter ipse invisebat. Ergo fraus diutius tegi non poterat. Quod si etiam fraus latuisset Apostolum, latere tamen non poterat eas Ecclesias, quibus Epistolae illae inscriptae erant. Noverant Ecclesiae illae et loquendi et scribendi modum primi sui Apostoli; necdum oblivioni tradita erant sive dogmata ab eo accepta sive facta propriis oculis usurpata. An suppositae fuerunt Apostolis jam demortuis? At quae epocha suppositionis hujus assignatur? Quibus testibus id evincitur? Epistolae illae Canonicae Apostolorum omnium manibus

terebantur; citantur ab omnibus viris celeberrimis, discipulis etiam Apostolorum, quorum recens erat tunc temporis memoria; adeo ut nobilissimis Ecclesiis, v. g. Romanae, Ephesinae, Thessalonicensi etc. persuaderi non potuisset, acceptas ab ipsis fuisse Epistolas, de quibus tamen nihil hactenus audierant. Ergo suppositio illa omnino commentitia est, incredibilis, ac sanae rationi adversatur.

CXVIII. *Conclusio II.* Deus saltem res et sententias in Libris sacris expressas Scriptoribus sacris inspiravit. Dixi, *saltem res et sententias*: contendunt enim aliqui Deum inspirasse illis singula verba, quod tamen alii communius negant cum Bellarmino id semper contigisse I. Quia huic sententiae suffragari videntur *S. Hieronymus* Epist. ad Algasiam, Quaest. X. *S. Augustinus* Lib. II. de Consensu Evangelist. Cap. XII. et alii Patres, *Origenes*, *S. Basilius*, *S. Gregor. Naz. etc.* qui fatentur, non infrequenter in Scripturis occurrere barbarismos, et soloecismos, quos profecto Deus non inspiravit. II. Quia nulla datur necessitas id asserendi. Ut enim Scriptura proprie sit Verbum Dei, necessaria non est singularum vocum inspiratio; sed satis fuit, quod authores sacri scripserint, Deo eos impellente ad scribendum, eisque sensus omnes conscribendos inspirante; ex intentione mentem suam manifestandi hominibus. Alias sequeretur, quod vulgata editio Latina non sit Verbum Dei; quia Deus Latina vocabula non inspiravit. Caeterum illud minime negandum videtur, quod Deus quandoque voces aliquas ad explicanda quaedam mysteria magis idoneas, ac figuras ad movendum aptiores inspiraverit. Atque de his vocibus intelligendi sunt Patres illi, qui ajunt nec syllabam, nec

apicem divinarum Scripturarum esse superfluum, et mysterio carere.

CXIX. Probatur Conclusio I. auctoritate Scripturarum. II. Petri I. dicitur: *Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Graece legitur, *Spiritu Sancto acti et impulsi.* II. ad Timoth. III. v. 16. *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum.* Ad Hebr. Cap. I. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis.* II. Auctoritate Patrum. S. Irenaeus Lib. II. adv. Haer. Cap, XLVII. *Scripturae quidem perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et spiritu ejus dictae.* Tertull. Lib. de habitu muliebri Cap. III, *Legimus omnem Scripturam aedificationi habilem, divinitus inspirari.* S. Athanasius Epist. ad Marcellinum de Interpret. Psal. *Omnis quidem apud nos, sive nova, sive vetus Scriptura, Numinis afflatu prodiit, et idonea est ad erudiendum.* S. Chrysost. Hom. XXI. in Cap. V. Genesis. *Nihil hic scriptum est, quod non multos habeat sensuum divitias; quandoquidem divino Spiritu afflati Prophetae locuti sunt, ideo uti a Spiritu scriptae, ingentem in se continent thesaurum.* III. Ratione. Scriptura sacra est vere ac proprie Verbum Dei, ut ostendimus Num. CXIII. et seq. Atqui nisi Deus res et sententias Scriptoribus sacris inspirasset, ex intentione hominibus mentem suam manifestandi, non esset verbum et locutio Dei; sola enim peculiaris assistentia non sufficit, ut diximus Num. CXI. Ergo.

CXX. *Quaeres I.* Quotuplex sit divinae Scripturae sensus? R. Duplex, litteralis nempe seu historicus, et mysticus seu spiritualis. *Litteralis* dicitur ille, quem verba proxime significant ex intentione Spiritus Sancti. Unde cum verba non proprie tantum, sed etiam

non raro metaphorice sumenda sint, sensus litteralis est duplex proprius, et metaphoricus. *Proprius* itaque est, quem verba proprie accepta efficiunt; *metaphoricus*, qui conflatur ex verbis improprie acceptis. Sic quando dicitur Christus sedere ad dexteram Patris, dextera non sumitur proprie, sed metaphorice, sensusque litteralis est, Christum aequalem cum Patre gloriam habere. Porro unus et idem quandoque Scripturae textus plures habere potest sensus litterales. Exemplo sit illud Isaiae Cap. LV. *Generationem ejus quis enarrabit?* in quo non de aeterna tantum, sed etiam temporali Christi generatione sermonem esse tradit S. Leo M. Serm. III. de Nativit. Dom. *Non enim ad illud tantummodo Sacramentum, quo Filius Dei consempiternus est Patri, sed etiam ad hunc ortum, quo Verbum caro factum est, credimus pertinere quod dictum est*, Generationem ejus *quis enarrabit?*

CXXI. Sensus *Mysticus*, seu Spiritualis est ille, qui non significatur immediate per ipsa verba, sed per rem verbis significatam. Sic Apostolus ad Galat. IV. v. 22. verbis illis: *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera*, per ancillam mystice intelligit synagogam, per liberam vero Catholicam Ecclesiam. Sensus mysticus subdividitur in allegoricum, anagogicum et tropologicum. *Allegoricus* est is, qui est de re pertinente ad fidem, vel Ecclesiam militantem. *Anagogicus* qui de re pertinente ad vitam aeternam, seu Ecclesiam triumphantem. *Tropologicus* denique de re pertinente ad mores. Sic per hanc vocem *Hierusalem* litteraliter significatur Urbs Palaestinae, allegorice Ecclesia militans, anagogice patria coelestis, tropologice anima hominis.

CXXII. Sensus accommodatitius dicitur ille, quem interdum usurpant Interpretes, et Concionatores; sed improprius est divinae Scripturae sensus, quia non a Spiritu Sancto intentus, sed ab Interprete vel Concionatore accommodatus ad alias res a Spiritu Sancto non intentas, seu praeter Spiritus Sancti intentum et scopum. Ut sensus hic licite usurpetur, observandi sunt tres Canones. I. Ut sensus ille sit verus; nefas enim est verbis sacris falsum adscribere, etiam per accommodationem. II. Ut sensus ille sit pius, et solum accommodetur ad res honestas et religiosas. III. Ut sensus accommodatitius pro litterali non tradatur, nec vicissim litteralis pro accommodatitio.

CXXIII. *Quaeres II.* Quaenam assignari possint Regulae pro discernendo genuino divinarum Scripturarum sensu? R. has esse praecipuas. I. Collatio Scripturae cum fide et bonis moribus. Verba Scripturae in sensu proprio, non metaphorico sumenda sunt, quando ex iis in sensu proprio acceptis nihil fidei veritati, vel morum honestati aut sanae rationi repugnans sequitur: Si vero aliquid hujusmodi sequatur, intelligenda tunc erunt in sensu metaphorico, juxta regulam Augustinanam Lib. III. de doctrina Christiana, Cap. X. *Quidquid sermone divino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem, proprie referri potest, figuratum esse cognoscas.* II. Est collatio Scripturae cum loco, tempore, et scopo personae scribentis, ut observat *S. Hieronymus* Lib. II. in Jeremiam Cap. VIII. Atque haec regula praecipue historias tangit, quae in Scripturis continentur, item Geographiam, et Chronologiam. III. Est collatio Scripturae cum Scriptura, seu codicis cum codice, textus cum textu, antecedentium et conse-

sequentium Scripturae locorum cum loco dubio, cujus genuinus, et a Spiritu Sancto intentus sensus quaeritur. Contingit enim saepius, ut id quod obscure dicitur in uno textu, clarius et expressius dicatur in alio, juxta illud S. Augustini Lib. II. de Doctr. Christiana Cap. VI. dicentis: *Nihil fere de obscuritatibus illis* (Scripturae) *eruitur, quod non alibi plenissime dictum reperiatur.* IV. Est collatio Scripturae cum SS. PP. sententia. Cum enim illi sint divinarum traditionum custodes, eorumque auctoritate in suis definitionibus utatur Ecclesia, patet, sensum illum a Spiritu Sancto intentum non esse, cui contradicunt ferme omnes Patres. V. Et principalis, est collatio Scripturae cum Ecclesiae judicio. Cum enim Spiritus Sanctus Ecclesiae sponsae suae specialiter assistat, eademque ab Apostolo dicatur columna et firmamentum veritatis, necessario consequitur, eum in interpretatione Scripturarum fidei et veritatis naufragium facturum esse, qui suae innixus prudentiae, Ecclesiae auctoritatem contemnit. Praeter has quinque regulas assignantur etiam aliae non minus necessariae, quae tamen praeviae quaedam dispositiones potius appellandae sunt; nimirum fides, demissio animi, conscientiae puritas, oratio, et assidua divinarum Scripturarum lectio. Vide *Annatum* in Apparatu, Lib. II. Artic. VIII.

CXXIV. *Quaeres. III.* Quot linguis fuerint Sacri Libri conscripti? R. Tribus potissimum, Hebraica, Chaldaica, Graeca. Hebraica lingua proprie dicta conscripti fuere plerique Libri veteris Testamenti; satis enim constat neque LXX. Interpretes, neque Aquilam, Symmachum, aut Theodotionem, aliunde quam ex Hebraeo in Graecam, et B. Hieronymum in Latinam linguam

hos Libros transtulisse. Posteriora Libri Estheris capita non reperiuntur quidem hodie in Hebraico; admodum tamen verisimile est, hebraice primum conscripta casu aliquo excidisse: unde enim ea, nisi ab Hebraeis ad nos pervenissent? Similiter Librum Ecclesiastici sub epigraphe *Parabolae*, si Prologum et ultimum fortassis caput excipias, hebraice olim scriptum vidit B. Hieronymus, ut ipse testatur Praefatione in Proverbia. His adjunge primum Macchabaeorum Librum a B. Hieronymo pariter hebraica lingua repertum. Librum Job. Syriace initio exaratum fuisse testatur *Origenes* Lib. I. in Job. Ex novi Testamenti libris lingua Syriaco-chaldaica, qua post reditum e Captivitate Babylonica communiter utebantur Judaei, et quae ad Hebraicam revocari potest, conscriptum fuit Evangelium S. Matthaei, et Epistola B. Pauli ad Hebraeos, ut B. Hieronymus contra Origenem contendit. Caldaica lingua puriore exarati fuerunt Libri Tobiae, Judith, Danielis, et primus Esdrae: Graeca vero Liber secundus Macchabaeorum, ut testatur *S. Hieronymus* in Prologo Galeato, et Liber Sapientiae, teste eodem *S. Hieronymo* Praefatione in Proverbia: item Libri omnes novi Testamenti, exceptis Evangelio S. Matthaei, et Epistola S. Pauli ad Hebraeos.

CXXV. Putant aliqui Evangelium S. Marci Latine primitus conscriptum fuisse, ejusque autographum Venetiis servari. *Montfauconius* asserit deprehendisse se in illo codice elementa latina: *Maximilianus Missonus* autem testatur, se hunc ipsum codicem accurate inspexisse, observasseque volumen illud graecis litteris esse conscriptum. Verum circa haec observo I. sufficienter probari non posse, codicem illum quadratum ma-

nuscriptum apud Venetos religiose asservatum, esse ipsum S. Marci autographum. II. In codice illo, situ et vetustate corruptissimo, et fere penitus obliterato, nec verti posse folia, nec legi characteres. III. Patres passim asserere, Evangelistas si unum S. Mattheum exceperis, Graece scripsisse. Ita *S. Augustinus* Lib. I. de Consensu Evangelist. Cap. II. et *S. Hieronymus* Praefat. in Evangelia: *De novo nunc loquor Testamento, quod graecum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthaeo, qui primus in Judaea Evangelium Christi hebraicis litteris edidit.*

CXXVI. Quaeres IV. Quaenam celebriores sint divinarum Scripturarum Versiones? R. Primum inter versiones locum linguae ad Hebraeam propinquitate vindicant sibi versio Chaldaica, et Syriaca, quae paraphrases potius dicendae sunt, quam versiones. Tantae auctoritatis sunt apud Judaeos Paraphrases Caldaicae, ut ferme illae aequalem habeant cum textu Hebraico, praecipue paraphrases Jonathanis, et Onkelosi, qui dicitur vixisse quadraginta annis ante Christum. Unde male, ob aliquam nominis similitudinem quidam voluere Onkelosum eumdem esse ac Aquilam Ponticum, qui CXXX. annis post Christum vetus Testamentum Graece interpretatus est. Mirum videri posset ex conversatione sua cum Barrabano Tyberiensi, et Lyddaeo, B. Hieronymum nihil rescivisse de paraphrasibus Chaldaicis, quarum nullam mentionem facit. Verum videntur Judaei dedita opera, ex mera invidia secum illas pressisse, quod viderent ex illis posse non pauca, neque imbellia contra se ipsos arma desumi; multa enim in illis occurrunt, quae Christianis aperte favent.

CXXVII. Secunda versio veteris Testamenti est

Graeca, eaque multiplex. Omnium celeberrima et antiquissima est graeca versio LXX. Interpretum, qui regnante Ptolomaeo Philadelpho Aegypti Rege ab Eleazaro summo Judaeorum Pontifice in Aegyptum missi, omnes veteris Testamenti libros in canone Judaeorum comprehensos, ex Hebraea in Graecam linguam verterunt, admirabili sane divinae providentiae consilio, quae graeca hac versione Apostolorum praedicationi viam sterni voluit. Cum enim Gentes lingua sibi nota, ea quae ab Apostolis de Christo praedicabantur, a Prophetis prius praedicta legerent, nulla de Apostolorum fraude suspicio suboriri earum animo poterat; cum ipsi Judaei litteras sacras in linguam Graecam translatas Gentibus tradidissent: ex quibus tum mysteria Christiana probari, tum ipsorum incredulitas, qui Christum non receperant, redargui poterat. Si vero nulla ante Christum facta esset versio, dicere potuissent Judaei haud fideliter factam; et ipsi vel ex invidia libros suos corrumpere tentassent, vel Christianos de corruptione accusassent. Quin ipsi Christiani adornatam a se versionem Gentibus tradentes, non tam facile fidem invenissent.

CXXVIII. Versionem hanc LXX. Interpretum fuisse numeris omnibus absolutam, a viris utriusque linguae Hebraicae et Graecae peritissimis non sine speciali Spiritus Sancti assistentia adornatam, omnino fatendum est. Hac enim versione usi sunt ipsi Apostoli. Ex ea factae sunt versiones, quae primum in Ecclesiis Christianis publice praelectae sunt. Hanc commendarunt ut genuinam, omnique errore vacuam, *S. Justinus* in Cohortat. ad Graecos. *S. Iraeneus* Lib. III. adv. Haer. Cap. XXV. *Clemens Alexandrinus* Lib. I. Stromat. *S. Epiphanius* Lib de Mensuris et ponderibus. *S. Cy-*

rillus Jerosol. Catech. IV. *S. Hilarius* Prologo in Psal. *S. Chrysost.* Hom. V. in Matth. *S. Augustinus* Lib. II. de Doctr. Christ. Cap. XV. Hanc Patres et Theologi tam Graeci quam Latini commentariis illustrarant: in Conciliis tam generalibus quam provincialibus ex hac veritas doctrinae probata est, haereses profligatae. At vero progressu temporis, vel hominum malitia, vel incuria plures errores in illam irrepsisse, adeo ut aliam ferme faciem induisse videatur, gravissimi Theologi, quos inter etiam est *Bellarminus* Cap. II. de Verbo Dei Cap. VI. opinantur. I. Quia graeca LXX. interpretum versio, quam modo habemus, in pluribus locis ab Hebraeo textu dissidet, cum tamen olim eidem perfecte fuerit conformis. II. Multae sunt in ea sententiae, quae cum veritate nullo modo cohaerent. III. Graecus codex hodiernus tanta variantium lectionum farragine perturbatur, ut ad singulos quasi versus de sincera lectione dubitandum sit. Triginta earum millia e codicibus Graecis summo labore eruit *Joannes Millius.* Vitiatam fuisse LXX. Interpretum versionem jam aevo suo agnovit *S. Hieronymus*, tum alibi saepius, tum Praefatione in libros Paralipomenon. *Si septuaginta Interpretum*, inquit *pura, et ut ab eis in Graecum versa est, editio permaneret, superflue me, Chromati Episcoporum sanctissime atque doctissime, impelleres, ut Hebraea tibi volumina latino sermone transferrem. -- Nunc vero cum pro varietate regionum diversa ferantur exemplaria, et germana illa antiquaque translatio corrupta sit atque violata, nostri arbitrii putas, aut e pluribus judicare quid verum sit, aut novum opus in veteri opere cudere.* Quare vehementer decipiuntur illi, qui putant versionem hanc ut puram

et integram a Sixto V. approbatam fuisse: solum enim editionem Cardinalis Carafae cura factam approbavit tanquam utilem ad latinae vulgatae editionis et veterum Patrum intelligentiam, simulque prohibuit, ne quis privata auctoritate eam ulterius corrigere praesumeret. Poterit itaque Graeca versio LXX. Interpretum, qualem modo habemus, ad multa esse utilis, quamvis in multis sit vitiosa: neque idcirco Ecclesia Graeca genuinis caret Scripturis; habet enim authenticam Latinam, ad quam corrigere potest Graecam versionem.

CXXIX. Plures post Christum natum vetus Testamentum Hebraice scriptum Graeco sermone reddidere. Primus Aquila, genere Ponticus, urbe Synopaeus, sub Hadriano Imperatore novam versionem Graecam exaravit. Ex Gentili Christianus factus erat, cum videret Apostolorum discipulos mirabilia patrantes; sed ex Ecclesia ejectus est, cum genethliacis pertinacius adhaereret: ob repulsam indignatus in Christianos, ad Judaeos transiit. Circumcisus linguae Hebraicae addiscendae totum se dedit; cujus perfectam adeptus notitiam, interpretationem ex affectu suo concinnavit: ita ut quaedam Scripturae dicta praeter LXX. Interpretum mentem ad alium sensum detorqueret, ac testimonia de Christo in divinis Scripturis expressa alio deflecteret. Post Aquilam Symmachus, natione Samaritanus, postea circumcisus, deinde Christianus, postremo Ebionita sub Severo Imperatore alteram versionem Graecam aggressus est, studens non verborum, sed intelligentiae ordinem sequi, ut de illo ait *S Hieronymus* in Caput III. Amos: idcirco non adeo fidus interpres, ac Aquila, qui verbum verbo reddit; sed clarior, et minus recedens a LXX. Interpretibus. Tertia versio Graeca auctorem ha-

buit Theodotionem Ponticum, vel ut alii malunt, Ephesium. Hic postquam ad Christianam fidem conversus est, in Ebionis et Marcionis haereses prolapsus, tandem proselytus et apostata Judaeus factus est. In versione sua a LXX, Interpretibus minus quam alii deflexit; immo saepe eos secutus est; quae causa fuit, ut ubi deficerent, LXX. ponerentur supplementa ex Theodotione, qui styli elegantia et orationis genere similior erat. Quarta et quinta versio incerti sunt auctoris, in doliis nescio quibus inventae; prior quidem Hierichunte in Palaestina anno VII. Imperii Caracallae, altera Nicopoli, regnante Alexandro Severo. Sexta est Adamantii Origenis, qui textum originalem cum versionibus exhibuit. Haec Biblia dicta sunt initio Tetrapla quod in iis quatuor versiones continerentur, nempe τῶν LXX, Aquilae, Symmachi, Theodotionis, totidem columnis exhibitae: quibus postea cum addidisset textum Hebraicum, hebraicis et graecis characteribus, dicta sunt *Hexapla*, nempe sex columnarum: *Octapla*, seu octo columnarum, posteaquam prioribus adjecit versiones Hierichunte et Nicopoli in doliis inventas. Septima fuit S. Luciani Presbyteri et Martyris Antiocheni, qui sub Diocletiano et Maximiano passus est. Octava denique auctorem habuit Hesychium, a quo versio LXX. Interpretum emendata est, et Ecclesiis Aegypti tradita.

CXXX. Tertia versio veteris novique Testamenti est Latina. Quis Scripturas primus Latine interpretatus sit, ignoramus. Id a multis tentatum discimus ex *S. Augustino* Lib. II. de Doct. Christ. Cap. XI. *Qui Scripturas ex Hebraea lingua in Graecum verterunt, numerari possunt; Latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus ve-*

nit codex Graecus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari. Inter illas autem versiones Latinas una erat, quae a *S. Augustino* Lib. cit. Cap. XV. *Itala*; a S. Hieronymo *communis* et *vulgata* appellatur, de qua sic *Augustinus*: *In ipsis* versionibus Latinis, *Itala caeteris praefertur*; *est enim verborum tenacior cum perspicuitate sententiae.* Hanc versionem Latinam ex Graeco codice, saltem ex parte, ut aliqui volunt emendaverat *Hieronymus* adhuc juvenis, ut ipse testatur Lib. II. Apolog. contra Ruffinum. Ait enim se LXX. Interpretes ante annos plurimos diligentissime emendasse, et linguae suae studiosis dedisse, et Psalterium juxta LXX. a se emendatum Romae receptum esse. Eadem habet Praefatione in Paralipomena ad Chromatium, et in Epistola LXXXIX. ad S. Augustinum.

CXXXI. Post Damasi Pontificis mortem, cui XXX. facile annos vixit superstes, relicta Roma Hierosolymam secessit B. Hieronymus, et Bethlehemum, ubi per quinquennium in Monasterio vixit. Posteaquam Hebraicas litteras didicisset, variis Judaeorum Rabbinis praeceptoribus usus, nullis laboribus vel sumptibus parcens, novam veteris Testamenti versionem ex fonte Hebraeo in Latinum sermonem aggressus est; quod opus nullus ante illum tentaverat. Duae praesertim causae S. Hieronymi animum permoverunt, ut novam versionem aggrederetur. Primo, variae quae in versionem Graecam των LXX, et in Latinas irrepserant corruptelae. Secundo, quod reliquae versiones factae essent ab hominibus semichristianis, et Judaeis Apostatis, qui in odium fidei Christianae multa Scripturae loca perversa expositione corruperant. Ex Praefationibus, quas singulis libris veteris testamenti praefixit,

discimus, eum omnes qui ab Hebraeis pro Canonicis recipiuntur, ut et libros Judith, et Tobiam, vertisse. Libros vero Sapientiae, Ecclesiastici, Macchabaeorum, Baruch, Epistolam Jeremiae, additiones ad Estherem, et ad Danielem, quae Hebraice non extabant, non vertit.

CXXXII. Quamvis Hieronymiana translatio ad textum Hebraicum propius accederet, quam illa Interpretum LXX, plerique tamen Episcopi, et Ecclesiastici viri, quos inter etiam B. Augustinus, hoc ejus incoeptum improbarunt ut temerarium, et ad auctoritatem versionis των LXX. convellendam et minuendam factum. Multis ille calumniis impetitus, apologias scribere coactus est, in quibus saepe testatur, se nihil in των LXX. versionem molitum esse; sed ex Hebraeo fonte in Latinum transtulisse, ut eorum desiderio satisfaceret, qui avebant scire quomodo in Hebraeis codicibus legeretur. Judaei approbarunt versionem ejus, ut conformem textui Hebraeo; Graeci vero illam in Graecam linguam verterunt, teste ipso Hieronymo. Post obitum B. Hieronymi versio ejus Latina ex Hebraeo codice auctoritatem nacta est in Ecclesia, et apud multos recepta, qui ejus sinceritatem, et cum Hebraico textu convenientiam deprehenderunt: ita tamen ut tum vetus Itala tum haec nova Hieronymiana in usu essent usque ad *S. Gregorii Magni* tempora, ut constat ex ejus Epistola ad Leandrum Hispalensem Libris Moralium praefixa. Licet autem utraque usus sit *S. Gregorius*, novam tamen veteri aliquando antetulit. Libro enim XX. Moralium, Cap. XXIII. ait, quod nova haec translatio, *cuncta verius transfudisse perhibetur, et credendum est quidquid in ea dicitur.* De eadem versione *S. Isidorus Hispalensis* Lib. I. de Offic. Ecclesiast. Cap.

XII. haec habet: *De Hebraeo autem in Latinum eloquium tantummodo Hieronymus Presbyter Sacras Scripturas convertit: cujus editione generaliter omnes Ecclesiae usquequaque utuntur, pro eo quod veracior sit in sententiis, et clarior in verbis.* Postea versio haec Hieronymiana sensim et per gradus praevaluit, tacito potius Ecclesiae consensu, quam ullius Concilii, vel Pontificis decreto, ante Synodum Tridentinam. Vide *Natalem Alexandrum* Dissertatione XXXIX. ad Historiam Ecclesiasticam Saeculi IV. Et *Bernardum Lamy* in Apparatu Biblico Lib. II. Cap. XI.

CXXXIII. *Quaeres V.* An vulgata versio, qua nostris etiam temporibus utitur Catholica Ecclesia, sit pura versio Hieronymiana? R. negative. Certum est enim primo, Sapientiam, Ecclesiasticum, Macchabaeos, Baruch cum Jeremiae adjuncta Epistola, appendiculam libri Estheris, Danielis duo ultima capitula et Canticum trium puerorum a S. Hieronymo non fuisse in Latinam linguam translata. Certum est secundo, Psalterium, quale habetur in Vulgata, non esse ex S. Hieronymi versione ex Hebraeo, quae inter ejus opera etiamnum exstat; sed ex antiqua versione των LXX. secundum Luciani Martyris emendationem, quam semel et iterum correxit S. Hieronymus, primum Romae cursim, deinde accuratius in Bethlehemitico secessu. Quia enim Psalmi quotidie decantabantur, et legebantur prae caeteris Scripturae partibus, populus memoria eos tenebat, ita ut mutatio sine gravi ipsius offensa fieri non posset; ideoque Psalmi in Vulgata secundum antiquam versionem retenti sunt. Quod reliquos Libros attinet, qui in Hebraeorum canone continentur, certum est saltem majori ex parte Hieronymi versionem spirare. Nam

siquis contulerit Prophetarum versionem Latinam ex Hebraeo quae inter opera ejus exstat, cum Vulgata Latina hodierna, deprehendet in omnibus fere ad verbum convenire, eumdemque auctorem referre; vix enim per integrum aliquod caput unius verbuli differentiam inveniet. Praeterea pleraque, quae in antiqua versione defuerunt, quaeque ex Hebraeo se supplevisse dicit Hieronymus, exprimuntur in Vulgata. Dixi pleraque, non omnia; etenim aliter vertisse Hieronymum, quam nunc est in Vulgata, evidenter colligitur ex ejus commentariis: ideo statuendum est, Vulgatam non esse puram versionem S. Hieronymi, sed ex Hieronymiana, aliisque, maxime ex vulgata veteri, quae dicebatur Itala, mixtam. Etenim licet nova editio Hieronymiana a pluribus probata fuerit, tam altas tamen in aliorum animis radices egerat versionis των LXX. auctoritas, ut per novam vetus aboleri non potuerit, sed utraque tam publice in Ecclesiis, quam privatorum Doctorum manibus in usu retenta sit; donec tandem ad conciliandos omnium animos, et ut pax ac unitas servaretur, ex utraque tertia conflata est, quae maxima quidem ex parte Hieronymum auctorem habere merito censetur.

OBJECTIONES

CXXXIV. *Objicitur I.* contra I. Conclusionem, argumentum ad hominem, nempe auctoritas Scripturarum. Apostolus II. ad Corinth III. v. 6. ait: *Qui et idoneos nos fecit ministros novi Testamenti; non littera sed spiritu: littera enim occidit, spiritus autem vivificat.* Ergo juxta Apostolum non dantur Scripturae divinae. P. C. Verbum Dei non occidit animam. Atqui

Scriptura juxta Apostolum occidit animam ; quia per litteram occidentem intelligit Scripturas, per Spiritum vero internum instinctum. Ergo Scriptura non est Verbum Dei, ideoque non existit Scriptura divina. R. C. A. N. C. Ad *probat.* C. M. N. m. et rationem additam. Si Scripturae veteris aut novi foederis animam occiderent, frustra Apostolus tot Epistolas scripsisset: frustra, immo pessime Timotheum discipulum monuisset, ut Scripturarum lectioni attenderet. I ad Timoth. IV. v. 13: *Dum venio, attende lectioni.* Sensus itaque verborum Pauli est hic : Littera, seu lex sola, si gratiae praesidio destituatur, qualis est lex veteris Testamenti, nocet potius quam prosit : etenim occidit animam occasionaliter, dum multitudine et difficultate praeceptorum urget et premit, nec tamen ex se vires subministrat ad ea implenda. Spiritus autem solus, id est, gratia spiritualis vivificat animam, vitam ei spiritualem afferendo, qua potens redditur ad opera salutis. Nos autem idonei facti sumus ministri novi Testamenti, non ut nudam litteram vobis proponamus, sed insuper etiam Spiritum, id est, Dei gratiam afferamus; quia Deus ad verba nostra et praedicationem sanctas inspirationes, et copiosam vobis gratiam largitur.

CXXXV. *Dices I.* Lib. IV. *Esdrae* Cap. XIV. v. 21. legitur, omnes libros Legis combustos, omnes ab Esdra reparatas fuisse. *Lex tua incensa est, propter quod nemo scit quae a te facta sunt.* Ergo quamvis Scripturae divinae in veteri Testamento extitissent, nunc saltem non amplius existunt. R. Scriptoris Libri quarti Esdrae nullam esse auctoritatem; quod enim l. c. narrat, pertinet ad caeteras hujus libri fabulas, propter quas liber ille omnium Ecclesiarum Orientis et Occidentis, quin et ipsius Synagogae consensu inter apo-

crypha scripta rejectus est; quamquam interdum ab aliquibus Patribus laudetur, et Ecclesia Latina ex eo sententias aliquas in suum Officium intulerit. Falsum porro narrari ab auctore Libri IV. Esdrae amplius elucet ex iis, quae in excidio Hierosolymitano sub Nabuchodonosore gesta su nt. Nam Rex Rempublicam quidem Judaicam dissolvit, sed Religionem nullatenus mutavit. Plures etiam Judaei remanserunt, et Judaeis in captivitate positis jus dicebatur secundum Legem Moysis a suae gentis Principibus. Quare Esdras libros sacros, occasione deportationis Babylonicae dissipatos et corruptos, collegit dumtaxat, digessit, atque a mendis expurgavit. Vide *Herman. Goldhagen* Introduct. in S. Script. Parte I. Quaest. III.

CXXXVI. *Dices II. I. Machabaeorum* Cap. I. v. 59. et 60., Qui tamen Liber apud Catholicos Canonicus est, idem affirmatur. *Et libros Legis Dei combusserunt igni* (satellites Antiochi Regis) *scindentes eos: et apud quemcumqae inveniebantur libri testamenti Domini, et quicunque observabat legem Domini, secundum edictum Regis trucidabant eum.* Ergo Libri a Deo dictati interierunt. R. ex verbis illis perperam inferri, omnia exemplaria legis fuisse abolita. Num enim verisimile cuiquam sit, omnia exemplaria ab Antiochi satellitibus fuisse deprehensa, nulla per totam Judaeam loco securo fuisse abscondita, nulla denique in manibus Judaeorum aut Israelitarum, qui apud alienigenas, ac praecipue Alexandriae in Aegypto, extra ditionem Antiochi, morabantur haesisse, ita ut omnes Judaei sacros codices, quos alioqui in oculis ferebant, abjecerint?

CXXXVII. *Dices III.* In Apographis tam Hebraicis et Graecis quam Latinis plurimae ac fere innume-

rabiles sunt lectiones variantes, quae corruptionem textus aperte insinuant, et auctoritatem elevant. Ergo genuinum Dei Verbum non amplius existit. R. D. A. Lectiones variantes, quae fundamentum religionis concernant, aut ipsius sacrae historiae summam afficiant, N. A. In rebus aliis momenti minoris, C. A. N. C. Haec ipsa variantium lectionum multitudo tantum abest ut religioni obsit, ut potius efficacissimum pro illa argumentum suppeditet. Si enim innumerae sunt in sacris Libris variantes lactiones: ergo textus sacrae Scripturae semper lectus, citatus, et transcriptus fuit. Liber enim qui raro legitur, nullas aut raras habet variantes; id quod ex libris apocryphis luculente constat. Plurimae variantes lectiones tanta cura adnotatae et collectae de praestantia divini codicis pronuntiant; etsi enim in auctoribus quoque profanis, quo celebrioris sunt nominis, eo plures reperiantur variantes: nusquam tamen minutias quaslibet tam sollicite enumeratas notamus, atque in sacris litteris, in quibus ex summa singulorum apicum aestimatione levissima quaeque observarunt viri docti. Divina providentia humano generi non debuit, ut apographa omnia, raro quodam miraculo, a variantibus defenderet, rem tamen ita moderata est, ut, quantacunque variantium multitudo succresceret, nullae tamen vel fragilitate, vel ignorantia aut improbitate hominum irreperent in omnes, aut fere omnes codices, quae Sacrae Scripturae viscera, remque ipsam vitiarent.

CXXXVIII. *Objicitur II.* Incredibilitas Scripturarum. Scripturae multas continent antilogias, multaque narrant incredibilia, ut colloquium Evae cum serpente, Balaami cum asina. II. Multas habent circumstantias inutiles et incertas. III. In illis leguntur horrendae im-

precationes, ut v. g. Psalmo CVIII. Et Apostolus Act. XXIII. dicitur maledixisse summo Sacerdoti : *percutiet te Deus, paries dealbate.* Ergo non sunt Verbum Dei. R. ad I. D. A. Multas continent antilogias apparentes, C. vere tales, N. A. Contrarium ostendunt S. Augustinus in Libris de Consensu Evangelistarum, aliique passim Scripturarum Interpretes. Neque incredibilia sunt, quae in Scripturis narrantur, si facta non secundum vires hominis naturales, sed juxta infinitam Dei potentiam metiri velimus. Ad II. N. A. Circumstantiae illae non sunt inutiles, quae aliquo modo conferunt vel ad nostram instructionem, vel ad providentiae aut alterius attributi divini commendationem; vel ad ornatum et integritatem orationis, aut denique ad narrationis ingenuitatem. S. Hieronymus Praefat. in Epist. ad Philemonem ait : *Quaecumque in Scripturis levis aut parva videntur, non minus sunt a Deo, quam creaturae vilissimae sint a Conditore coeli et terrae.* Ad III. Cum S. Augustino in Psalm. LXXVIII. has imprecationes propheticum habere sensum; nec esse hominis optantis, aut postulantis vindictam, sed simpliciter praenuntiantis poenas a Deo juste infligendas. Verba illa prolata fuerunt a Paulo ignorante illum esse Summum Sacerdotem, ut legitur Actuum XXIII. v. 5. *Nesciebam fratres, quia Princeps est Sacerdotûm.* Dein quamvis Apostolus sine divina inspiratione verba illa protulerit; ea tamen ex inspiratione divina scripsit *D. Lucas* in Historia Apostolica.

CXXXIX. *Objicitur III.* Mala fides Scripturarum. In Scripturis continentur multa mendacia. Ergo Scripturae non sunt verbum Dei, quem impossibile est mentiri P. A. I. Isaias praedixit Regi Ezechiae mortem, Jonas Ninivitis excidium post dies XL. neutrum

tamen contigit. II. Abraham Saram uxorem sororem suam esse dicit. III. Idem famulis ad radicem montis expectare jussis, ait se reversruum cum filio, quem tamen Deo immolare decreverat. IV. Mentitus est Jacob, dum bis ab Isaac Patre suo interrogatus respondit Gen. XXVII. *Ego sum primogenitus filius tuus Esau.* V. Exod. I. obstetrices Aegyptiacae dicuntur a Deo praemiatae, quod mendacio Hebraeorum pueros morti subtraxerint. VI. Judith Holoferni mentita est Cap. XI. v. 15. dicens: *Ego adducam te per mediam Jerusalem.* VII. Tobiae V. Angelus Raphael ad Tobiam dicitur dixisse, se esse ex filiis Israel, Azariam magni Ananiae filium. VIII. In Scripturis saepius dicitur, quod Deus decipiat homines, quod eos inducat in errorem: quod dederit mendacium in ore Prophetarum. R. D. A. In Scripturis multa continentur mendacia, quae Deo loquenti ac inspiranti, aut sacris Scriptoribus imputari possunt, quod falsa scripserint, N. A. Mendacia ab aliis prolata, quae tamen fideliter ac veraciter narrant Scriptores sacri, C. A. N. C. Ad I. R. illas praedictiones non fuisse absolutas, sed conditionatas quoad eventum si nimirum Ezechias non oraverit, si Ninivitae poenitentiam non egerint. II. Temporibus Abrahae usus invaluerat, ut neptes dicerentur sorores, et nepotes vocarentur fratres. Hinc Genes XIII. v. 8. ait Abraham ad Loth fratris sui filium: *Fratres enim sumus.* Potuit ergo Abraham absque mendacio Saram neptem suam vocare sororem, dissimulato uxoris nomine Alii non inverisimiliter opinantur, Saram vere simul fuisse sororem Abrahami ex patre, at non ex matre, eoquod ipse Abraham Abimelecho Regi Gerarae contestatus sit Genes XX. v. 12. *Alias autem et vere soror mea est,*

filia patris mei, et non filia matris meae, et duxi eam in uxorem. Ad III. Cum Deus promiserit Christum ex Isaac nasciturum, Abraham, cujus eximia semper fuit fides in Deum, certo sibi persuadebat, vel Deum non permissurum, ut Isaac occideretur, vel a Deo statim resuscitandum. Ad IV. Multi Jacobum a mendacio excusant cum S. Augustino; quia primogenitus dici poterat jure emptionis, et decreto Dei Rebeccae matri significato. Alii cum Origene, S. Chrysostomo, Cassiano, Tostato, Lyrano etc. eum mendacii accusant. Ad V. Obstetrices Aegyptiacae praemio fuerunt a Deo donatae, ut *Augustinus* scribit Lib. contra Mendacium Cap. XV. *Non quia mentitae sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt. Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis* Ad VI. Respondet S. Thomas II. IIdae Quaest. CX. Art. III. ad III. *Judith laudatur non quia mentita est Holopherni; sed propter affectum, quem habuit ad salutem populi, pro qua periculis se exposuit: quamvis etiam dici possit, quod verba ejus veritatem habent secundum aliquem mysticum intellectum.* Ad VII. Raphael Angelus vere dixit se esse ex filiis Israel; tum quia Israel significat *videns Deum*; Angeli autem semper vident faciem Patris, qui in coelis est: tum quia ad Israelitarum custodiam erat deputatus. Vere etiam se dixit Azariam magni Ananiae filium, quia Azarias denotat *auxilium Dei*, quod vere attulit Raphael Tobiae seniori coeco, et juniori iter agenti. Ananias significat *gratiam Dei*; sunt autem et Angeli filii Dei per gratiam. Ad VIII. D. A. In Scripturis dicitur, quod Deus decipiat homines, eosque in errorem inducat, indirecte, occasiona-

liter, et permissive, C. A. Directe, formaliter, et positive, N. A. De hac deceptione permissiva ex instituto agemus Tomo IV. Articulo II. Controversia III. Haec strictim et summarie dixi; si enim difficiliora Scripturarum loca, apparentesque antilogiae omnes explicandae forent, unicus tomulus haud sufficeret.

CXL. *Objicitur IV.* Evidentia suppositionis. Certum est Pentateuchum Moysi fuisse suppositum. Ergo evinci non potest contineri in illo verbum Dei. Ergo pari ratione reliqui etiam Scripturarum libri sunt suppositititii. P. A. I. Deuteronomii Cap. I. dicitur. *Haec sunt verba, quae locutus est Moyses ad omnem Israel trans Jordanem.* Atqui certum est, quod Moyses Jordanem non transierit. II. Moyses in Pentateucho saepius vocatur homo Dei, vir mitissimus: cum Deo locutus esse facie ad faciem dicitur, nec surrexisse similem ipsi Prophetam. Atqui de ipso Moyses scribere non potuit, quin hominis superbi notam incurreret. III. In toto Pentateucho agitur de Moyse in tertia persona. IV. In fine Deuteronomii describitur Moysis obitus et sepultura. V. In Pentateucho multa narrantur, quae ultra Moysis vitam progrediuntur v. g. Exodi XVI. refertur, filios Israel comedisse manna quadraginta annis; donec tangerent fines terrae Chanaan, quod primum post obitum Moysis contigit. Ergo Pentateuchus manifesta praesefert suppositionis indicia. R. N. A. Evidenter incredibile est, impostorem aliquem toti ac integrae Genti legum et regiminis auctorem gratis, ac sine ullo fundamento supposuisse, totamque Gentem adeo stupendae ac inauditae fraudi consensisse, nullo Judaeorum tam longo saeculorum intervallo unquam reclamante. Huic detegendae et abolendae fraudi sane non defuis-

set Jeroboam qui alios ritus, alterius familiae Sacerdotes, aliosque Deos instituit: neque defuissent Samaritani, qui Judaeos internecino odio prosequebantur. Ad I. R. Praepositionem, quam Latinus interpres vertit per *trans*, in Hebraico idiomate ambiguam esse, et ex aequo significare *trans* et *citra*, nec nisi ex circumstantiis et adjunctis determinandam esse, ut patet ex aliis Scripturarum locis v. g. Deuteronomii III. v. 8. Adde, quod respectu Terrae promissae, juxta quam Scriptura sacra solet assignare plagas et situs locorum, regio haec, in qua Moyses tunc versabatur, trans Jordanem fuerit. Ad II. R. Moyses absque omni superbiae nota haec de se memoriae prodidit. Hominem Dei se dicit, id est, a Deo missum: semel tantum se ipsum laudat; sed ea occasione, qua Dei gloria laudem istam exigebat. Agebatur de Mariae sororis rebellione, quam Deus lepra castigaverat, ideoque vendicanda erat divinae ultionis aequitas, et ex Moysis mansuetudine evincenda Mariae iniquitas. Eadem de causa, nempe ad commendandum ministerium suum, se cum Deo facie ad faciem locutum esse commemorat. Cum enim leges et doctrinam promulgaverit sola authoritate divina fundatas, mirum non est, si divinum commercium frequenter appellet. Ad III. Modestiae causa de se loquitur Moyses in tertia persona, quia agit de donis coelestibus sibi concessis; eo fere modo, quo S. Paulus in tertia persona de visionibus ac revelationibus suis loquitur. Praeterea ex hoc argumento sequeretur, abjudicandam esse Caesari historiam de bello Gallico, et Civili, Xenophonti expeditionem Cyri; quod de se authores illi in tertia persona loquantur. Ad IV. Quamvis Moyses non exaraverit ultima verba Deuteronomii; non sequitur totum Pentateuchum Moysi suppositum

fuisse. Haec a Josue addita fuere, aut saltem addi potuere: immo fortasse Cap. XXIV. Deuteronomii olim erat primum caput Libri Josue. Ad V. R. Divino spiritu multa praenoscere potuit Moyses, atque illud etiam quanto tempore manna commesturi essent filii Israel, cum manna Moysis precibus deberetur.

CXLI. *Objicitur. V.* Inhabilitas testium. Soli Christiani testantur, dari libros novi Testamenti vere divinos. Atqui hoc Christianorum testimonium est illegitimum. P. m. Mahometanorum testimonia et existimatio de suo Alcorano nihil ponderis habent pro asserenda ejus divinitate, seu theopneustia. Ergo neque Christianorum testimonia pro existentia Scripturae novi foederis a Deo inspiratae. R. C. M. N. m. *Ad prob.* C. A. N. C. Decumanum est inter utramque testificationem discrimen. Christianorum existimatio nititur oraculorum evidenter completorum multitudine, miraculorum plurimorum, maximorum, verissimorum praestantia, totiusque Christianae Religionis manifestissima Divinitate. Quae autem vaticinia allegant Mahometani? Nulla. Quae miracula? Victorias, quales et Alexander, Pompejus, Caesar, et improbissimi saepe Tyranni retulerunt; ridiculas deinde et aperte fabulosas de Mahomete narratiunculas, testimonio unius Mahometis nixas, hominis aperte improbi, luxuriosi, ambitiosi et mendacis, qui vitam impia inter facinora et fraudes actam pari morte clausit, propinato scilicet a muliercula veneno, quae hac ratione experiri voluit, utrum Dei amicus foret, an sycophanta.

CXLII. *Objicitur VI.* contra II. Conclusionem, Lapsus Sacrorum Scriptorum. *S. Augustinus* Lib. III. de Consensu Evangelist. Cap. VII. ait, S. Matthaeum

Cap. XXVII. Jeremiam pro Zacharia citasse : *Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem : Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati.* II. S. Hieronymus objicit S. Marco, quod Capite I. sui Evangelii haec verba, *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam,* tribuat Isaiae cum tamen apud solum Malachiam legantur. Ergo Deus non inspiravit Scriptoribus sacris res in Scripturis contentas. *Confir.* Scriptores sacri ambigue quandoque, et subdubitanter scribunt. v. g. Joan. II. v. 6. *Erant autem ibi lapideae hydriae sex positae secundum purificationem Judaeorum, capientes singulae metretas binas vel ternas.* Lucae III. v. 23. *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta.* Actum II. v. 41. *Et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia.* Atqui si Spiritus Sanctus res et sententias inspirasset, locus dubio relictus non fuisset, ac numeri omnes exacte fuissent determinati : Ergo. R. ad I. S. Hieronymus, Rupertus Tuitiensis, Lyranus, Jansenius Gandavensis, Franciscus Lucas, Baronius, Maldonatus, Suarius, Tirinus, ajunt incuria librariorum hunc errorem irrepsisse : nam Matthaeus non solet exprimere nomina Prophetarum, quos citat. Textus Syriacus, et nonulli codices Latini, olim teste S. Augustino loco in objectione citato, quorum unum adhuc videre est Romae in Biblotheca PP. Eremitarum Augustinianorum, non exhibent nomen Jeremiae, sed Zachariae, qui Cap. XI. v. 13. similia habet. Alii cum Tertulliano, Origene, Eusebio, Cornelio a Lapide etc. asserunt, haec eadem omnia olim in Jeremia extitisse, sed vel casu intercidisse, vel a Judaeis fuisse erasa. Ad II. R. I. in antiquioribus Graecis codicibus non citari a S. Marco Isai-

am, sed tantum asseri: *Prout dictum est in Prophetis*. R. II. Quamvis priora verba: *Ecce ego mitto Angelum meum*, sint Malachiae, subsequentia tamen, quae S. Marcus citat, *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*, sunt ex Isaiae Capite XL. deprompta. Interserit vero Marcus illa verba: *Ecce ego mitto Angelum meum*. ut significet vocem illam ab Isaia praedictam non ab hominibus, sed a Deo missam fuisse. Hinc S. Hieronymus refert quidem aliquos putasse, quod S. Marcus erraverit; sed hanc opinionem non facit suam: immo saepius affirmat, in Scripturis nullam contineri falsitatem. Ad *confirmat*. N. min. Spiritus Sanctus quamvis determinatum numerum revelare potuerit, noluit tamen aliqua per sacros Scriptores magis determinari, volens sese accomodare usitatae apud homines narrandi rationi. Quamquam quae adversarii ex Joanne et Luca objiciunt, nihil omnino incerti aut dubii praeseferunt: Hydriae enim dicuntur capientes metretas binas vel ternas, quia earum aliquae binas tantum, aliae vero ternas omnino metretas capiebant: et Christus asseritur fuisse annorum quasi triginta, quia trigesimum vitae suae annum nondum expleverat, cum a Joanne baptizatus est. Quod si dicas, auctorem Libri II. Macchabeorum Cap. XV. v. 39. veniam erratorum petere. R. ab illo peti non ob errata circa veritatem rerum a se scriptarum; sed ob errata styli, et Graecae orationis, forsan minus elaboratae, qua delicatas Graecorum aures offendi metuebat.

CXLIII. *Objicitur VII*. Sequela. Si Scripturae fuissent a Deo inspiratae, sequeretur I. omnia praecepta in illis contenta, esse praecepta divina: atqui hoc est falsum, quia ipse Apostolus I. ad Corinth. VII. ait:

Caeteris ego dico, non Dominus. II. Nihil insipienter a sacris scriptoribus scriptum fuisse. Atqui Apostolus II. ad Corinth. Cap. XI. v. 17. scribit: *Quid loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia.* III. Poetas gentiles Aratum et Menandrum, quorum testimonia adducit Apostolus in suis Epistolis, fuisse a Deo inspiratos. IV. Auctores sacros nullum in scribendo laborem adhibuisse. Atqui hoc falsum esse testatur Auctor Libri II. Macchabeorum Cap. II. v. 27. *Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, immo vero negotium plenum vigiliarum, et sudoris assumpsimus.* P. M. Divina inspiratio rapit homines extra se, ut patet in Balaamo et Saule prophetantibus. Ergo excludit omnem laborem. R. ad I. N. M. Praecepta, quae continentur in Scripturis, quandoque a solis hominibus facta sunt, non modo absque inspiratione divina, verum etiam in contemptum divinae legis, ut patet ex praeceptis Nabuchodonosor Regis, et Antiochi: quandoque Deo inspirante facta sunt, qualia sunt praecepta ab Apostolis lata, tanquam Ecclesiae Pastoribus; semper tamen ex divina inspiratione a sacris Scriptoribus scripta sunt, quaecunque illi in Libris Canonicis scripto consignarunt. Ad II. R. Apostolum, quando minus sapientem se fatetur, quia personam quasi insipientis assumpsit se ipsum commendando, revera sapientissimum fuisse; quia eximia coelestia dona, quibus a Deo cumulatus fuerat manifestavit, non suadente ambitione, sed impellente charitate, ne Corinthii, contempto Paulo tanquam vili homuncione, seductoribus adhaererent. Ad III. R. Sententias illas absque inspiratione divina fuisse ab Ethnicis poetis conscriptas: at non sine divina inspi-

ratione fuisse a sacris Scriptoribus relatas. Ad IV. N. M. Ad *probat.* D. A. Aliquando, C. Semper, N. A. et C. Inspiratio divina non eadem semper fuit in Scriptoribus sacris et Prophetis. Quandoque a Deo ita movebantur, ut sui compotes non fuerint: ac tam copioso lumine illustrabantur, ut absque ullo labore librum magis describere, quam concribere videretur, ut de Jeremia testatur Baruch. At vero alios excitavit tantummodo Deus ad scribendum, inspiravit illis res et sententias, quin labor Scriptoris sacri excluderetur.

CXLIV. *Dices.* Quoad inspirationem divinam certum est maximum dari discrimen Christum inter, et Scriptores sacros. Atqui si omnia quae in Scripturis continentur, a Deo forent inspirata, sufficiens discrimen assignari non posset. Ergo. R. C. M. N. min. Christus ratione Unionis hypostaticae, jure proprio, semper, et in omnibus inspiratus fuit, ita ut a vero nunquam aberraverit, nec aberrare potuerit. Contra vero Scriptores sacri ex gratuito Dei beneficio ac beneplacito, atque eo tantum tempore, quo libros Canonicos conscribebant, et quo tanquam Dei legati hominibus loquebantur, fuere inspirati.

CXLV. *Objicitur VIII.* Obscuritas et inutilitas inspirationis. Ex una parte non potest explicari, in quo constiterit inspiratio illa divina, qua Deus Scriptoribus sacris inspirasse dicitur res et sententias; ex altera parte nulla est ejus necessitas. Ergo. P. A. Ut Scriptura dicatur verbum Dei, sufficit, quod Deus specialiter Scriptori sacro adstiterit, et quae ab eo scripta sunt, pro suo verbo haberi voluerit, authoritatem suam eis impertiendo. Ergo necessaria non erat inspiratio. R. N. A. Quoad utrumque membrum. Inspiratio illa divina consistebat

tum in speciali quadam, interiore et immediata motione voluntatis, qua Scriptor sacer impellebatur ad scribendum: tum interna illustratione, qua Deus vel pia monita, consilia et adhortationes Scriptori sacro suggerebat, vel veritates ei antea ignotas manifestabat, vel quae memoria jam exciderant, in memoriam iterum revocabat, ne is in errorem laberetur. Ad *probat.* N. A. Tali modo non esset Verbum Dei proprie tale, sed tantum per adoptionem: neque per se, atque ob auctoritatem Dei loquentis, quod tamen ad verbum Dei proprie tale requiritur, is liber summa foret veneratione dignus, sed ob veracitatem Dei testificantis. Praeterea satis capi non potest specialis haec assistentia sine illustratione intellectus, et pia motione voluntatis, quae ipsissimam dicunt inspirationem divinam.

CXLVI. *Dices. I.* Scriptores sacri saepe motivis humanis excitati fuerunt ad scribendum. Sic Marcus et Joannes scripserunt Evangelium rogati ab amicis, ut testatur *S. Hieronymus* in Catalogo Scriptorum. II. Aliqui Scriptores sacri auctoritatem suae narrationi non conciliant ab inspiratione divina, sed a testimonio sensuum, v. g. aurium, oculorum etc. Sic *S. Joannes* Epist. I. Cap. I. v. 3. ait: *Quod vidimus, et audivimus, annuntiamus vobis.* Ergo commentitia est illa inspiratio divina. R. ad I. N. C. Motiva illa humana, vel potius charitas erga proximum minime obstitit, quo minus Deus illa occasione usus, res et sententias Scriptoribus sacris inspiraret. Ad II. iterum N. C. Non omnes Scriptores sacri inspirationis divinae conscii fuerunt. Postea tamen ex sensu totius Ecclesiae, vel ex aliqua revelatione cognoscere potuerunt, se scripsisse ex speciali inspiratione et illustratione divina, sicque Scripturam suam

esse vere Verbum Dei. B. Joannem quod attinet, potuit ille convenienter et utiliter scriptioni suae auctoritatem aliquam a sensuum suorum experientia conciliare; divinam tamen inspirationem nunquam exclusit, immo Evangelii sui Cap. ultimo eam aperte supponit: *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec: et scimus, quia verum est testimonium ejus.* Quibus verbis significat, se in scribendo Evangelio errare non potuisse, quod illud scripserit non sine speciali Spiritus Sancti illustrantis assistentia.

CONTROVERSIA II.

UTRUM OMNES LIBRI IN CANONE TRIDENTINO COMPREHENSI, SINT VERE CANONICI ET DIVINI?

Contra Protestantes.

CXLVII.

C*anonici* divinarum Scripturarum libri vocantur illi, qui in canone, seu catalogo Ecclesiae divinas Scripturas determinante sunt expressi ut divini, et a Deo inspirati. Dividuntur in Protocanonicos, ef Deuterocanonicos. *Protocanonici* dicuntur illi, qui ut sacri et divini semper ab universa Ecclesia, absque ulla contradictione, recepti fuerunt: *Deuterocanonici* vero, quorum divinitas non ita semper explorata fuit in universa Ecclesia, quin ab aliquibus Catholicis aliquando in dubium revocata fuerit, vel etiam negata. Tales libri fuere ex veteri Testamento Esther quoad septem postre-

ma capita, Baruch, Danielis pars, nempe hymnus trium Puerorum, historia Susannae et Draconis, quem Daniel interfecit, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Libri duo Macchabaeorum. Ex novo Testamento caput ultimum Marci a versu IX. usque ad finem, historia sudoris sanguinei in horto, et apparitionis Angelicae Christo factae in Evangelio Lucae Cap. XXII, Joannis historia de muliere adultera, Epistola B. Pauli ad Hebraeos, Epistola Catholica B. Jacobi, secunda Petri, secunda et tertia Joannis, Epistola B. Judae, et Apocalypsis S. Joannis. Reliqui omnes libri, praeter hic recensitos, sunt Protocanonici, ab omnibus Catholicis semper recepti.

CXLVIII. Antiquum Judaeorum canonem ab Esdra viro patriae antiquitatis peritissimo post captivitatem Babylonicam fuisse constitutum, communi consensu tenetur certum. Laborem ea occasione sumptum plerique in in eo definiunt, quod libros sacros, tempore deportationis Babylonicae dissipatos, majori quo potuit, exemplarium numero collegerit, iisque inter se collatis, editionem quam potuit perfectissimam procurarit. Hoc cum faceret, eamdem quoque a mendis quae in codices vel ignorantia vel incuria librariorum irrepserant, repurgavit, germanam lectionem restituit, variorum locorum nominibus vetustate jam incognitis notiora substituit, omnia ex ordine digessit. Qua in re ope ac directione divini Spiritus adjutus, citra erroris periculum versatus est. In hunc porro Canonem ad viginti duos libros redactum, quot nempe in Hebraico alphabeto continentur litterae, Judaei sibi semper religioni duxerunt manus inferre. Secutis temporibus detecti sunt libri Baruch, Tobiae, Judith, Sapientiae, ampliores Esthe-

ris et Danielis codices. Jesus Filius Sirach Ecclesiasticum scripsit; atque a suis singuli auctoribus prodierunt duo Libri Macchabaeorum. Magnam porro hisce libris delatam esse reverentiam, satis ex antiquorum monumentis apertum est, quin tamen ideo ab Hebraeis in Palaestina relati fuerint in canonem ab Esdra divulgatum.

CXLIX. *Josephus Tourneminius* solidis argumentis ostendit, alium fuisse a Canone Judaeorum in Palaestina Canonem Hebraeorum Hellenistarum et Alexandrinorum, ut pote qui nullum inter Protocanonicos et Deuterocanonicos veteris testamenti libros discrimen agnovissent. Canonem istum posteriorem Graeco sermone, qualis Alexandriae et in Graecorum Judaeorum Synagogis legebatur, primi Christiani, qui a Gentium Sacris recedebant, ab Apostolis accepere, in quo rejecti hodie a Protestantibus libri veteris Testamenti ordinem suum locumque servabant. Atque id omnes Manuscripti codices comprobant; idque Apostoli innuunt, qui Sapientiam, Ecclesiasticum, Tobiam, Macchabaeorum Libros prolatis inde sententiis commendant: id evincunt plurima Patrum testimonia, quae pro singulis hisce libris in controversiam vocatis longa et accurtata serie idem *Tourneminius* exhibet in Appendice I. ad Praeloquia *Jacobi Bonfrerii*, qui et magna fiducia audaciores quosque Criticos provocat ad proferendum insignius quoddam argumentum, quo vel in dubium adducantur, quae de Graecis codicibus dicta sunt, vel tanta Apostolorum ac Patrum auctoritas infirmetur.

CL. Antiquissima fuit haereticorum consuetudo libros illos divinarum Scripturarum, quibus se maxi-

me premi animadvertebant, aut laniandi, aut Canone suo excludendi. De his scribit *S. Hieronymus* Dial. adv. Luciferianos: *Ad eos venio haereticos, qui Evangelia laniaverunt, Saturninum quemdam et Ophitas, et Cainaeos, et Sethoitas, et Carpocratem et Cerinthum, et hujus successorem Ebionem, et caeteras pestes.* De Cerinthianis scribit *S. Epiphanius* Haer. XXVIII, eos partem Evangelii S. Matthaei, et Pauli Epistolas, et caeteros novi Testamenti Libros respuisse, quod sentirent prava sua dogmata his manifeste damnari. Mutilatum fuisse atque adulteratum a Marcione Synopensi Evangelium secundum Lucam, et Pauli Epistolas testantur *S. Irenaeus* Lib. I. adv. Haer. Cap. XXIX. et *S. Epiphan.* Haer. XLII. Idem flagitium commissum fuisse a Cerdone memoriae prodidit Tertullianus Lib. de Praescript. Cap. LI. *Solum Evangelium Lucae, nec tamen totum recipit; Apostoli Pauli neque omnes, neque totas Epistolas sumit.* De Manichaeis scribit S. Leo M. Serm. IV. in Epiphan. Cap. IV. *Isti, de quibus loquimur, adversarii veritatis legem per Moysen datam, et inspirata divinitus Prophetarum oracula respuerunt, ipsasque Evangelicas et Apostolicas paginas, quaedam auferendo, et quaedam inserendo violaverunt: confingentes sibi sub Apostolorum nominibus, et sub verbis ipsius Salvatoris multa volumina falsitatis, quibus erroris sui commenta munirent, et decipiendorum mentibus mortiferum virus infunderent.*

CLI. Majorum suorum vestigiis strenue institerunt Protestantes. Calvinus e suo Canone expunxit Tobiam, Judith, Sapientiam, Ecclesiasticum, duosque Machabaeorum Libros. Lutherus praeter expunctos a Calvino, rejicit Librum Baruch, Epistolam Pauli ad Hebraeos,

Epistolam Jacobi, secundam B. Petri, secundam et tertiam B. Joannis, Epistolam B. Judae, et Apocalypsin. Deprehenderat nimirum in illis quaedam commendari, quae ipsius erroribus adversabantur. Sic Liber Judith Luthero displicuit, quod in illo commendentur jejunium, castitas vidualis, atque institutio novarum Festivitatum. In Macchabaeis displicuit illi oblatio sacrificii pro peccatis mortuorum, et dura inde necessitas Purgatorium admittendi: in Tobia contra Lutheri placita asseritur possibilis observatio mandatorum Dei: in Sapientia et Ecclesiastico commendantur bona opera: in Baruch promittitur vita observantibus legem et mors illam violantibus intentatur: in Epistola B. Pauli ad Hebraeos, B. Judae, Apocalypsi B. Joannis, et Catholica Epistola B. Jacobi commendantur bona opera, fides dicitur non sufficere ad salutem sine operibus, aliaque quae cum Lutheri placitis minime cohaerent. Quid ergo consilii? Expungendi erant hi libri e Canone, quod novo Lutheri Evangelio tam acerbe adversarentur.

CLII. *Conclusio*. Omnes et soli libri tam Proto quam Deuterocanonici, qui continentur in Canone Concilii Tridentini Sess. IV, sunt vere Canonici, et divini. Prob. Conclusio Catholica argumento praescriptionis, atque auctoritate Ecclesiae. Est antiquissima et nunquam interrupta traditio, non nisi ab Apostolis profecta, Ecclesiarum Romanae praecipue et Africanae, hos omnes et solos libros a Tridentino Concilio recensitos, esse canonicos et divinos. Ergo omnes illi et soli sunt vere canonici, et divini. P. C. Protestantes enim probare nequeunt, librum aliquem esse canonicum aut divinum, nisi ad Ecclesiae authoritatem recurrant, ut suo loco ostendemus. P. A. ac I. quidem de Ecclesiis

Africae. *Carthaginense III.* A. C. 397. sub Aurelio, cui interfuisse dicuntur Africae Episcopi CXXVII, Capitulo XLVII. ait: *Item placuit, ut praeter Scripturas canonicas, nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem canonicae Scripturae: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesus Nave, Judicum, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Job, Psalterium Davidicum, Salomonis Libri quinque, Libri duodecim Prophetarum minorum: item Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel: Tobias, Judith, Esther, Esdrae libri duo, Macchabaeorum libri duo. Novi autem Testamenti Evangeliorum libri quatuor, Actuum Apostolorum liber unus, Pauli Apostoli Epistolae tredecim: ejusdem ad Hebraeos una: Petri Apostoli duae, Joannis Apostoli tres: Judae Apostoli una, et Jacobi una; Apocalypsis Joannis liber unus.* Tum vero subjungitur: *a Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda.* Ubi vides, omnes et solos libros a Carthaginensi III. inter divinos nimerari, qui in Tridentino canone continentur, praeter Baruch Prophetam, cujus disertis verbis non meminit Carthaginense, quod hunc librum partem esse vaticiniorum Jeremiae judicaret, eumque Jeremiae nomine comprehenderit; Veteres enim Librum Baruch saepe sub Jeremiae nomine allegabant, ut *Clemens Alexandrinus* Lib. I. Paedagogi Cap. X. *S. Ambrosius* Lib. III. Hexaem. Cap. XIV. *S. Basilius* Lib. IV. contra Eunomium, *S. Chrysostomus* in Oratione, quod Christus sit Deus etc. Eosdem libros tanquam Canonicos et divinos enumerat *S. Augustinus*, qui Carthaginensi Concilio interfuerat, Lib. II. de Doctrina Christiana Cap. VIII.

CLIII. Prob. idem Antecedens II. de Ecclesia Ro-

mana. A. C. 405. *S. Innocentius I.* Epist. ad Exsuperium Tolosanum scribit: *Consulenti tibi, quid de proposita specie unaquaque sentirem, pro captu intelligentiae meae quae sunt visa respondi, quid sequendum vel docilis ratio persuaderet, vel authoritas lectionis ostenderet, vel custodita series temporum demonstraret.* Dein expeditis variis dubiis circa disciplinam Ecclesiasticam, sanctarum Scripturarum libros eosdem omnino enumerat, quos Carthaginense III. recensuerat. A. C. 494. in Concilio Romano LXX. Episcoporum *S. Gelasius I.* eodem ordine Libros veteris novique Testamenti numerat, quos Sancta et Catholica Romana Ecclesia veneratur et suscipit. Eadem fuit circa Libros divinos Oecumenicae *Florentinae* Synodi in Decreto pro Armenis, et *Tridentinae* doctrina, quae Sessione IV. subjungit: *Si quis autem Libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata editione Latina habentur, pro sacris et canonicis non susceperit; et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit; anathema sit.* Ergo moraliter certum est, etiam independenter a definitione Ecclesiae, omnes Libros in Tridentino catalogo positos, fuisse pro sacris ac pro genuino Dei Verbo agnitos judicio saltem unius aut plurium Apostolorum, qui hoc suum judicium per traditionem particularem reliquerunt Ecclesiis quas rexerant, praecipue Romanae omnium Matrici. P. C. Denominatio libri Canonici non est denominatio opinionis, sed traditionis; quinam enim libri sint Deo inspirante conscripti, est quaestio facti, quae non nisi ex traditione resolvi potest. Ergo.

CLIV. Ecclesia Graeca, etsi nunc Schismatica, eosdem cum Catholicis suscipit libros. Haec cum a Pro-

testantibus ad ineundam secum concordiam fuisset invitata, Synodum Jerosolymis sub *Dositheo* Patriarcha celebravit A. C. 1672, quo Protestantium errores damnavit, responsoque ad ipsos dato, inter alia Catholicae doctrinae capita solemniter de sacris libris in Tridentino enumeratis professa est: *Hos omnes judicamus esse Canonicos, et Sacram Scripturam confitemur, quoniam eos tradidit antiqua consuetudo, seu magis Ecclesia Catholica.*

CLV. Argumentum hoc ductum ab authoritate et traditione Ecclesiae quanti sit ponderis, patet ex *S. Augustino* qui Lib. contra Epistolam fundamenti Cap. V. scribit: *Actibus Apostolorum necesse est credere, si credo Evangelio: quoniam utramque Scripturam similiter mihi Catholica commendat auctoritas.* Et paulo ante: *Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicae Ecclesiae commoveret authoritas.* Idem S. Doctor Lib. II. de Doctr. Christ. Cap. VIII. hanc regulam circa libros Canonicos assignat. *In Canonicis autem Scripturis Ecclesiarum Catholicarum quam plurium auctoritatem sequatur, inter quas sane illae sunt, quae Apostolicas Sedes habere, et Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas quas ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, praeponat eis quas quaedam non accipiunt; in iis vero quae non accipiuntur ab omnibus, praeponat eas quas plures gravioresque accipiunt, eis quas pauciores minorisve authoritatis Ecclesiae tenent. Si autem alias invenerit a pluribus, alias a gravioribus haberi, quamquam hoc facile inveniri non possit, aequalis tamen authoritatis eas habendas puto.* Quod si hoc in negotio ad antiquiores et Apo-

stolicas Ecclesias, judice Augustino, recurrendum est, quanto magis ad Romanam, de qua antiquissimus *S. Irenaeus* Lib. III. adv. Haer Cap. III. scribit: *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles: in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quae est ab Apostolis, traditio.*

CLVI. Et profecto, quamquam Christi Ecclesia stare possit etiam divinis litteris destituta; firma tamen et integra stare non posset, si vel falsas litteras pro divinis, vel adulteratas pro sinceris admitteret. Cujus discriminis haec ratio est. Ecclesia stat, quamdiu est firmamentum fidei, et columna veritatis: atqui etiamsi Sacrarum Scripturarum codices non existerent, aut nulli umquam scripti essent, Ecclesia tamen esse posset firmamentum fidei et columna veritatis. Posset enim Christus et ipsa traditione, et uberiori gratiae suae auxilio divinorum librorum defectum abunde supplere: posset absque eorum ope sic regere Ecclesiam suam, ut illa nec unquam deficeret a fide, nec aberraret a vero. Contra autem si Ecclesia spurios ac mendaciis refertos libros tanquam divinos susciperet; si adulteratos, erroribus ac fabulis inquinatos, haberet pro genuinis et sinceris, mendaciis illis fabulisque firmum deberet praebere assensum; fabulas enim illas existimaret divina revelatione acceptas: firma autem fide credendum est, quidquid Deo aspirante et revelante scriptum esse non dubitatur. In errorem ergo incideret Ecclesia, fidesque ejus deficeret, quod salva Christi promissione fieri nequit, cum portae inferi nunquam sint adversus illam praevaliturae. Quare minime est metuendum, ne aliquando Ecclesia Christi aut libros apocryphos in sacrum Cano-

nem referat, aut corruptos, atque haeresis veneno infectos filiis suis Mater optima legendos offerat.

OBJECTIONES.

CLVII. *Objicitur I.* Incertitudo hujus traditionis. Si de Divinitate Librorum Deuterocanonicorum constaret Ecclesiae ex traditione Apostolica, Patres traditionem illam non ignorassent. Atqui eam ignorarunt. Ergo. P. m. Deuterocanonicos libros tanquam divinos non agnoverunt *Melito* Sardensis apud *Eusebium* Hist. Eccles. Lib. IV. Cap. XXV. *S. Athanasius* in Synopsi, Concilium *Laodicenum* Saeculo IV, *Origenes. S. Gregorius Nazianzenus*, *S. Epiphanius*, *S. Joannes Damascenus*, aliique. Ergo. R. D. M. Si haec traditio data et conservata fuisset in omnibus Ecclesiis, C. M. si conservata fuit in aliquibus tantum Ecclesiis, praecipue in Romana et Patriarchatu Occidentis, N. M. Traditio de non rebaptizandis iis qui ab haereticis baptizati sunt, vere fuit divina et Apostolica, a Romana Ecclesia semper conservata, quamvis plurimi Africae Episcopi cum multis Asiaticis aliter sentirent. Facile itaque contingere potuit, ut Patres aliqui Orientalis Ecclesiae traditionem illam Apostolicam de numero librorum divinorum ignorarent; cum Ecclesia id fide divina credendum tunc nondum proposuerit, ut justis de causis factum est a Tridentino, ad coercendos Protestantium errores, et novandi libidinem. Ad *probat.* R. Melito Sardensis non ex Asiaticarum Ecclesiarum traditione, neque ex Chsistianorum, sed Judaeorum Palaestinae sententia, ad quos idcirco in Epistola ad Onesimum fatetur iter a se fuisse susceptum, catalogum sa-

um vulgavit, quem naevis non caruisse ipsi Protestantes coguntur fateri. Omittitur enim a Melitone Liber Estheris certo divinus, et Judaeorum canone comprehensus; enumeratur vero inter omnium consensione comprobatos liber Sapientiae, quem tamen Deuterocanonicis accenseri constat, nec in Esdrino canone contentum, nec a Protestantibus olim receptum. Synopsis illa authorem non habet S. Athanasium Alexandrinum, sed alium quemdam Saeculi VI. Scriptorem, ut plerique ex eruditis hodie consentiunt. Alii Patres citati complures libros ex Deuterocanonicis tamquam Scripturas divinas allegant, ut v. g. *Origenes* Tobiam, Judith, Additamenta ad Lib. Esther, et Danielis, Sapientiam, Ecclesiasticum. *S. Gregorius Nazianz.* librum Baruch, Sapientiae, Ecclesiastici, Historiam Susannae: *S. Epiphanius* Sapientiam, et Ecclesiasticum etc. Concilium Laodicenum A. C. 372. Provinciale dumtaxat fuit XXII. Episcoporum ex Phrygia Pacatiana; ac proin Sedium Apostolicarum, maxime Romanae, immo universalis Ecclesiae Traditioni non officit. Caeterum Canon LX. ubi Catalogus librorum saerorum exhibetur, non legitur in veteri versione Latina Dionysii Exigui: et in Canone Graeco recensetur libri Deuterocanonici omnes novi Testamenti, praeter Apocalypsin B. Joannis; quos tamen Lutherus a Canone suo abesse voluit. Proferri etiam solet ab aliquibus Canon LXXXIV. ex Apostolicis, qui in Catalogo librorum sacrorum omittit libros Tobiae, Judith, et Ecclesiastici. Verum Canones illos, saltem XXXV. posteriores, apocryphos esse, atque ab Ecclesia nunquam receptos, peritorum omnium judicio certum est.

CLVIII. *Dices. S. Hieronymus* per plures annos Romae versatus, praecipue temporibus Damasi, Praefatione in Libros Salomonis scribit: *Sicut Judith et Tobiae, et Macchabaeorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas Scripturas non recipit: sic haec duo volumina* (Sapientiae et Ecclesiastici) *legat ad aedificationem plebis, non ad authoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* Similia habet *Ruffinus* doctissimus Aquilejensis Ecclesiae Presbyter in Expositione Symboli. II. Idem *S. Hieronymus* Praefatione in Danielem scribit. *Haec idcirco refero, ut difficultatem vobis Danielis ostenderem: qui apud Hebraeos nec Susannae habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis draconisque fabulas, quae nos quia in toto orbe dispersae sunt, veru anteposito, easque jugulante subjecimus, ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse.* Ergo aevo S. Hieronymi non exstabat haec traditio in Ecclesia Romana, vel S. Hieronymus eam censuit non esse Apostolicam. R. N. C. Si enim in Ecclesia Romana non extitisset traditio illa Apostolica, S. Innocentius I. Pontif. Max. A. C. 405, adeoque vivente adhuc S. Hieronymo, canonem illum divinarum Scripturarum tanquam indubium, et antiqua authoritate munitum non misisset ad Exsuperium, eumque eodem adhuc saeculo ratum non habuisset *S. Gelasius* in Concilio Romano LXX. Episcoporum. Quamquam illud mihi longe verisimilius videtur, Hieronymum verbis illis id unum asserere, Deuterocanonicos libros ad confutandos haereticos, et articulos fidei adstruendos eo ex capite minus idoneos esse, quod Ecclesia temporibus illis nondum supremo judicio definiverit, libros illos esse vere Canonicos et divinos,

cum de illis plures in Oriente Ecclesiae dubitarent, salva pace, et fide Catholica. Certe ipse *Hieronymus* plures ex Deuterocanonicis tanquam divinos agnoscit. Comment. in Cap. XVIII. Jeremiae scribit: *Dicente Scriptura, In malevolam animam non introibit sapientia.* Quae verba reperiuntur Sapientiae Cap. III. Et Epist. XXXIV. ad Julian. *Divina scriptura loquitur* (nempe Ecclesiastici Cap. XXII.) *Musica in luctu, importuna narratio.* Quod de Hieronymo, idem dictum puta de Ruffino, qui in hoc ipso Symbolo textus ex Baruch, Lamentationibus Jeremiae, et Libro Sapientiae desumptos vocat *Sermonem Propheticum.* Ad II. Hieronymus uti in Epistolis ad Castrutium, et Marcellam, ita etiam hoc loco per *fabulam* non intelligit narrationem fictam, sed historiam lectu jucundam, et mirabiliter implexam quam veru jugulante transfixit, ut indicaret has partes in Hebraico codice deesse. Caeterum quando historias illas in Canone contineri negat, non ex propria, sed ex Hebraeorum sententia loquitur, siquidem ipsum *Hieronymum*, optimum suae mentis interpretem audiamus, Apologiae adversus Ruffinum. Lib. II. Cap. IX. *Quod autem refero, quid adversum Susannae historiam, et hymnum trium puerorum, et Belis draconisque fabulas, quae in volumine Hebraico non habentur, Hebraei soleant dicere: Qui me criminatur stultum, se sycophantam probat. Non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere solent explicavi.*

CLIX. *Objicitur II.* Silentium Conciliorum. Temporibus Augustini et Hieronymi nulla Generalis et Oecumenica Synodus statuit libros Deuterocanonicos esse vere divinos. Ergo Tridentina Synodus neque potuit, neque debuit id definire. P. C. Ex una parte dici nequit,

undenam Tridentini Patres sciverint libros Deuterocanonicos esse divinos: ex altera parte nullum extat vestigium ante tempora Tridentini Concilii, quod Ecclesia in Concilio Generali congregata librum aliquem in Canonem retulerit, de cujus authoritate in Ecclesia olim fuerit dubitatum. Ergo. R. C. A. N. C. Idcirco primum in Tridentino id explicite definitum fuit, quia ante Lutherum tanta nunquam erat necessitas, quam Tridentinis Patribus imposuit insatiabilis Protestantium libido omnia novandi. Ficulneum hoc esse adversariorum argumentum ex eo ostenditur, quia manifeste ex illo sequeretur, Concilia Generalia omnia perperam egisse novos errores in Ecclesia Dei exortos damnando. Nam ante Nicaenum Concilium Ecclesia nunquam tam clare et expresse definivit Divinitatem Verbi: ante CPolitanum I. Divinitatem Spiritus Sancti: ante Ephesinum, unicam esse in Christo personam, ac B. Mariam vere dici Deiparam etc. Ad *probat.* N. A. quoad utrumque membrum. Tridentinum id scire potuit ex constanti, et nunquam interrupta traditione Ecclesiae Romanae, ut dictum est in probatione. Alterum membrum falsum esse testatur *S. Hieronymus*, qui Praefatione in Librum Judith scribit: *Sed quia hunc librum Synodus Nicaena in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquievi postulationi vestrae.* Verum est, in Actis quae supersunt Nicaeni Concilii, Decretum illud non inveniri: At compertum est eruditis, plura ex illis periisse, et pauca tantum superesse fragmenta. Et quamvis nemo alius Patrum Nicaeno posteriorum, id de Libro Judith testetur; nullus etiam illorum, quod narravit Hieronymus, in dubium vertit, aut falsi postulavit: satis itaque ad fidem faciendam est, id a S. Hieronymo disertis verbis affirmari.

CLX. *Dices I.* Tridentinum non potuit hanc controversiam dirimere, nisi ferendo judicium de Scripturis. Atqui Tridentinum non potuit judicium ferre de Scripturis divinis. Ergo. P. m. Ecclesia nullam habet superioritatem in Scripturas. Ergo non potuit judicium ferre de Scripturis divinis. R. D. M. Non potuit hanc controversiam dirimere, nisi ferendo judicium discretionis de Scripturis, C. M. Judicium authoritatis, subd. Circa fideles, illos expresse obligando ad suscipiendos libros Deuterocanonicos, C. Circa Scripturas divinas, N. M. Et sic dist. minore, N. C. Ecclesia potest judicium discretionis ferre circa divinas Scripturas, tum quia jus habet discernendi Scripturas veras a falsis et adulterinis; tum quia Spiritus Sanctus ei infallibiliter assistit, ne erret in judicio discretionis. Ad *probat.* C. A. D. C. Ergo de Scripturis divinis non potuit ferre judicium authoritatis; ad quod requiritur superioritas, C. C. Discretionis, quod nullam exigit superioritatem, sed jus tantum et virtutem discernendi, N. C.

CLXI. *Dices II.* Si Ecclesia potest exercere judicium discretionis circa Scripturas divinas, sequeretur I. quod Ecclesia sit regula sacrae Scripturae, non vero Scriptura sacra Ecclesiae. II. quod Ecclesia possit sine Scripturis fidei controversias dirimere. III. Quod ipsa Ecclesia statuat sibi regulam, qua in decidendis fidei controversiis utitur. Atqui sequelae istae sunt certo falsae et absurdae. Ergo. R. N. M. Nam I. Quamvis Ecclesia sit nobis regula ad veram Scripturam cognoscendam, ejusque genuinum sensum; ipsa tamen scriptura sacra cum genuino suo sensu per infallibilem Spiritus Sancti assistentiam certo cognita, est regula Ecclesiae, quam illa sequi debet in dirimendis fidei controversiis. II.

Ecclesia non accipit a Spiritu Sancto novas revelationes, sed per Scripturas divinas, et traditiones non scriptas, id est, in Verbo Dei scripto non consignatas, ab eodem instruitur. Ergo sine illis nequit Ecclesia fidei controversias dirimere in hac providentia et rerum ordine. III. Ecclesia regulam habet in decidendis fidei controversiis a Spiritu Sancto constitutam et praescriptam, nempe Verbum Dei scriptum et traditum. Ergo quamvis a Deo dirigatur et adjuvetur ad regulam illam infallibiliter discernendam, falsum tamen est, quod ipsa Ecclesia sibi regulam statuat propria authoritate, qua utatur in decidendis fidei controversiis.

CLXII. *Objicitur III.* Infirmitas Decreti Carthaginensis et Gelasiani. Canon XLVII. a nobis Num. CLII. exhibitus, non pertinet ad III. sed ad VI. Carthaginense Concilium A. C. 419. habitum sub Bonifacio I. Pontifice Romano: illico enim post enumeratos divinos libros subjungitur: *Hoc etiam Fratri et Consacerdoti nostro Bonifacio, vel aliis earum partium Episcopis pro confirmando isto canone innotescat etc.* Bonifacius autem I. non nisi A. C. 418. Pontificatum iniit II. Decretum Gelasianum, teste *Cavaeo*, spurium est, aut alium certe authorem habet, si manuscriptis credimus, Damasum, vel Hormisdam Pontifices. R. I. Sive Decretum illud sit Carthaginensis III. vel VI. parum referre; neque enim XXII. anni, quot nempe ab anno 397. ad 419. efluxere, antiquitatem traditionis notabiliter augent, aut minuunt. R. II. probabilius, ut *Harduinus* monet Tomo I. Conciliorum Col. 968., verba citata, quae Canonem XLVII. Carthaginensis III. subsequuntur, pertinere ad Carthaginense VI. in quo inter breviter indicatos, et solemniter confirmatos Canones prio-

rum Carthaginensium Synodorum iterum legitur indicatus Canon hic XLVII. Quare imperitia Scriptoris cujusdam verba illa ex Actis VI. Carthaginensis in Acta III. migrarunt. Perperam autem mentionem hic fieri Bonifacii Pontificis, patet ex Canone subsequente, nempe XLVIII. Carthaginensis III. dicitur: *De Donatistis placuit ut consulamus fratres et consacerdotes nostros, Siricium et Simplicianum*, illum Romanae, hunc Mediolanensis Ecclesiae Antistites. Ad II. R. Cavaei suspicionem ab antiquissimis Scriptoribus refelli, Hincmaro Rhemensi, Burkardo Vormatiensi, Lanfranco Cantuariensi etc. et Criticis fere omnibus; qui Decretum illud ut genuinum agnoscunt. Verum est equidem in aliquot codicibus Decretum illud modo Damaso, modo Hormisdae assignari. At parum refert; si enim Damasi sit, saeculo integro Gelasio Pontifice erit antiquius, ideoque majori adhuc in pretio habendum: si Hormisdae; Decretum illud erit XVIII. tantum annis Gelasio recentius, ideoque authoritas Gelasiani Decreti ab adversariis hoc argumento non infirmatur.

CLXIII. *Objicitur IV.* Canon Esdrinus. Libri veteris Testamenti, qui nec divini nec canonici fuerunt in Synagoga, non possunt esse divini et canonici in Ecclesia; cum illa facere non possit, ut liber aliquis sit Deo inspirante conscriptus. Atqui libri Deuterocanonici non erant divini et Canonici in Synagoga. Ergo. *Confirm.* Si libri illi fuissent Deo inspirante conscripti, Esdras eorum divinitatem agnovisset, eosque Canoni suo inseruisset. Ergo. R. D. M. Qui in Synagoga divini non fuerunt, id est, qui jam illis temporibus non erant Deo inspirante conscripti, non possunt esse divini in Ecclesia, C. M. Qui non erant in Synagoga

agniti et declarati divini, non potuerunt agnosci et declarari tanquam divini ab Ecclesia, N. M. Et sic dist. minore, N. C. Libri Deuterocanonici etiam tempore Synagogae erant vere divini, quia Deo inspirante conscripti: At vero tunc nondum erant Canonici, quia ab Esdra in canonem non sunt relati. Apud Catholicos iidem libri non modo divini sunt, sed etiam Canonici, quia canonem suum non a Synagoga, sed ab Ecclesia acceperunt fideles, quae cognita horum librorum divinitate eos in Canonem Catholicorum retulit. Ad *Confirm.* N. A. Plures fuere causae, cur libri Duterocanonici veteris Testamenti in canonem relati non fuerint ab Esdra. I. est, quia aliqui libri, ut v. g. Sapientiae, Ecclesiastici, Macchabaeorum primum post tempora Esdrae conscripti fuerunt; neque posteriorum temporum Judaei in Palaestina ausi deinceps sunt quemquam illorum Esdrino Canoni inserere; quamquam apud illos Libri Ecclesiastici maxima fuerit auctoritas, ac veluti pars legis habitus fuerit, ut constat ex *Josepho Flavio* Lib. II. contra Appionem. II. Aliqui libri potuerunt facile Esdrae diligentiam effugere; quia illis temporibus Israelitae, quamvis libertati et patriae restituti, maximis rerum difficultatibus premebantur; unde et Esdras quantumlibet studiosus ac diligens omnes Gentis suae historias, et veteris memoriae monumenta a popularibus suis scripta colligere haud potuit. III. Aliqui libri, ut Judith, Tobiae, non lingua Hebraica, qua Deus hactenus Judaeos allocutos fuerat, sed Chaldaica, in usu Sacrorum omnino peregrina, conscripti fuerunt.

CLXIV. *Obijcitur V.* Circulus vitiosus. Catholici docent, Scripturas divinas cognosci per infallibile judicium Ecclesiae, et infallibile judicium Ecclesiae cogno-

sci per divinas Scripturas. Ergo admittitur circulus vitiosus. R. N. C. Quando probamus Scripturas Deuterocanonicas per infallibile Ecclesiae judicium, infallibilitatem judicii Ecclesiae in rebus fidei probamus per Scripturas Protocanonicas, quas ipsi Protestantes ultro admittunt. v. g. ex illo Matthaei XVI. *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam*. Quando vero probamus Scripturas Protocanonicas per infallibile judicium Ecclesiae tunc infallibilitatem judicii Ecclesiae evincimus ex motivis credibilitatis, per quae evidenter redditur credibile, Ecclesiam esse opus divinum talemque esse, qualem se profitetur, nempe infallibilem in materia fidei et morum. Ergo non admittitur a nobis circulus vitiosus.

CLXV. *Objicitur VI.* Criterium Librorum divinorum. Libri sacri a Deo in veteri Testamento inspirati ea habent criteria, quibus facile a non divinis secerni possunt. Nam I. Libri divini non nisi a Prophetis scripti fuerunt. II. Nec nisi lingua sacra, sive Hebraica, qua tunc utebatur Ecclesia Judaica. III. Christi, sive Messiae mentionem faciunt. IV. Eorum testimoniis utuntur Scriptores Librorum novi Testamenti. Atqui haec criteria non habent libri Deuterocanonici veteris Testamenti. Ergo non sunt vere divini. R. Protestantica illa Criteria pure arbitraria sunt; nullaque ratione solida nituntur. Nam I. plures sunt Libri Protocanonici, quos a Prophetis arcta notione dictis exaratos fuisse non certo constat. Tales sunt Libri Job, III. et IV. Regum, Paralipomenon, Estheris, Judicum, Salomonis. Quod si Prophetarum nomine in latiore sensu intelligantur Scriptores a Deo inspirati, criterium illud ultro admittimus; contendimus tamen Deuterocanonicos libros a

Prophetis fuisse exaratos. II. Libri Job et Danielis quovis aevo et saeculo habiti sunt a Christianis tanquam sacri et divini, quamvis prior Syriaca, alter Caldaica lingua sit conscriptus. III. Libri Salomonis, Ecclesiastes, et Canticum Canticorum omnium judicio sunt Protecanonici, licet nullam Messiae faciant mentionem explicite. Liber Baruch erasus fuit ex Canone Protestantico, quamvis Cap. III. de Christo vaticinetur: *Posthac in terris visus est.* IV. Neque Christus, neque Apostoli diserta protulerant testimonia ex Libris Judicum, Ruth I. et IV. Regum, Esdrae, Nehemiae, Estheris, Ecclesiastae, Cantici Canticorum, Abdiae et Sophoniae. Ergo Libri hi omnes eradendi erunt e Canone? At vero pro libris Deuterocanonicis ex ipsis novi Testamenti libris luculenta exhibet testimonia Illustrissimus *Huetius* in Demonstratione Evangelica, Proposit. IV.

CLXVI. *Objiciuntur VII.* speciatim varia Librorum Deuterocanonicorum sphalmata. Multae continentur in libris illis antilogiae, multa incredibilia, quae cum historia pugnant, et qnae satis explicari aut evolvi nequeunt: Ergo Libri illi non sunt divini. P. A. I. liber Tobiae Asiaticam sapit fabulam, sibique non cohaeret. Sara, quam Junior Tobias uxorem duxit, Cap. III. habitasse dicitur in Rages civitate Medorum: et nihilominus Tobias, cum ad locum pervenisset, ubi erat Sara, rogavit Raphaelem, ut assumptis animalibus et servis, iret ad Gabelum in Rages civitatem Medorum, redderetque ei chirographum suum, et pecunias ab eo reciperet, atque ad nuptias invitaret. II. Liber Judith mera est parabola, cujus fundamentum praebuit gens Judaica in extremo discrimine tempore Antiochi a Deo

servata. Certe Betuliae obsessae nulla fit mentio apud Josephum diligentissimum Judaicarum rerum Scriptorem: et quo tempore id contigerit, satis commode explicari nequit. III. Additamenta Libri Esther non habentur in Hebraico codice, et cum prioribus capitibus pugnant. Sic v. g. Cap. XII. Estheris maritus vocatur Artaxerxes, qui tamen Cap. I. Assuerus nominatur: Hinc Sixtus Senensis, et Elias du Pin, etiam post Concilium Tridentinum, septem postrema capita a canone excluserunt. Adde, quod verisimiliter statui nequeat, quemnam Regum maritum habuerit Esther. IV. Liber Sapientiae a Philone Judaeo temporibus Caligulae Imperatoris conscriptus est. Quis autem sibi persuadeat, pertinacem Judaeum Scriptorem Theopneustum fuisse? Praeterea Auctor ille Cap. XIV. v. 15. originem Idololatriae ex inordinato patrum in filios amore repetendam esse docet; ac proinde imaginem filii primum fuisse idolum. Atqui alias idololatriae fuisse causas aperte constat. V. Additamenta Danielis non exstant in Hebraicis codicibus, narranturque in eis aliqua, quae prioribus capitibus repugnant. Sic Cap. VI. dicitur, Danielem una duntaxat nocte in lacu Leonum fuisse: at vero Cap. XIV. narratur, eum ibi sex diebus moratum fuisse. VI. Auctores utriusque Libri Machabaeorum circa tempus ejusdem facti saepe dissentiunt, pugnantque cum historia Graecorum ac Romanorum: immo in earumdem rerum narratione conciliari inter se nequeunt. Sic Lib. I. Cap. VI. mors Antiochi narratur contigisse Babylone ob auditam suorum cladem in Judaea. Lib. II. Cap. I. dicitur, eandem contigisse in Perside, in Templo Nanneae, quod expiaturus venerat; fuisseque Antiochum a Persepolitanis membratim

concisum. Lib. I. Cap. I. Antiochus Epiphanes regnasse dicitur A. 137. Regni Graecorum; cum tamen juxta Eusebium regnaverit A. 153. Lib. I. Cap. VIII. falso narratur, Romanos singulis annis committere uni homini magistratum suum; norunt enim vel ipsi Tyrones, Romae singulis annis binos designatos fuisse Consules, qui rerum potiebantur. Lib. I. Cap. I. Alexander primus regnasse dicitur in Graecia. Atqui certum est plurimos Reges illum praecessisse. VII. Ex libris novi Testamenti Epistola ad Hebraeos non videtur ab Apostolo Paulo conscripta, tum ob styli diversitatem, tum quia Pauli nomen non praesefert, ut aliae ejusdem Epistolae. Epistola, quae B. Judae tribuitur, Apostolum authorem non habuit, quia Liber Enoch apocryphus in ea citatur.

CLXVII. R. ad I. Quae in Libro Tobiae continentur, non Asiaticam fabulam sapere, sed ad ostendendam Dei providentiam, bonitatem, ac justitiam inservire. Nonne et Deistae ac increduli pari jure ac ratione dicere possent, in Mosaicis libris Asiaticas, aut Judaicas fabulas narrari? ad apparentem illam antilogiam multi respondent, vel duas fuisse Rages in Medorum regno, vel nomine Rages intelligi agrum Civitati vicinum. Alii Vulgatam versionem Latinam Cap. III. quoad nomen loci duntaxat, corrigendam censent ex Graeca versione, omnium Tobiae interpretationum antiquissima in qua legitur: *In eadem die contigit filiae Raguel Sarae in Ecbatanis Mediae, et ipsam improbari ab ancilla patris sui.* Idem habet versio Syriaca; idem editiones Hebraicae Munsteri et Fagii. Atque ita vertisse S. Hieronymum ex Chaldaico verisimile est, et Rages pro Ecbatanis incuria Scribarum irrepsisse: Ex Ecba-

tanis porro Medorum metropoli Raphaelem perrexisse Rages ad Gabelum.

CLXVIII. R. ad II. Audacem ac temerariam esse hanc Hugonis Grotii conjecturam, cum ipsi etiam Judaei de veritate hujus historiae non dubitaverint, et librum licet in Canonem Esdrinum non intulerint, velut sanctum venerati sint, testante *S. Hieronymo* Praef. in Libr. Judith: *Apud Hebraeos inter agiographa, inter historias computatur.* Neque officit silentium Josephi Flavii. Cum enim sibi is proposuisset ea tantum in suis Antiquitatibus referre, quae in Libris canonicis Hebraeorum habebantur, ut ipse profitetur in Proemio totius operis, mirum non est, quod de Judithae historia siluerit, cum Liber Judith in Canonem Hebraeorum, obsignatum priusquam fortasse scriberetur, receptus non fuisset, nec Hebraice scriptus esset. Adde Josephum historias aliquas praetermisisse, quas canonicae esse auctoritatis nemo Christianus negaverit. Porro historia Judith, et liberatio Bethuliae aptissime referri possunt ad tempora Regis Manassis, qui tunc ab Assirii Regis ducibus Hierosolyma abductus Babylone captivus morabatur, et Eliakim summa potestate regnum Judae ita administrabat, ut etiam ab reliquiis decem Tribuum saltem ut Religionis caput agnosceretur.

CLXIX. R. ad III. Quamvis ultima septem Estheris capita non reperiantur hodie in Hebraico, admodum tamen verisimile est, Hebraice primum conscripta casu aliquo excidisse; unde enim ea, nisi ab Hebraeis ad nos pervenissent? Unde Josephus Flavius Lib. XI. Antiquit. Cap. VI. duas Assueri Epistolas, et orationem Mardochaei deprompsit? Neque additamenta illa cum prioribus capitibus pugnant. Septem enim illa

capita, quae in Vulgata editione nostra ultimo loco ponuntur, reipsa non sunt postrema; sed quaedam eorum pertinent ad initium, quaedam ad medium, quaedam ad finem libri. Caput XI. de somnio Mardochaei pertinet ad Cap. II. Caput XII. de insidiis Eunuchorum ad v. 20. Capitis II. Caput XIII. v. 8. referendum ad v. 14. Capitis III. Caput XIII. a v. 8. cum Capite XIV. respondet versui I. Capitis V. Caput XVI. ponendum inter v. 8. et 10. Capitis VIII. Quod si fiat, plurima ejusmodi ad speciem pugnantia evanescent. S. Hieronymus septem illa capita ad finem libri collocavit; quia illa in Hebraeo codice non invenit, sed ex Vulgata editione Graeca deprompsit, ut ipse testatur in suis Annotationibus. Ecclesia vero capita illa locis suis non restituit, ut intelligamus, quaenam hujus libri pars in Hebraico codice non legatur. Assuerus et Artaxerses unius Principis sunt cognomina, et dignitatum tituli. Artaxerses magnum bellatorem significat, Assuerus Principem Ducum bellicorum. *Sixtus Senensis*, qui Lib. I. et VIII. Bibliothecae Sanctae scripsit, septem ultima Estheris capita tanquam ascititia et apocrypha negligi ab Ecclesia Catholica, merito culpandus est; haecque ejus sententia jussu S. Inquisitionis merito expuncta est. Neque moramur *Eliam Du Pin* Doctorem Sorbonicum, suspectae fidei hominem, saepius exorbitantem, et non semel Romae atro carbone notatum. Estheris maritus alius censendus non est quam Astyages Cyri Persarum Regis avunculus, idemque Cyaxares a Xenophonte, et Darius Medus a Daniele nuncupatus; huic enim soli characteres in Libro Estheris assignati conveniunt. Verum uberior hujus rei discussio ad forum nostrum non pertinet, sed ad Scripturarum Interpretes.

CLXX. R. ad IV. Sapientiae liber auctorem non habuit, nec habere potuit Philonem Judaeum. Nam I. verisimile non est, quod vir in Judaismo pertinax Judaeorum impios in Christum conatus tam graviter et diserte descripserit, ut *Sapientiae* Cap. II. legitur. II. Futuram Christi passionem describere non potuit, qui post illius ascensionem floruit. III. Multo ante Philonem, qui sub Cajo Caligula Imperatore floruit, et ad eum suae Gentis nomine legationem obiit, Christus et Apostoli hujus libri sententias laudarunt. IV. Nec Eusebius, nec S. Hieronymus operum Philonis indicem texentes, hunc ipsi librum tribuunt. Frustra autem ad Philonem seniorem refertur, cujus fragmenta leguntur apud *Eusebium* Lib. IX. Praeparationis Evangelicae Cap. XX. et XXIV. Hunc enim Philonem Judaeum non fuisse, sed Graecum, *Josephus* Lib. I. contra Appionem testatur. Quare Sapientiae liber conscriptus fuit a Judaeo quodam ignoti nominis, divinitus excitato, Graecique sermonis perito, ac forte ex numero LXX. Interpretum, qui tamen multa ex Salomonis libris sit mutuatus, et varias hinc inde ipsius sententias collegerit, quas ipse unum in corpus compegit, nulla fere mutatione alia facta, quam ipsius dictionis, et loquendi modo Graecis proprio usurpato. Caeterum author libri Sapientiae nec de origine cujuscunque Idoli, nec de origine Idololatriae apud omnes Gentes loquitur; sed praecipuam Idololatriae causam ex inordinato affectu pietatis repetit, et exempli causa unum de parente filium demortuum in imagine sibi repraesentante ponit, caeteris non exclusis.

CLXXI. R. ad V. Historiam Susannae, Belis ac Draconis, desideratam quidem fuisse temporibus S. Hie-

ronymi, immo et Origenis, eamque hodie etiam non extare in codicibus Hebraicis; sed tamen olim exstitisse. Unde enim historias illas accepissent tum Graeca versio τῶν LXX, tum versio Aquilae et Theodotionis? Causam porro deperditi exemplaris *Origenes* in Epist. ad Julium Africanum, repetit a Judaeorum malitia, qua historiam Susannae in Presbyterorum, seu Seniorum et Judicum suorum dedecus redundantem suppresserint. Theodotionis versionem Danielis Ecclesia prae aliis adoptavit, utpote fidelius ex Hebraico, vel Chaldaico translatam, in qua Historia Susannae, Belis et Draconis continetur, non eodem tamen servato capitum ordine. Nam in vetustissimis etiam Graecis editionibus a Susannae historia incipit Liber Danielis servato scilicet ordine temporum; quod Daniel admodum adolescentulus hoc primum virtutis et sapientiae specimen ediderit, maximamque nominis celebritatem sibi comparaverit. Neque ulla in Libro Danielis ostendi potest antilogia: bis enim in lacum Leonum abjectus est Daniel, ut satis docet duplex hujus sententiae causa, eaque, diversa: prima vice sub Rege Evilmerodach Nabuchodonosoris filio ob interfectum Draconem ad septimum usque diem inter Leones commoratus est; idque refertur Cap. XIV: vice altera sub Dario Medo ob preces ad Deum contra Regis Edictum fusas, una nocte ibidem haesit; idque narratur Cap. VI. Ex quo id unum sequitur, quod antea de Libro Estheris monuimus, in serie capitum Libri Danielis, prout in Vulgata nostra habetur, servatam non fuisse rationem temporis. Quae enim S. Hieronymus in Hebraicis codicibus non invenerat, ad calcem Libri collocavit, excepto

hymno trium puerorum, qui a Cap. III. abstrahi non poterat, quin hiulca et imperfecta foret historia.

CLXXII. R. ad VI. Authores utriusque libri diversas sequuntur Epochas, quamvis ambo Aera Seleucidarum utantur, quae ab Hebraeis Aera contractuum dicebatur. Triplexenim huic Aerae initium assignant Chronologorum peritissimi, *Petavius*, *Scaliger*, et *Usserius*. Prima Judaica incipit a verno mense Nisan: secunda Antiochena, sive Alexandrea ab Autumni subsequentis mense tisri; tertia Caldaeorum a vere sequenti. Primam, quae semestri spatio antevertit secundam, sequitur Author Libri I. Macchabaeorum: secundam Author Libri II. Quae de morte Antiochi in utroque libro narrantur, non ad eundem Antiochum pertinent. Narratio Libri I. Macchab. intelligenda est de Antiocho Epifane: Narratio II. Libri II. Macchab. Cap. I. ad Antiochum Sidetem spectat, qui post Epiphanem in Syria regnavit. Antiochi Epiphanis initia statuuntur Anno 153. ab Eusebio, numerando annos ab Alexandri M. regno in Graecia; ab auctore vero Libri I. Macchab. Cap. I. v. 11. anno 137, quia is Aera Seleucidarum utitur, quae XVI. annis Eusebiana est posterior. Quamquam etsi author Libri I. Macchabaeorum Eusebio adversaretur, nulla tamen ratione probare possunt Protestantes, quamvis illis daremus librum hunc non esse canonicum, cur Eusebius quinque saeculis posterior praeferendus sit Authori synchrono probatissimae fidei, qui res a se descriptas videre potuit. Romani dicuntur magistratum suum uni homini committere per singulos annos: quia quamvis bini quotannis crearentur Consules, penes unum tamen non insignia tantum supremae dignitatis fuerunt, sed universa etiam auctoritas, duoque Consu-

les alternis mensibus sibi primas concedebant. Alexander Magnus primus dicitur regnasse in Graecia, quia non de qualicunque Regno ibi est sermo, sed de Graecorum Monarchia, quam everso Persarum imperio primus instituit. Porro quanta sit utriusque Libri Macchabaeorum authoritas, non divina modo, sed etiam humana, paucos ante annos duo viri clarissimi ostenderunt, *P. Erasmus Froelich* in eruditissimis Syriae Regum Annalibus, et *P. Josephus Khell* in Commentatione Historico-Critica, de fide historica librorum Macchabeicorum adversus Gottlieb. Wernsdorffium, qui in Froelichii Annales insurrexerat. Vide *Hermannum Goldhagen* in Introductione in S. Scripturam, Parte I. Sect. I Quaest. VIII. Item Parte II. variis in locis, et *Natalem Alexandrum* in Historia Ecclesiastica Veteris Testam. Tomo II. *Bellarminum* de Verbo Dei, Lib. I.

CLXXIII. R. ad VII. Epistola illa vere Paulina est. Apostolus nomen suum illi non praefixit, quod nomen suum parum gratum esse intelligeret Hebraeis ad Christi fidem conversis, quia prae aliis Apostolis Mosaicae Legis abrogationem praedicaverat. Diversitas styli ex eo oritur, quod Paulus Hebraicae linguae peritissimus Hebraice eam scripserit, reliquas vero Graece, cujus elegantias non assequebatur. Caeterum sive Paulus, sive Discipulorum alius Epistolae ad Hebraeos sit auctor, certum est Epistolam illam vere Canonicam esse et divinam. B. Judas in Epistola sua Canonica non Enochi librum, sed prophetiam laudat, quam vel traditione accepit, vel divina revelatione cognovit.

CONTROVERSIA III.

AN LATINA VULGATA SIT AUTHENTICA?

Contra Protestantes.

CLXXIV.

Tridentina Synodus Sess. IV. Decreto de Editione et usu sacrorum Librorum haec habet. *Eadem sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quae circunferuntur sacrorum Librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et Vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, et expositionibus pro authentica habeatur; et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat, vel praesumat. – Decernit et statuit, ut posthac S. Scriptura,] potissimum vero haec ipsa vetus et vulgata editio quam emendatissime imprimatur.* Et sane non poterat a Tridentinis Patribus melior versio inter Latinas tum extantes hae authentiae praerogativa ornari, quam Vulgata Latina, diuturno decem saeculorum usu ab Ecclesia consecrata.

CLXXV. Post Decretum Tridentini Concilii, in repurganda a mendis Vulgata laboratum est a doctissimis viris, jussu Romanorum Pontificum. A. C. 1590. prodiit Romae jussu *Sixti. V.* Pontificis nova et castigatior Latinorum Bibliorum editio. Biennio post, nem-

pe A. C. 1592. *Clemens VIII.* novam editionem aggressus est, in qua plurimos errores, qui in Sixtina editione remanserunt, emendavit. Neque tantum quae Typographi vitio irrepserant, sed etiam alia multa de industria mutata et correcta invenimus, quae a *Thoma Jamesio* Bibliothecario Bodlejano in singulari libro de earum editionum differentiis edito, ad duo millia recensentur, quae Clemens VIII. ex Sixtina editione auctoritate sua sustulit, et secundum textus originarios reformavit. Denique jussu *Urbani VIII.* A. C. 1631. tertia prodiit Vulgatae Latinae editio, facta in levioribus aliqua emendatione. Atque haec deinceps instar normae fuit, a qua nulli Typographorum licuit porro discedere, nisi in illa reperiretur manifestus Typographi error: nec ulli fas est edere Vulgatam additis ad marginem variantibus Lectionibus, aut insertis in textum, quae non nullis superesse videantur, levioribus mendis.

CLXXVI. Quamvis autem a Correctoribus Romanis maxima diligentia impensa fuerit in expurganda a vitiis et mendis Vulgata, nolim tamen idcirco asserere, editionem Clementis aut Urbani VIII. numeris omnibus ita absolutam esse, ut ea nihil melius, clarius, aut distinctius dari queat, aut ab omnibus omnino mendis, saltem ab illis, quae transcribentium aut librariorum vitio in Latinum codicem tot praecedentium saeculorum spatio irrepserant, purgatam fuisse. *Bellarminus* enim unus ex correctoribus, Epist. ad Lucam Brugensem, qui in Versione Latina jussu Clementis VIII. emendata plurima notaverat, quae Ecclesiae authoritate corrigi possent, scribere haud veretur: *De libello ad me missa gratias ago. Sed scias velim Biblia vulgata non*

esse a nobis accuratissime castigata. Multa enim de industria justis de causis pertransivimus, quae correctione indigere videbantur. Quin ipsi Correctores in Praefatione Clementinae Editionis fatentur : *In hac sicut non nulla consulto mutata, ita etiam alia, quae mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt : tum quod ita faciendum esse, ad offensionem populorum vitandam, S. Hieronymus non semel admonuit; tum quod facile fieri posse credendum est, ut majores nostri, qui ex Hebraeis et Graecis Latina fecerunt, copiam meliorum et emendatiorum librorum habuerint, quam ii qui post illorum aetatem ad nos pervenerunt; qui fortasse tam longo tempore identidem describendo, minus puri atque integri evaserunt.*

CLXXVII. Vulgatam nostram editionem Latinam pro authentica habendam non esse, in eaque innumerabiles errores deprehendi, magno consensu tenent Protestantes; in eligenda tamen Latina editione authentica non parum inter se dissentiunt. Lutherani volunt solam Lutheri editionem pro authentica haberi : at Zwingliani, Anabaptistae et Calviniani nullam esse versionem authenticam, nec ad unam aliquam versionem Ecclesiam esse aligatam contendunt. Caeteris impotentius in Tridentinum Sess. IV. Decretum debacchati sunt Calvinus, Kemnitius, et Tilmannus Heshusius. Fuere tamen viri docti ex ipsis Protestantibus, Theodorus Beza, Paulus Fagius, Ludovicus de Dieu, Isaacus Casaubonus, Hugo Grotius etc. qui Vulgatam nostram Latinam maximo se in pretio habere professi sunt.

CLXXVIII. Palmare est Protestantium mendacium, Vulgatam versionem nostram Tridentinis Patribus ita probatam esse, ut eam ipsis genuinis fontibus Graecis

et Hebraicis praetulerint. Tridentinum enim nullam fontium mentionem facit, nec Vulgatam cum fontibus comparavit, sed eam praetulit versionibus aliis Latinis tum Protestantium, tum Catholicorum, quae tunc temporis circumferebantur, nempe Santis Pagnini Lucensis, Isidori Clarii Brixiani, et Vatabli Doctoris Parisiensis; quae tamen versio Parisiis per Robertum Stephanum edita, non Vatablum, cujus nomen falso praeseferebat, authorem habuit, sed Zwinglianos potissimum, Leonem Judam, Theodorum Bibliandrum, et Conradum Pellicanum, sub Catholici Doctoris nomine latitantes, ut venenum latius diffunderent. Noverant Tridentini Patres, quae Augustinus Lib. XV. de Civit. Dei, Cap. XIII. scripserat. *Cum diversum aliquid in utrisque codicibus invenitur; quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque esse non potest verum, ei linguae potius credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio.* Et B. Hieronymus Epist. CXXXV. ad Suniam et Fretellam: *Sicut in novo Testamento, si quando apud Latinos quaestio exorta est, et inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Graeci sermonis, quo novum scriptum est Testamentum: ita in veteri testamento, quando inter Graecos Latinosque varietas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem, ne quidquid de fonte proficiscitur, hoc quaeramus in rivulis.*

CLXXIX. Dixi, *genuinis* fontibus Graecis et Hebraicis, qui turbati non fuerunt hominum incuria, vel malitia, Tridentinos Patres Vulgatam nostram non praetulisse. At vero fontes illi, quales hodie extant, non sunt illimes. De graeco fonte id ostendimus Num. CXXVIII. Hebraicus, quamvis aevo D. Hieronymi incorruptus fuisse dicatur, in levioris saltem momenti rebus hodie-

dum plurimis mendis laborat ex multiplici descriptione: immo prudens et gravis est suspicio, fontem Hebraicum fuisse non nullis in locis ex industria, et Hebraeorum malitia depravatum in rebus etiam gravioribus, quae ad Christum, et Christianam Ecclesiam pertinent, ut pluribus allatis exemplis ostendit *Hermannus Goldhagen* Introduct. in S. Scripturum Part. I. Sect. II. Quaest. IV. Ex quo tamen minime sequitur fas hodie non esse ad fontes illos recurrere: ad illos enim, quomodocunque sint hodiedum comparati doctis praesertim ac religiosis hominibus, qui id sine periculo facere possunt, omnino licet, atque etiam expedit. I. Quando in nostris codicibus error est Librariorum. II. Quando Latini codices variant. III. Quando sententiae ac verba Vulgatae nostrae sunt ambigua, aut obscura. IV. Quando ex fontibus vis, energia, et proprietas vocabulorum intelligi melius potest. V. Quando cum Heterodoxis disputandum, qui rejecta Vulgata nostra, textu Hebraico et Graeco vel se defendere conantur, vel nos oppugnant.

CLXXX. Circa Vulgatam juxta Catholicos certum est I. Etsi Vulgata ante correctionem Romanam non fuerit, aut etiam post illam non sit ab omni errore immunis, neque in veteri editione inventum fuisse, aut in nova inveniri posse aliquid, quod sit a veritate Christianae fidei devium, vel contrarium dogmatibus ac regulis Orthodoxis, bonisque moribus: vel adeo depravatum, ut occasionem perniciose errandi attulerit, vel haeresibus ac pravis dogmatibus materiam et fomenta praestiterit; vel ita obscure aut ambigue versum, ut mysteria nostrae fidei occultaverit, aut non sufficienter quantum ad salutem requiritur, explicaverit. Verbo Vul-

gatam nec fuisse, nec esse inquinatam erroribus et mendis in materia fidei et morum. Fieri enim non potuit, ut Ecclesia depravatos libros circa dogmata aut mores pro sinceris admitteret. Id enim si contigisset, necesse foret, ut corruptis doctrinae instrumentis ipsa etiam sacra Ecclesiae doctrina corrumperetur. At promissa divina non sinunt, ut id olim evenisse, aut aliquando eventurum esse vel leviter suspicemur. Certum est II. a recepta Vulgatae lectione, etiam in rebus levioribus, ad fidem et mores non pertinentibus, non esse temere recedendum, nec aliquid in textu mutandum sine auctoritate Ecclesiae: sed modeste rationes et conjecturas proponendas esse, et Ecclesiae judicium expectandum.

CLXXXI. At vero quonam sensu Vulgata nostra sit, et declarata fuerit a Tridentino Authentica, non una est Catholicorum Doctorum opinio. Multi cum *Suario*, *Gregorio de Valentia*, *Simonnet* etc. opinantur, Vulgatam nostram esse, et declaratam fuisse authenticam in eo sensu, quod Scriptorum sacrorum autographis quoad res omnes et sententias expressas ita conveniat, ut ne in levissima quidem circumstantia a veritate Scripturae originalis aberret, licet omnem claritatem, omnem vim, et elegantiam Scripturae originalis non assequatur. Probant id I, quia *Tridentinum* Sess. IV. non restricte, sed absolute Vulgatam authenticam pronuntiat, sacros Libros, prout in illa habentur, integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendos esse: prohibetque ne quis quovis praetextu Vulgatam rejicere audeat vel praesumat, nullo facto res inter graviores et leviores discrimine. II. Omnia, etiam

leviora, v. g. quod Tobias canem habuerit, indirecte reducuntur ad ea, quae fidei sunt. III. Editio τῶν LXX, qualis ab initio primis Ecclesiae saeculis fuit, in omnibus erat authentica. Ergo idem dicendum est de Latina editione Vulgata, ne quid minus, in re praesertim hujus generis, datum videatur Ecclesiae Latinae, in qua est Sedes Petri, ac vera Religio, quam Ecclesiae Graecae. IV. Si Vulgata destitueretur authentia in levioribus, foret longe majori sui parte non authentica. Hoc vero repugnare videtur divinae providentiae, et amori Christi in Ecclesiam, cum Judaeis olim de Scriptura ex integro authentica, et Gentibus ad Christiana sacra conversis simili ex integro authentica versione, Graeca nimirum, et vetere Itala provisum fuerit.

CLXXXII. Alii Auctores et numero plurimi, et eruditione praestantes, *Bellarminus*, *Franciscus Lucas Brugensis*, *Vega*, *Canus*, *Lipomanus*, *Jansenius Gandavensis*, *Salmeronius*, *Bonfrerius*, *Mariana*, *Maldonatus*, *Baronius*, *Tirinus*, *Salianus*, *Petavius*, *Cabassutius*; *Natalis Alexander etc.* negant Vulgatam nostram a Tridentino declaratam fuisse authenticam in eo sensu, quod in levissimis etiam rebus, quae ad fidem bonosque mores non pertinent, cum originali textu semper conveniat; quamvis ultro admittant, nullam manifestam falsitatem etiam in rebus levissimis in ea contineri. Assertionem suam probant I. argumento inficiali, quia authentia Vulgatae etiam in rebus levissimis sufficienter probari nequit, cum id Tridentinum nullibi clare asserat, verbisque illis Protestantes tantum perstringat, qui integros Libros e canone expunxerant, et alios non nisi demptis aliquot partibus, quae in Hebraico codice non extabant ut divinos recipiebant, v.

g. Libros Esther, et Danielis. II. quia aliqua, quae in Vulgata nostra continentur, desumpta sunt ex Aquilae aut Theodotionis versione Graeca, qui altiori lumine collustrati non erant; cum haeretici fuerint Judaizantes. Hos vero in re levissima quandoque non errasse, certo nobis non constare. III. Probant ex testimonio Correctorum, qui in Praefatione Editionis Clementinae fatentur, ad vitandam offensionem populorum, aliqua quae mutanda videbantur, consulto immutata non fuisse. IV. Inductione plurimorum locorum in mendo verisimiliter cubantium. *Franciscus Lucas* Brugensis, vir doctissimus, quatuor mille et amplius loca ostendit, quae in Bibliis a Clemente VIII. correctis emendari possent. Atqui virum hunc linguarum Orientalium peritissimum et modestissimum, omnibus iis in locis hallucinatum fuisse, durum admodum atque difficile est credita.

CLXXXIII. *Conclusio I.* Vulgata nostra Latina est intrinsece authentica, et quoad se. Prob. Illa versio est intrinsece, et quoad se authentica, quae Scripturae originali conformis est quoad res et sententias ab Authore sacro expressas. Atqui talis est Vulgata nostra. Ergo. Major negari non potest; quia authentia intrinseca aliud nihil est, quam conformitas versionis cum Scriptura originali quoad res et sententias ab hujus scripturae authore expressas. Prob. itaque minor. Ecclesia a temporibus S. Gregorii M. Vulgatam nostram semper adhibuit, neglectis aliis versionibus: hacque usi sunt Patres et Doctores, qui post B. Gregorium in Ecclesia floruerunt, S. Isidorus, Ven. Beda, Rabanus Maurus, S. Anselmus, S. Bernardus, Hugo Victorinus, B. Thomas Aquinas etc. Ergo est intrinsece authentica. P. C. Si haec non foret authentica, Ecclesia quae a B.

Paulo dicitur columna et firmamentum veritatis, per mille annos veris caruisset Scripturis divinis, gravissimeque errasset falsas pro veris admittendo. Atque hoc est certo falsum, omnino incredibile, atque ab ipsis etiam Protestantibus negandum: Unde enim acceperunt illi Scripturas, nisi ab Ecclesia Catholica?

CLXXXIV. *Conclusio II.* Vulgata nostra Latina est etiam extrinsece authentica, et quoad nos. Prob. Illa versio habet extrinsecam authentiam, et quoad nos, cujus conformitas cum Scriptura originali declarata est per legitimam et infallibilem auctoritatem. Atqui talis est Vulgata nostra Latina. Ergo. P. min. Concilium Tridentinum legitimam et infallibilem habens auctoritatem, ut de Conciliis Oecumenicis a Romano Pontifice approbatis ostendemus Tractatu III. de Ecclesia, Articulo II., eam Sess. IV. declaravit esse authenticam, graviterque vetuit, ne quis eam quovis praetextu rejicere audeat vel praesumat, ut dictum fuit Num. CLXXIV. Immo authentia Vulgatae nostrae implicite jam diu declarata est ab Ecclesia hoc ipso, quod illa jam per mille annos usa fuerit. Caeterum quo sensu ab omnibus Catholicis admittatur, Vulgatam nostram esse, et declaratam fuisse a Tridentino authenticam, dixi Num. CLXXX.

OBJECTIONES.

CLXXXV. *Objicitur I.* Iniquitas Tridentini Decreti. Tridentinum illud Decretum Sessionis IV. nulla dignum est attentione. Nam I. inutile est; cum nihil utilitatis sperari possit ex eo, quod Vulgata caeteris anteponatur. II. Est imprudens, quia nulla datur ratio

eam caeteris versionibus anteponendi. III. Est injustum, quia eam praefert fontibus Graecis et Latinis. R. N. A. Decretum illud est utilissimum, quia ad lites exortas dirimendas, novasque impediendas per quam necessarium est, ut Ecclesia sit unius labii, unamque habeat versionem authenticam, quae sola in disputationibus adduci queat; quamque rejicere nemo audeat, cum pauci sint, qui Hebraicas Graecasque litteras norint. Decretum illud est prudentissimum; sufficiens enim ratio Vulgatam caeteris praeferendi fuit longissimus illius usus in Ecclesia, ex quo satis ostenditur, eam cum originali Scriptura conformem esse. Neque injustitiae argui potest Tridentinum, quia genuinis fontibus Graecis et Hebraicis Vulgatam nunquam praetulit. Vide dicta Num. CLXXVIII.

CLXXXVI. *Dices I.* Tridentinum vel declaravit authenticam illam Vulgatae editionem quae hodie existit, et jussu Clementis VIII. in lucem prodiit, vel illam quae existebat tempore Concilii? Neutrum potest dici: P. min. Non Clementinam: quia Concilium ratam habere non potuit editionem, antequam illa existeret. Non alteram; alias approbasset editionem plurimis erroribus inquinatam. R. C. M. N. m. et dico, Vulgatam tempore Concilii existentem fuisse declaratam authenticam; non quidem ut librariorum erroribus corruptam, sed qualis erat in se, et e manibus Interpretum, praecipue S. Hieronymi prodiit. Neque unquam Tridentini Patres desiderarunt veterem Interpretem corrigi, sed errores tantum librariorum, qui in Vulgatam irrepserant.

CLXXXVII. *Dices II.* Ex una parte omnia exemplaria ante Bibliorum correctionem erant corrupta: ex altera parte tempore Concilii Vulgata, qualis prodiit e

manibus S. Hieronymi et primorum Interpretum, non amplius extabat. Ergo Tridentini Patres non potuerunt de illa judicium ferre. R. Omnia exemplaria fuisse corrupta, non iisdem, sed haec in istis, alia in diversis locis; ita ut nullus error exinde circa fidem et mores in Ecclesiam irrepere potuerit. Quamvis autem Vulgata editio tempore Concilii non amplius extiterit, qualis e manibus primorum Interpretum prodiit, Synodus tamen Tridentina prudens potuit de illa judicium ferre; quia ex longo tot saeculorum usu, quo Vulgata nostra in Ecclesia Dei probata fuerat, sufficientissime colligere poterat, fontibus Hebraicis et Graecis, saltem in materia fidei et morum, esse conformem.

CLXXXVIII. *Objicitur II.* Fallibilitas Interpretis. S. Hieronymus, ex cujus versione major pars Vulgatae habetur, non erat infallibilis in interpretandis Scripturis. Hanc certe inerrantiam non agnovit Augustinus, qui versionem τῶν LXX. semper Hieronymianae praetulit. Ergo absque ratione dicitur, eum in interpretandis Scripturis non errasse. R. C. A. N. C. A potentia ad actum legitima est argumentatio. S. Hieronymus Doctor maximus, divinitus excitatus ad interpretandas Scripturas, specialem habuit Sancti Spiritus assistentiam, quacum adhuc errare poterat, sed tamen infallibiliter non erat erraturus: sicut qui gratiam habet efficacem ad non peccandum, potest adhuc peccare, sed infallibiliter non peccat. S. Augustinus maximo semper in pretio habuit S. Hieronymum. Versionem illius interpretationi τῶν LXX. anteponendam negavit, non quia hanc non ubique veracem, et originali Scripturae non esse conformem credidit; sed quia putabat LXX. Interpretes ex divina inspiratione Hebraicum codicem Scri-

pturarum Graece fuisse interpretatos. Neque mirum est Augustinum Versionem τῶν LXX. Hieronymianae idcirco antetulisse. Nondum enim viderat unanimem omnium Ecclesiarum in Hieronymiana interpretatione suscipienda conspirationem: nondum viderat authoritatem, qua interpretatio illa pollet ab annis mille et amplius in tota Ecclesia Latina: nondum viderat illam solam post Gregorii Magni tempora a Patribus laudatam, commentariis illustratam, atque Oecumenicae Synodi Decreto roboratam.

CLXXXIX. *Objicitur III.* Sequela. Si Vulgata Latina est authentica, id est, quoad res et sententias Scripturae originali conformis, nullum foret discrimen inter Scriptores sacros, et Interpretes sive versores. Atqui id dici nequit. Ergo. R. N. M. Scriptores sacri scripserunt Spiritu Sancto dictante, aut saltem quoad sensum inspirante. Unde sicut Spiritus Sanctus errare non poterat dictando, aut inspirando, ita nec Scriptores sacri errare poterant scribendo. At vero Scripturarum Interpretes et versores illi Spiritum Sanctum habuere assistentem solummodo, ne in errorem laberentur. Unde errare poterant interpretando, licet ob peculiarem Spiritus Sancti assistentiam in nullum errorem sint lapsi contra originalis Scripturae sensum.

CONTROVERSIA IV.

AN SCRIPTURA DIVINA SIT ITA CLARA, UT AB OMNIBUS FACILE INTELLIGATUR?

Contra Protestantes.

CXC.

Protestantes asserunt, Scripturam quoad legitimum sensum facilem ac perspicuam esse, et ab omnibus facili negotio intelligi posse. Hinc Lutherus in praefatione Assertionis Articulorum a Leone X. damnatorum Scripturam esse dixit clariorem omnium Patrum commentariis; duoque excogitavit effugia: unum, quod Scriptura, etiamsi alicubi sit obscura, clare tamen intelligi possit per alios textus: alterum, quod quamvis per se sit clarissima, superbis tamen et infidelibus sit obscura, propter eorum caecitatem et pravum affectum. Verum cum ne sic quidem opinionem hanc sustineri posse animadverterent Lutheri et Calvini discipuli, Brentius, Gerardus, Molinaeus et Amesius, eam paulisper mitigarunt, dicendo, Scripturam esse claram in creditu necessariis ad salutem; quamvis in aliis sit obscura, quae ad salutem vel ad articulos substantiales non pertinent.

CXCI. *Conclusio.* Scriptura saepe piis etiam hominibus obscura est, et difficilis intellectu. Prob. I. Auctoritate Scripturarum. Psal. CXVIII. v. 34. dicitur: *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam* v. 135. *Faciem tuam illumina super servum tuum: et doce me*

justificationes tuas. Lucae XXIV. *Tunc aperuit illis sensum* (Christus Apostolis) *ut intelligerent Scripturas.* Actuum Cap. VIII. ait Philippus Eunucho Candacis Reginae: *Putasne intelligis quae legis? Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Atqui hi omnes erant Hebraici sermonis periti, neque infideles aut superbi. II. Petri Cap. III. v. 16. de Epistolis B. Pauli dicitur: *In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et caeteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.*

CXCII. Prob II. Authoritate Patrum. *S. Ambrosius* Epist. XLIV. ad Constantium scribit: *Mare est Scriptura divina, habens in se sensus profundos, altitudinem propheticorum aenigmatum, in quod mare plurima introiierunt flumina. S. Hieronymus* in Epist. ad Algasiam, quaest. VIII. *Omnis Epistola ad Romanos nimiis obscuritatibus involuta est. S. Augustinus* Epist. CXXXVII. alias III. ad Volusianum: *Tanta est Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere.* Similia habent *S. Irenaeus* Lib. II. adv. Haer. Cap. XLVII. *Origenes* Lib. VII. contra Celsum, *S. Chrysostomus* Hom. XL. in Joan. *S. Gregorius M.* Hom. VI. in Ezechielem. Quin ipse, quod mireris, *Lutherus* praefatione in Psalmos ait: *Scio esse impudentissimae temeritatis eum qui audeat profiteri, unum Scripturae librum a se in omnibus esse intellectum.*

CXCIII. Prob. III. Experientia. Testimonio omnium Interpretum in Libris sacris sunt loca plurima tam difficilia et obscura, ut post doctissimorum hominum

vigilias et studia adhuc vix a doctissimis quibusque intelligi posse videantur. Et sane si Scriptura tam clara atque perspicua est, cui bono non tantum antiquae Ecclesiae Patres, verum etiam ipse Lutherus ac Protestantes tam multa scripserunt commentaria in Scripturam? Accedit et illud, quod si Scriptura tam clara foret, ut in varium sensum torqueri nequeat, tunc non omnes haereses ex prava Scripturarum intelligentia fuissent exortae. Atqui vel omnes vel fere omnes haereses ex prava Scripturarum intelligentia sunt exortae, ut patet illas enumerando, quae pro fundamento fere semper habebant textum aliquem Scripturarum male intellectum, ut Patres ipsi observarunt. *S. Hilarius* in Libro ad Constantium Augustum scribit: *Memento, neminem haereticum esse, qui se nunc, non secundum Scripturas praedicare ea, quibus blasphemat, mentiatur. -- Scripturas sine sensu loquuntur, fidem sine fide praetendunt; Scripturae enim non in legendo sunt, sed in intelligendo. Et Vincentius Lerinensis* in Commonitorio, Cap. XXXVI. de haereticis ait: *Ut fallacius incauti ovibus obrepant, manente luporum feritate deponunt lupinam speciem, et sese divinae legis sententiis velut quibusdam velleribus obvolvunt.*

CXLIV. *Quaeres I.* Cur Scriptura saepe sit obscura, et difficilis intellectu? R. varias assignari posse rationes. I. est., ob Mysteriorum v. g. Trinitatis, Incarnationis, Gratiae, Praedestinationis etc. quae tractat, sublimitatem, ut pote quae ingenii nostri aciem et captum superant. II. Quia in Scripturis multae, sunt locutiones figuratae, frequentes tropi, hyperbolae, metaphorae, allegoriae, parabolae, quibus tanquam involucris multae veritates occultantur. III. Quia non solum oc-

currunt figurae in vocibus, sed etiam in rebus ipsis. Nam una res saepe est typus alterius rei per illam significatae. Sic Agnus paschalis fuit figura Christi, mare rubrum baptismatis. IV. Quia non statim constat quae res, et cujus rei figura sit, nisi a Deo singillatim sint explicata, v. g. quod Agar figura fuerit Synagogae, Sara Ecclesiae; quod catenae Jeremiae fuerint figura captivitatis multarum Gentium: quod quatuor bestiae Danielis denotaverint quatuor Imperia. V. Quia una res aliquando est figura diversarum, etiam inter se pugnantium. Sic diluvium fuit figura baptismi fidelium, et supplicii infidelium: Petra, per quam Christus intelligitur, fuit pereuntibus lapis offensionis, credentibus vero fuit in caput anguli. I. *Petri II.* v. 8. VI. Ob apparentes antilogias, quae negotium facessunt viris etiam doctissimis, quorum labores si ad nos non pervenissent, in magnis adhuc tenebris versaremur. VII. Ob defectum distinctionis; nam quandoque nulla adhibetur distinctio, ubi opus foret Sic v. g. textus ille Matth. XXVIII. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*, intelligendus est de Christo ut capite Ecclesiae; alter vero Act IX. *Saule, Saule quid me persequeris*? intelligendus est de corpore Christi: quod est Ecclesia. VIII. Quia saepe in Scripturis fit transitus a sensu litterali ad mysticum, de carnalibus ad spiritualia, de temporalibus ad aeterna: praecipue vero in Psalmis et Prophetis transitur a Regibus Judaeorum ad Regem Christum, sive Messiam. IX. Quia saepe in Scripturis non servatur ordo rerum gestarum. X. Quia saepe occurrunt Hebraici idiotismi, qui a paucis intelliguntur. XI. Quia quandoque verba sunt ita ambigua, ut aegre discerni queat,

quo sensu sint accipienda. XII. Quia saepe citantur libri, qui quidem si adhuc extarent, multum lucis adferrent Lectori: sed quia non amplius extant, injuria temporum deperditi, eum saepe relinquunt ambiguum et suspensum.

CXCV. *Quaeres II.* Cur Deus Scripturas saepe obscuras esse voluerit? R. I. ratio est, quia Deus uti in aliis rebus, ita etiam in Ecclesia sua voluit servari ordinem, ut alii essent Magistri, alii Discipuli, juxta illud ad *Ephesios* Cap. IV. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.* Atqui hic ordo non servaretur, siquidem Scriptura tam clara foret passim, et facilis intellectu. II. Si Scriptura foret tam facilis et perspicua, apud ipsos Christianos minori esset in pretio: immo non paucis foret occasio superbiae et arrogantiae. Si enim ipsi Christiani viderent omnia, quae de altissimis mysteriis disputantur, plana et obvia sibi esse, magni se facerent, putarentque, omnia se ingenio suo atque industria comprehendere posse. III. Quia Deus Sanctum dare noluit canibus, et margaritas projicere ante porcos. Si enim Scriptura saepe non esset obscura, facile intelligi posset etiam ab infidelibus, qui sunt extra Ecclesiam, et qui divinum nomen blasphemant. Vide de his plura apud *Martinum Becanum* in Manuali Controversiarum Lib. I. Cap. I. Quaestione V.

OBJECTIONES.

CXCVI. *Objicitur I.* Auctoritas Scripturarum. *Deuteronomii XXX.* v. 11. dicitur : *Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum.* II. Psal. XVIII. *Praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* III. Psal. CXVIII. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* IV. II. ad Corinth. IV. *Quod si apertum est Evangelium nostrum, in iis qui pereunt, est opertum : in quibus Deus hujus saeculi excaecavit oculos infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio gloriae Christi.* V. Matth. V. Christus ait Apostolis, *Vos estis lux mundi.* Ergo praedicatio et scripta Apostolica sunt clarissima. R. ad I. Sermonem ibi esse de praeceptis Decalogi, quae facile intelliguntur, cum sint juris naturalis omnium cordibus inscripti, et Judaeis a Moyse sufficienter explicata fuerant. Praeterea textum hunc intelligendum esse de facilitate implendi divina mandata Decalogi, cum auxilio divinae gratiae. Ad II. Praeceptum Domini illuminat ; non quod facile semper intelligatur, sed quia intellectum ac mentem illustrat, et dirigit hominem in operando. Ad III. Scriptura est lucerna ac lumen, si ponatur super candelabrum, id est, si adjungatur ei authoritas Ecclesiae Scripturarum sensum legitime interpretantis. Ad IV. Apostolus l. c. non loquitur de universa Scriptura, sed potissimum de doctrina Incarnationis, Passionis, ac Dominicae Resurrectionis, quam clare praedicaverat Gentibus et Judaeis. Ad V. Christus vocat Apostolos lucem mundi, ob morum probitatem, et virtutum omnium exempla, omnibus hominibus ad imitandum proposita.

CXCVII. *Dices*. Agnus occisus aperuit librum, qui erat signatus, ut dicitur *Apocalypsis V*. et in morte Christi velum Templi scissum est. Ergo in nova Lege fidelibus patent omnia Scripturarum arcana. R. C. A. N. C. Agnus occisus aperuit librum signatum, quia figuras omnes et prophetias implevit: nosque modo intelligimus haec mysteria, quae antea Judaei non intelligebant, tot figuris occultata. Scissione illa significabatur luctus Templi, ob mortem Christi vestem suam Judaico more conscindentis, et velamen legalium Sacrificiorum ac caeremoniarum per Christum esse dissolutum.

CXCVIII. *Objicitur II*. Auctoritas Patrum. S. Chrysostomus Hom. III. de Lazaro ait: *Apostoli vero et Prophetae manifesta claraque prodiderunt, exposuerunt omnibus veluti communes orbis Doctores, ut per se discere quisque possit ea, quae dicuntur, ex sola lectione*. Et Hom. III. in II. ad Thessalon. *Quid opus est sermone? Omnia sunt dilucida et recta, quae sunt in divinis Scripturis: manifesta sunt, quaecunque sunt necessaria*. II. *S. Augustinus* in Epist. CXXXVII. alias III. ad Volusianum scribit, non esse difficile in Scripturis invenire necessaria ad salutem. Et Lib. II. de Doctr. Christiana, Cap. VI. ait: *Nihil fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur*. Ergo. R. ad I. S. Chrysostomus verbis in objectione laudatis nihil aliud significare voluit, quam facilia esse et dilucida plurima, quae in Scripturis sacris occurrunt, sive historias, sive praecepta, et consilia mores spectantia, sive comminationes, sive promissa: unde colligit, Scripturas sine magna utilitate a Fidelibus plerumque non legi, adeoque ejus lectioni assidue esse

vacandum. Quod vero Scriptura ubique sit clara, et in omnibus, id nullibi Chrysostomus asserit: immo eadem illa Hom. III. de Lazaro manifeste contrarium supponit; ait enim: *Sume Librum in manus, lege historiam omnem, et quae nota sunt, memoria teneas, et quae obscura sunt parumque manifesta, frequenter percurre. Quod si non poteris assiduitate lectionis invenire quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad Doctorem.* Ad II. R. Non omnia Scripturae sacrae loca, quae obscura sunt, alibi in sacris Scripturis exposita B. Augustinus dixit, sed plurima. Hanc siquidem exceptionem apponit, *fere*; qua indicat, non nulla esse quae nullibi exposita inveniuntur. Sed et illa, quae planissime dicta putat, quamvis fidelibus et eruditis perspicua sint, non tamen infidelibus, et iis, quorum minus perspicax est ingenium, eruditioque mediocris vel nulla. Accedit, quod hoc ipsum sit valde difficile, ut *Bellarminus* observat Lib. III. de Verbo Dei, Cap. II. invenire nimirum id quod uno loco obscurissime dicitur, ubi nam aperte dicatur; alioquin quomodo diceret idem *Augustinus* Epist. LV. alias CXIX. ad Januarium, Cap. XXI. se plura nescire, quam scire in sacris litteris? Praeterea illa ipsa loca, quae nobis apertissima videntur, aliis saepe sunt obscura, ut patet in illis *Matthaei* verbis Cap. XXVI. *Hoc est corpus meum.* Caeterum *S. Augustinus* mentem suam tum alibi saepius, tum praecipue Epist. CXXXVII. alias III. ad Volusianum, cujus fragmentum exhibuimus Num. CXCII. et illo ipso Lib. II. de Doctr. Christiana Cap. VI. manifestavit, scribens: *Multis et multiplicibus obscuritatibus, et ambiguitatibus decipiuntur, qui temere legunt, aliud pro alio sentientes; quibusdam autem locis quid vel falso suspicentur, non inveniunt, ita*

obscure quaedam dicta densissimam caliginem obducunt. Quod totum provisum esse divinitus non dubito, ad edomandam labore superbiam, et intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescunt.

CXCIX. *Dices I.* Patres sententias suas probant ex Scriptura divina. Ergo Scriptura debet esse clarior quam dicta Patrum. P. C. Si dicta Patrum essent clariora, ac nihilominus ex Scripturis probaretur, tunc clarius probaretur per obscurius. Atqui id dici nequit. Ergo. II. Patres hortantur homines etiam rudes ad lectionem Scripturarum. III. Primi Patres Scripturas legerunt sine commentariis, earumque sensum assecuti sunt. Ergo Scripturae nihil habent obscuritatis. R. C. A. D. C. Id est, notius nobis est, verum esse id omne quod in Scripturis continentur, quam quae habentur in Patribus, C. C. Scriptura divina quoad verba et sensum debet esse clarior quam dicta Patrum, N. C. Ad II. R. Id ideo factum esse, quia in Scripturis plurima continentur clara et perspicua, quorum lectione etiam rudes juvari possunt: si quid vero obscurius occurrat, jubentur a Patribus ad Ecclesiae Pastores et Doctores accedere. Ad III. Primi Patres nobiliora habebant Scripturarum commentaria, eaque viva, nempe Apostolos, eorumque discipulos, qui Scripturas viva voce interpretabantur.

CC. *Objicitur III.* Ratio. Ex una parte Deus potuit clare loqui in Scripturis: ex altera parte si Deus clare locutus non fuisset, improvide atque inclementer nobiscum egisset, in tenebris nos relinquendo; cum tamen praecipiat ut in viis Domini ambulemus. Ergo dicendum est, Scripturas ubique claras esse et perspicuas. R. N. alterum Antecedentis membrum. Quamvis

enim Deus saepe in Scripturis obscure locutus sit, modum tamen nos docuit, quo obscuras veritates in apertam lucem protrahamus, consulendo scilicet Ecclesiam, ejusque Praelatos, juxta illud Lucae X. *Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit.* Caeterum rationes, ob quas Deus saepe in Scripturis obscure locutus est, assignavimus Num. CXCV. Neque propterea obscuritas illa defectum arguit in Deo, aut in ipsis Scripturis ; quia qualiscunque demum illa obscuritas sit, non oritur ex defectu loquentis, sed ex imbecillitate audientium, et sufficienter servit ad finem a Deo intentum.

CCI. *Objicitur IV.* Infirmitas argumenti. Ex probationibus nostris tantum evincitur, Scripturam non omnino in omnibus esse claram : minime autem ostenditur, eam etiam in articulis fundamentalibus, et in illis quae ad salutem sunt necessaria, obscuritate laborare. Ergo. R. N. A. Nam I. Scriptura nullibi clare exponit, quae sint necessaria ad salutem : neque in illis assignandis conveniunt ipsi Protestantes. II. Falsa est illa divisio articulorum in fundamentales et accidentales, ut ostendimus Num. XCII. III. Unitas naturae divinae in tribus personis, Divinitas Christi, et Spiritus Sancti, sunt juxta Protestantes articuli fundamentales : et tamen non ita clare in Scripturis exprimuntur, ut eosdem non impugnaverint Ariani, Macedoniani, Triheitae, Sociniani etc. IV. Ex nullo Scripturarum loco Protestantes evincere possunt contra Anabaptistas, parvulos baptizandos esse, non vero Eucharistiam iis porrigendam. Nam sicuti Joan. III. dicitur : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* : ita etiam Joan. VI. dicitur : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sangui-*

nem, non habebitis vitam in vobis. Et tamen Baptismus est omnibus etiam parvulis necessarius ad salutem; non item Eucharistia. Ergo Scriptura etiam in iis quae necessaria sunt ad salutem, non semper est clara.

CCII. *Dices.* Quamvis Scriptura in rebus etiam scitu et creditu necessariis quandoque sit obscura, potest tamen obscurus textus facile explicari per alios clariores. Ergo. R. N. A. universaliter sumptum. Saepe enim non adsunt clariores textus: et quamvis adessent, non tamen est clarum uter per alium explicari debeant: an textus A per textum B, vel vice versa textus B per textum A. Accedit, quod quando adsunt duo textus apparenter oppositi, saepe non constet quinam altero sit clarior: et saepe textus, qui antea videbatur clarus, accedente alio textu reddatur obscurior, ac difficilior. Neque dicas obscuram videri Scripturam ob linguae Hebraicae, vel Graecae defectum; David enim Hebraicae linguae peritissimus erat; neque tamen idcirco destitit Deum rogare, ut daret illi intellectum ad scrutandam legem Dei. Idem dicendum de B. Hieronymo, aliisque Patribus, et Scripturarum doctissimis Interpretibus.

CONTROVERSIA V.

AN SOLA SCRIPTURA DIVINA SIT REGULA FIDEI ADAEQUATA ET SUFFICIENS?

Contra Protestantes.

CCIII.

Quemadmodum in qualibet bene ordinata Republica dari debet supremus quidam Judex, seu Magistratus, qui suprema authoritate, et irrefragabili atque ultimato judicio ortas controversias componat: ita providentissimus Deus in Ecclesia a se fundata, cum praevideret multas dissensiones orituras esse circa fidei mysteria ob malitiam hominum, invidiam daemonis, et rerum credendarum obscuritatem, supremum quemdam Judicem constituit, quem in approbandis vel rejiciendis dogmatibus sequamur. Praeterea cum Judex in quacunque republica normam aliquam habere debeat, juxta quam sententiam ferat, juxta Catholicos Deus in Ecclesia sua, quam judicem circa res fidei constituit, Verbum scriptum et traditum normam et regulam fidei externam esse voluit, per quam Ecclesia discerneret credenda a non credendis, errores a veritate Catholica.

CCIV. Protestantes ne admittere cogantur Verbum traditum, quo admisso omnes eorum errores corruerent, dicunt solam Scripturam esse regulam fidei adaequatam: Scripturam per se claram esse, et intellectu facilem: Verbum Dei scriptum, seu libris Canonicis comprehensum complecti quidquid necessarium est

est decantatum illud Protestantium principium, *Nihil esse credendum; quod in Scripturis expressum non habetur.* Prob. Antecedens quoad singula membra. I. Si ex sacra Scriptura constaret dari Scripturam, tunc ideo, quia id Scriptura de se ipsa testatur. Atqui hoc testimonio nihil evincitur; quia id ipsum est in quaestione, an Scriptura nempe quae id affirmat, sit genuinum ac verum Dei Verbum, quod Gentiles omnes, Deistae, ac increduli negant, tamque parum credunt, quam Protestantes impostori crederent, qui librum aliquem conscriberet, atque in eo expresse testaretur in illo contineri purum Dei Verbum. II. in Scripturis nullus Librorum sacrorum Canon continetur. Ergo si nihil credendum est, quod in Scripturis expresse non continetur, Protestantes infallibiliter certi esse nequeunt, hunc determinatum librum esse Canonicum, multoque minus alios libros ad Canonem non pertinere: cum certum sit fidelium judicia etiam primis saeculis circa rem hanc non fuisse concordia. Denique in Scripturis nihil omnino dicitur, quaenam versio sit authentica, quinam verborum Scripturae sit sensus: an verba illa, *Hoc est corpus meum*, sumenda sint in sensu figurato vel proprio. Ergo si nihil credendum est, quod in Scripturis expresse non continetur, nec Lutherani, nec Calvinistae infallibiliter certi sunt se habere legitimam versionem, aut assecutos esse legitimum Scripturarum sensum.

CCVII. Ex his rite formatur hic Syllogismus. Illa Secta, quae solam Scripturam agnoscit tanquam unicam regulam adaequatam credendorum, interea vero nec de ipsius Scripturae existentia, canone, puritate, ac genuino illius sensu infallibiliter certa esse potest in suis principiis, nullum prorsus habet articulum in-

fallibiliter certum, nullamque fidem divinam. Atqui talis est Secta Protestantium. Ergo Secta Protestantium nullum prorsus habet articulum infallibiliter certum, nullamque fidem divinam. Atqui ubi nulla est fides divina, ibi nulla est Ecclesia, et nulla salus. Ergo. Major propositio est clara; quia voluntas non potest intellectui imperare assensum certissimum ac firmissimum alicui objecto tanquam infallibiliter certo praestandum, si motivum, propter quod imperatur assensus firmissimus, non sit certum et indubitatum. Minor est etiam certa, ut prius probatum a nobis fuit.

CCVIII. Prob. III. Multa tenemur observare, et fide divina credere, quae in Scripturis clare et sufficienter non sunt expressa. Ergo sola Scriptura non est regula credendorum adaequata et sufficiens. P. A. Quamvis clare et expresse id in Scripturis non dicatur, fide divina tamen credendum est, dari in Deo tres personas realiter inter se distinctas, unamque tantum substantiam: Spiritum Sanctum procedere non a Patre tantum, sed etiam a Filio: hanc processionem non esse generationem: Infantes esse baptizandos: validum esse Baptismum ab Hereticis collatum, modo ritus a Christo praeceptus observetur: B. Mariam etiam post partum permansisse Virginem. Praeterea ipsi Protestantes nobiscum tenent formam Baptismi esse illa verba, *Ego te baptizo etc.* materiam esse aquam elementarem: Verba Christi, *Hoc facite in meam commemorationem*, continere verum praeceptum; non autem illa, *Et vos debetis alter alterius lavare pedes*: non celebrandam esse cum Judaeis diem Sabathi, sed Dominicam: praeceptum abstinendi a sanguine et suffocato cessasse, et quae plura sunt hujusmodi, quamvis Scriptura vel ni-

hil omnino de his dicat, vel tam obscure, ut ista minime sufficienter explicet. Ergo.

OBJECTIONES

CCIX. *Objicitur I.* Auctoritas Scripturarum. II. Ad Timoth. III. ait Apostolus: *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum, in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Ergo si Scriptura hominem potest perfectum reddere; et ad omne opus bonum instruere, ipsa etiam Scriptura est perfecta. Ergo omnia credenda in Scripturis exprimuntur. II. Act. XX. v. 27. ait Apostolus: *Non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis.* Ergo omnes articuli in Scripturis continentur. III. Joan. XX. dicitur: *Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei: et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Ergo cum per Evangelium a B. Joanne conscriptum habeatur vera fides, et salus aeterna, omnes articuli ad vitam aeternam conducentes expressi habentur in Scripturis. R. ad I. N. ultimam Conseq. Etiam unicus Scripturae versiculus potest esse utilis, et hominem partialiter perficere, quamvis in eo non omnia credenda exprimantur. Ad II. Aliud est omne consilium Dei annuntiare, aliud scribere; alias si illud tantum annuntiatum foret a Paulo quod ab ipso scriptum est, sequeretur, vel praedicationem Pauli valde imperfectam fuisse, vel omnia credenda in solis ejus Epistolis contineri, quod manifeste falsum est. Ad III. N. C. Alias pariter sequeretur, reliquas Scripturae partes ad vitam aeternam non esse

necessarias, eoquod in Evangelio B. Joannis omnia jam contineantur.

CCX. *Objicitur II.* Eminentia Scripturarum. Ecclesia non potest Scripturis authoritatem tribuere. Ergo ex authoritate Ecclesiae evinci non potest Scripturarum existentia, Canon sacrorum Librorum, et sensus verus ac genuinus. P. A. Apostolus ad Ephes. II. scribit: *Superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum.* Id est, super eorum scripta. Ergo Ecclesia non est supra Scripturam. Ergo sola Scriptura est adaequata regula credendorum. R. D. A. Ecclesia non potest Scripturis authoritatem tribuere, id est, authoritatem dare, quasi antea illa caruissent, C. A. Non potest fidelibus notam facere authoritatem Scripturarum, ut reverenter a fidelibus suscipiantur, N. A. Vide dicta Num. CLX. et CLXI. Ad *probat.* N. ultimam Conseq. Ecclesia superaedificata est supra doctrinam Apostolorum non scriptam modo, sed etiam traditam, cujus fidelissima est depositaria.

CCXI. *Dices I.* Tali modo fides nostra, quam Scripturis praestamus, resolveretur in authoritatem Ecclesiae ultimato, et non in authoritatem Dei revelantis. Ergo non esset vera fides theologica. II. Libri sacri ac divini ideo scripto consignati sunt, ut habeamus regulam fidei et morum: Ergo quidquid in illis non continetur, ad fidem non pertinet. R. ad I. N. A. Authoritas Ecclesiae non est motivum intrinsecum hujus assensus, sed extrinsecum solummodo, applicans nobis authoritatem Dei loquentis. Ad II. D. A. Ut habeamus regulam adaequatam, N. Inadaequatam, C. A. N. C. Regula credendorum adaequata est Verbum Dei tam scriptum quam traditum.

CCXII. *Objicitur III.* Infirmitas II. probationis nostrae. Ex una parte Scriptura sacra a non sacra distinguitur tam facile; quam lux a tenebris, album a nigro; quia Scriptura divina est lux et lumen, quod per se distinguitur: ex altera parte saepe libris Scripturae praefigitur nomen Prophetarum aut Apostolorum, et unus liber citat alterum. Ergo absque auctoritate Ecclesiae facile dignosci possunt Libri Canonici, et existentia Scripturarum. R. N. I. antecedentis membrum. Nam I. ante stabilitum ab Ecclesia Canonem multi ex Patribus, praecipue Graecis, dubitarunt de nonnullis libris. Ergo non tam clare Scriptura sacra a non sacra distinguitur, praescindendo ab authoritate Ecclesiae; vel dicendum erit Patres illos caecos fuisse, qui plenam lucem a tenebris non discriminarint. II. Si Scriptura per se ipsam tam clare discernitur, cur Lutherus B. Jacobi Epistolam stramineam vocat, quam Calvinus ut auream recipit? Cur Lutherus e canone suo aliquot Apostolorum Epistolas expunxit, II. et III. B. Joannis, II. Petri, Epistolam B. Pauli ab Hebraeos, quas tamen ut sacras admisit Calvinus? Cur Manichaei totum vetus Testamentum, alii haeretici alios libros rejecerunt? Nempe, ut *S. Basilius* ait Lib. de Spiritu Sancto, Cap. XXVII. *Sine traditionibus non scriptis, Evangelium est purum nomen.* Scriptura divina est lux et lumen, sed tunc tantum vias nostras illuminat, quando debito modo per traditionem et authoritatem Ecclesiae nobis applicatura. Ad alteram Antecedentis partem R. id non semper contingere. Aliqui libri nullum Apostolorum aut Prophetarum nomen praeferunt: et quamvis praeferrent, dubium tamen merito exoriri posset, an non ab impostore aliquo tam splen-

didum nomen libro praefixum fuerit, ut incautos decipiat. Sic Evangelium Thomae, Bartholomaei etc. quamvis Apostolorum illorum nomina praefixa habeant, habentur tamen etiam ab ipsis Protestantibus pro apocryphis. Pari modo Canonici libri saepe quidem, at non semper ab aliis Canonicis libris citantur: At, nisi ad Ecclesiae authoritatem confugiamus, dubitandum saepe foret de hac ipsa citatione, seu testimonio, an legitimum sit vel supposititium.

CCXIII. *Dices I.* Testimonium Scripturarum, vel potius ipsius Dei, majus est, quam testimonium creaturarum, vel etiam ipsius Ecclesiae. Ergo si Scripturae divinae admittuntur ob testimonium Ecclesiae, multo magis admittendae sunt ob testimonium ipsius Dei, id in Scripturis testantis. R. D. A. Testimonium Scripturarum, vel Dei est majus quoad se, et in se, C. A. Quoad nos, subd. Si testimonium Dei sufficienter nobis proponatur, C. Secus, N. A., et suppositum, quod testimonium Ecclesiae non sit ipsius Dei testimonium; Ecclesia enim testatur existere divinas Scripturas, hosque libros esse Canonicos, quia id Ecclesiae innotuit ex Verbo Dei tradito.

CCXIV. *Dices. II.* Pro existentia Scripturae pugnant ferme eadem motiva, quae attulimus pro veritate Religionis Christianae, nempe mirabilis Scripturarum energia ad permovendos hominum animos, sanctitas et majestas rerum quae in illis continentur, eventus praedictionum, conservatio Scripturarum per tot saecula etc. Ergo. R. I. Etiamsi haec motiva pugnarent pro existentia Scripturarum, non tamen pugnant pro Canone Protestantium, nec pro versione, aut legitimo sensu illarum. Ergo Protestantes ex his nihil con-

ficiunt. R. II. Haec omnia motiva non pariunt certitudinem infallibilem, sed tantum moralem, eamque vel stricte, vel late talem pro diversitate motivorum. Ergo Protestantes ex his motivis nequeunt esse infallibiliter certi de existentia Scripturarum: adeoque vi horum motivorum, et praescindendo a Traditione, et Ecclesiae authoritate, fide divina credere non possunt, quae in Scripturis continentur.

CCXV. *Dices III.* Epistola Regis facilius ex charactere, subscriptione, et sigillo Regio dignoscitur, quam ex testimonio Tabellarii. Ergo etiam facilius et certius Scriptura cognoscitur ex testimonio Dei quam Ecclesiae. R. T. A. N. C. Tabellarius non habet infallibilem authoritatem, quam tamen habet Ecclesia, ut loco suo ostendemus. Certe Scripturam dari vere divinam non aliunde certius nobis innotescit, quam ex traditione, et authoritate Ecclesiae, ut dictum fuit Num. CCVI.

CCXVI. *Dices IV.* Si non daretur Scriptura, Deus non foret summe providus. Ergo ex providentia Dei evincitur existentia Scripturae. P. A. In qualibet Republica bene ordinata debet dari lex scripta. Ergo etiam in Ecclesia. *Confirm.* Religio Christiana est religio revelata. Ergo debet in illa dari infallibile Verbum Dei. R. I. quaerendo ex Protestantibus, unde probent infallibiliter Canonem, versionem, et sensum Scripturarum? R. II. N. A. Deus fuit providus Gubernator Ecclesiae ab Adamo usque ad Moysem; quin tamen ullum exstet vestigium legis eo tempore scriptae. Ad *probat.* D. A. Si sine lege scripta non habeatur sufficiens medium rempublicam rite gubernandi, C. A. Secus, N. A. Deo non desunt alia media gubernandi Ecclesiam, nempe

per Verbum traditum, uti factum est ab Adamo usque ad Moysem. Ad *confirm.* C. A. D. C. Debet dari infallibile Verbum Dei vel scriptum, vel traditum, C. Necessario debet dari Verbum Dei scriptum, N. C.

CCXVII. *Dices V.* Protestantes sunt infallibiliter certi se veram habere Scripturam, quia illam acceperunt ab Ecclesia Romano-Catholica, quae hac in re ob specialem Dei assistentiam non erravit, quamvis erraverit in aliis. Ergo. Ita responderunt Doctores Protestantium in Colloquio Ratisbonensi A. C. 1601. R. Ergo praeter Scripturam admittenda est saltem unica traditio divina de existentia Scripturae. Ergo datur Verbum Dei traditum, omniaque argumenta, quae Protestantes Traditionibus opponunt, ruant necesse est. Ergo Scriptura sola, absque omni prorsus traditione, non est regula sufficiens et adaequata omnium credendorum, cum etiam credenda sit existentia Scripturae vere divinae, quae ex ipsa Scriptura infallibiliter nequit ostendi. Ergo si Ecclesia Romano-Catholica est infallibilis in admittenda Scripturarum divinarum existentia, infallibilis etiam fuit in Scripturarum canone statuendo; cum aeque Christianorum intersit scire, quinam Libri pro sacris et divinis sint habendi, ac Scripturarum existentiam certo cognoscere confuse et generice. Protestantes ab Ecclesia Romano-Catholica vere Scripturas sacras acceperunt; sed malo suo aliam faciem induere illa jusserunt, partim expungendo e Canone libros integros, partim adulterando illas perversis versionibus, partim sensum antiquissimis Ecclesiae Patribus repugnantem, et antiquis haeresibus conformem affingendo.

CCXVIII. *Dices VI.* An detur Scriptura divina, est quaestio prorsus vana, inutilis, et Christiano indi-

gna. Ergo absurdum est illud argumenti genus probatione secunda a nobis allatum. P. A. Quod existat aliqua Scriptura divina, est principium etiam a Catholicis concessum. Ergo inutiliter et vane quaeritur, an probari possit existentia Scripturae. Resp. I. quaerendo, an etiam quaestio de Canone, Versione, et sensu Scripturarum, sit vana, inutilis etc. Si vana est, cur litem nobis idcirco intentant Protestantes? Si utilis, et solida est, qua ratione Protestantes infallibiliter certi sunt de Canone, Versione, ac sensu Scripturarum quamvis Scripturae de his rebus nihil affirment? R. II. N. A. Non vanum, inutile, aut Christiano indignum est inquirere, an primum fidei fundamentum sit satis solidum: neque enim Deus vult a nobis firmissime credi res obscuras sine motivo prudenter innegabili. Praeterea hujus rei examen minime dubiam reddit Religionem Christianam, sed certam, modo ad Ecclesiae authoritatem recurratur, quam tamen pervicaciter agnoscere nolunt Protestantes. Ad *probat.* D. A. Est principium etiam a Catholicis concessum, ex eodem motivo et fundamento cum Protestantibus, N. A. Ex diverso motivo ac fundamento, C. A. N. C. Catholici authoritate Ecclesiae moventur, ut Scripturas sacras pro verbo Dei infallibiliter habeant, *Augustiniani* illius effati memores, Lib. contra Epist. Fundamenti, Cap. V. *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicae Ecclesiae commoveret authoritas.*

CONTROVERSIA VI.

AN SOLUS SPIRITUS PRIVATUS, VEL SALTEM CUM SCRIPTURA, SIT ADAEQUATA REGULA CREDENDORUM?

Contra Schwenkfeldianos, Quintinistas, Protestantes.

CCXIX.

Schwenkfeldiani et Quintinistae cum omnem authoritatem Ecclesiae et Scripturarum rejiciant, docent quemlibet Christianum, saltem praedestinatum, a Spiritu privato infallibili quodam modo doceri quid ipsi credendum sit. Porro Spiritus privati nomine intelligunt instinctum quemdam aut motionem Spiritus Sancti, qua quilibet praedestinatus infallibiliter certus fit de rebus credendis, et infallibile ferre potest judicium de omnibus fidei controversiis. Vere de his dicere queas, quod Ezechieli Cap. XIII. v. 3. dicitur: *Vae Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident.* Simili olim insania laborasse Manichaeos ex *Augustino* colligimus, qui de illis Lib. XXXII. contra Faustum, Cap. XIX. scribit: *Videtis id vos agere, ut omnis de medio tollatur Scripturarum authoritas, et suus cuique animus sit author, quid in quaque Scriptura probet, quid improbet, id est, ut non authoritati Scripturarum subjiciatur ad fidem, sed sibi Scripturas ipse subjiciat.* Protestantes ut divinas traditiones, atque Ecclesiae authoritatem admittere non cogantur, ajunt adaequatam fidei regulam esse Scripturam una cum Spiritu privato. Qui vero regulam a Judice congruentius

distinguunt, adaequatam fidei regulam solam Scripturam esse statuunt; Judicem vero controversiarum Spiritum privatum assignant, qui Christianum quemlibet, saltem praedestinatum, certum facit de existentia, Canone, legitima Versione ac Sensu Scripturarum.

CCXX. *Conclusio I.* Spiritus privatus solus non est adaequata regula credendorum. Probatur Conclusio contra Schwenkfeldianos I. Existit Scriptura a Deo inspirata, quae vere ac proprie est Verbum Dei, ut ostendimus Num. CXIII. et sequent. Ergo cum Deus sit prima veritas, et metaphysice impossibile sit Deum mentiri, vel aliqua ignorare, Scriptura, quamvis non sola, est regula externa credendorum. Ergo Spiritus privatus non est adaequata regula. II. Vera Religio sapientissime a Christo instituta debet habere regulam, quae fideles possit reddere securos et certos de veritate. Atqui talis regula non est Spiritus privatus. Ergo. P. min. Illustratio ordinis supernaturalis ordinarie discerni nequit a persuasione mere humana, et saepe falsa: neque etiam probari potest, cur persuasio unius potius quam alterius inter dissidentes sit vera aut falsa, cum uterque Spiritum suum privatum jactet; spiritus Sanctus vero non possit revelare contraria, et sibi opposita. Ergo. III. In qualibet Republica bene ordinata, qualis certe est Christiana Religio, debet dari regula externa, supremus quidam ac publicus Judex, visibilis et animatus, qui ita sententiam ferat, ut altera pars litigans evidenter sciat se causa cecidisse, quantum est ex parte Judicis; alias nullus foret litium et contentionum finis. Atqui talis Judex non est Spiritus privatus. Ergo. IV. Si Spiritus privatus quemlibet infallibiliter doceret, frustra Christus et Apostoli tot patrassent

miracula: frustra Ecclesia tot celebrasset Concilia, nec nisi injuste damnasset haereticos: Spiritus enim privatus docebat Arium, Christum non esse Deum Patri Consubstantialem secundum Divinitatem: Nestorio suggerebat duas dari in Christo personas: Eutycheti unicam tantum naturam permixtam. Denique tolerari deberent omnes haeretici, cum et illi Spiritum privatum habeant, cui resistere sit nefas. Frustra etiam Protestantes tot libris Catholicam veritatem impugnarunt; hortari enim solummodo debuissent Catholicos, ut precibus a Deo impetrare conentur illustrationem illam supernaturalem, quam Spiritum privatum dicunt. V. Spiritus privatus vel est fallibilis, vel infallibilis? Si fallibilis: ergo non est motio, non est instinctus Spiritus Sancti, qui docet omnem et solam veritatem. Si infallibilis: ergo ineptissime negatur Ecclesiam esse infallibilem. Quis enim sanae mentis sibi persuadeat, Deum Ecclesiae a se institutae id denegasse, quod juxta adversarios cuilibet vilissimo etiam homuncioni tam liberaliter concedit?

CCXXI. *Conclusio II.* Neque Spiritus privatus una cum Scripturis divinis est regula adaequata credendorum. Conclusio haec est contra Protestantes, et praeter superius dicta, probatur ulterius I. Ex sola Scriptura seorsim sumpta infallibiliter certi non reddimur de Scripturarum existentia, Canone, Versione, ac sensu, ut ostendimus Num. CCVI. Spiritus privatus seorsim sumptus est omnino incertus, quia ordinarie discerni non potest a persuasione humana, et saepe falsa. Ergo Spiritus privatus etiam una cum Scripturis divinis non est regula adaequata credendorum. P. C. Incertitudo unius non tollitur per incertitudinem alterius. Ergo. P.

A. Incertitudo Spiritus privati non tollitur nisi per Scripturam. Atqui non potest tolli per Scripturam, nam de hujus existentia, Canone, versione legitima, ac genuino sensu Protestantibus infallibiliter non constat, nisi per Spiritum privatum. Ergo vel debent Protestantes praeter Spiritum privatum et Scripturas admittere aliam regulam, vel committunt circulum vitiosum probando Spiritum privatum ex Scripturis, et existentiam, Canonem, Versionem legitimam, ac genuinum Scripturarum sensum ex Spiritu privato. II. Christus non remisit fideles ad Spiritum privatum, sed ad Sacerdotes, ad Ecclesiam. Sic Paulum misit ad Ananiam, Cornelium Centurionem ad Petrum. Teste Apostolo ad Ephesios Cap. IV. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores. - - ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* III. Doctrina haec de Spiritu privato latissimam viam pandit fanatismo, omnibusque erroribus. Testis sit ipse Lutherus Epist. ad Antverpienses scribens: *Tot inter nos religiones sunt, quot homines: nec Asinorum quisquam tam hebes est et vecors, qui insomnia proprii capitis, et propriam opinionem pro instinctu Spiritus Sancti, et se ipsum Prophetam haberi nolit.* Idem sermone de Hierusalem: *Non vides durissimam plagam Dei, qua nos punit per innumeros falsos fratres, et sectas, quas nobis undique immittit? Qui tam secure praedicant, perinde ac si Spiritum Sanctum penitus devoraverint.* Nimirum et sibi idem licere existimabant illi, quod Luthero licuisset. Uterque, Lutherus et Calvinus, Scripturas divi-

nas habuerunt: uterque clamat se habere Spiritum privatum, quamvis in multis diversa fuerit utriusque doctrina. Unde jam manifestum est, uter eorum Spiritum Dei habuerit? Si sufficeret dicere, *Meus est Spiritus*, omnes haeretici vicerunt, cum haec sit haereticorum omnium cantilena.

OBJECTIONES.

CCXXII. *Objicitur* I., Authoritas Scripturarum Jeremiae XXXI. dicitur: *Non docebit vir proximum, dicens: Cognosce Dominum, omnes enim cognoscent me a minimo usque ad maximum.* II. 1. Joann. Cap. II. v. 27. *Non necesse habetis ut aliquis vos doceat: sed sicuti unctio ejus docet vos de omnibus.* III. 1. Joann. V. v. 10. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se.* IV. Joann. XIV. v. 26. *Spiritus docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia.* V. Joann. XVI. v. 13. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* VI. ad Rom. VIII. v. 16. *Ipse Spiritus reddit testimonium Spiritui nostro.* VII. 1. ad Cor. II. v. 10. *Spiritus scrutatur omnia, etiam profunda Dei.* VIII. Isaiae LIV. v. 13. *Ponam universos filios tuos doctos a Domino.* IX. Matth. XXIII. v. 8. *Nolite vocari Rabbi: unus est enim Magister vester.* X. Joann. V. v. 34. *Ego non ab homine testimonium accipio.* XI. Joann. X. v. 27. *Oves meae vocem meam audiunt.* XII. 1. ad Cor. XII. v. 12. *Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* XIII. 1. ad Cor. II. v. 15. *Spiritualis judicat omnia: et ipse a nemine judicatur.* XIV. 1. ad Cor. XII.. *Unicuique autem datur manifestatio Spiritus.*

XV. Actuum XVII. v. 11. Berocenses *susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si haec ita se haberent.* Respondeo generatim. Haec Scripturarum loca usurpari non possunt a Schwenckfeldianis, qui Scripturarum auctoritatem rejiciunt. Cum tamen pessime ab illis exponantur, satis ostendunt Spiritum privatum maxime fallibilem esse, plusque probant quam vellent. Sequeretur enim omnes omnino homines, adeoque non solos praedestinatos, esse infallibiles, et a Spiritu Dei eruditos: nullamque urgere necessitatem, ut populus a suis pastoribus Verbo Dei et doctrina pascatur. Protestantes vero petunt hic principium; quia supponunt Scripturam existere, quae sit verbum Dei; de cujus tamen existentia, Canone, Versione, ac sensu certi esse nequeunt in suis principiis; simulque supponunt se veros esse fideles, quod tamen Catholici omnes negant et pernegant.

CCXXIII. Verum ne quid difficultatis his textibus inesse existiment, qua Catholici premantur, R. singillatim ad singulos. Et ad I. quidem *S. Augustinus* Lib. de Spiritu et littera, per legem intelligit gratiam novi Testamenti, per quam non solum cognoscuntur, sed etiam implentur mandata; per posteriora autem verba, *Non docebit vir proximum* etc. intelligit praemium fidei, id est, beatitudinem, in qua Electi omnes facie ad faciem Deum videbunt. Si vero ultima haec verba de hac vita accipiantur, nil aliud significant, quam in nova Lege homines longe facilius ad Dei cultum perducendos esse, quam in veteri Testamento, ob copiosiorem nempe gratiam, et uberiora Spiritus Sancti dona. Ad II. *S. Joannes* fideles hic monet circa ea quae jam didicerant, non debere eos audire alios con-

traria docentes: et a Spiritu Sancto de omnibus necessariis ad salutem, quae ex Joannis instructione didicerant, sufficienter doctos fuisse, non vero de omnibus quae in Scripturis continentur. Ad III. Per testimonium Dei non intelligitur hic instinctus internus, sed externa vox Dei in Baptismo Christi e coelo emissa, *Hic est filius meus dilectus etc.* huncque habet sensum · Qui credit in Jesum, habet testimonium illud Dei in se pro vero ac certo. Ad IV. et V. Promissio illa pertinet ad Apostolos tantum, quibus Christus Spiritum Sanctum promisit tanquam Doctoribus totius mundi, et fundamentis Ecclesiae. Ad VI. Paulus non loquitur ibi de vera Scriptura, sed de testimonio Spiritus Sancti per filialem affectum et fiduciam in Deum. Quod testimonium licet in se sit certum, et infallibile, quatenus a Spiritu Sancto procedit; quatenus tamen nobis exhibetur, non est certum, nisi certitudine tantum conjecturali. Ad VII. Per Spiritum omnia scrutantem Patres ipsum Spiritum Sanctum intelligunt, non vero inspirationem divinam. Ad VIII. Juxta *S. Augustinum* Lib. de Gratia Christi, Cap. XII. XIII. et XIV. locus hic intelligendus est de gratia Spiritus Sancti, qua, dum Evangelii doctrina exterius proponitur, homo interius a Deo illustratur, movetur, et suaviter impellitur ad credendum et amandum. Juxta *S. Cyrillum* autem sensus verborum illorum est: Filios tuos non jam per Prophetas, sed per Christum Filium meum docebo, juxta illud ad *Hebraeos* Cap. I. *Novissime locutus est nobis in Filio.* Ad IX. Christus non prohibet haberi in Ecclesia Magistros, qui Scripturas in Ecclesiis explicent; sed ambitionem illius nominis vetat. Ad X. Christus equidem se hominum non indigere testimonio ait propter se; non autem

negat se nostra causa indigere; immo Act. Cap. I. Apostolis praecipit: *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae.* Ad XI. Christus loquitur ibi de praedestinatis, qui ante mortem audiunt vocationem Dei, et illam sequuntur, perseverantes in obedientia usque ad obitum. Ad XII. Apostolus hoc tantum ibi affirmat, quod donum interpretandi Scripturas non omnibus, sed aliquibus detur: hocque a nobis ultro admittitur. Ad XIII. Sensus loci illius est: *Spiritualis*, in fide et virtutibus provectus, *judicat omnia*, hoc est, percipit sublimiorem doctrinam, quam imperfectus et parvulus in Christo percipere nequit: expendit et ponderat omnia, non minus rationes Spirituales et divinas quam humanas, ut de mysterio aliquo sibi proposito solide judicet, et sic ipse a nemine judicatur, hoc est, a nemine argui et commendari potest. Ad XIV. Sermo est ibi de gratiis gratis datis, nempe de dono linguarum, discretionis spirituum etc. quae dicuntur ab Apostolo manifestatio Spiritus, quia illis divina Spiritus Sancti operatio manifestabatur. Haec dona, quae in primativa Ecclesia frequenter a Deo concedebantur, nostris temporibus sunt longe rariora. Ad XV. Beroeensibus nondum constabat, Paulum verum esse Apostolum; nec illi statim tenebantur credere, nisi prius viderent miracula, aut alias haberent prudentes rationes credendi. Ideo cum Paulus illis Christum praedicasset ex Prophetarum oraculis, merito in Scripturis diligenter quaesierunt, an haec ita se haberent, ut ex Paulo intellexerant.

CCXXIV. *Objicitur II.* Inutilitas alterius regulae. Christus ipse est supremus Controversiarum fidei Judex, creaturis suis praesentissimus, qui fideles sufficienter

potest instruere. Ergo non requiritur alia regula quam Spiritus privatus. R. C. A. N. C. Haec argumentatio est a potentia ad actum, ideoque illegitima. Quamvis in alia providentia Christus potuerit per se ipsum sententiam ferre; in hoc tamen rerum ordine sapientissime a se constituto, noluit per se ipsum immediate controversias fidei dirimere, sed per Ecclesiam sponsam suam, quam constituit judicem supremum, animatum et visibilem, assignata ei duplici regula, Verbo Dei nempe scripto ac tradito, juxta quam infallibilem sententiam ferat, Spiritu Sancto errorem omnem impediente. Cur vero Christus ipse in hac providentia per se immediate visibilis Judicis ac Magistri officio non fungatur, rationem congruam assignat *B. Augustinus* Lib. I. de Doctr. Christiana, in Prologo, ubi de Cornelio Centurione disserens, quem Angelus Petro imbuendum tradiderat, ait: *Poterant utique omnia per Angelum fieri, sed abjecta esset humana conditio, si per homines hominibus verbum suum Deus ministrare nolle videretur. Quomodo enim verum esset, quod, dictum est, Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos, si Deus de humano templo responsa non redderet, et totum quod discendum hominibus tradi vellet, de coelo atque per Angelos personaret?*

CCXXV. *Objicitur III.* Necessitas Spiritus privati. Non potest elici actus fidei, nisi motivum illius divinitus applicetur. Atqui motivum fidei supernaturalis est revelatio. Ergo divina revelatio cuique fideli interius applicatur per Spiritum Sanctum. Ergo datur Spiritus privatus, estque ad actum fidei omnino necessarius. R. D. M. Nisi motivum illius divinitus applicetur Immediate, N. M. Mediate; nempe per alios, per Aposto-

los, et praecipue per authoritatem Ecclesiae, C. M. Rex saepissime subditis voluntatem suam manifestat; non immediate per se ipsum, sed mediate tantum per aulicos, et ministros. Verum est equidem, ad fidem Theologicam insuper requiri, ut Spiritus Sanctus mentem audientis interius illustret, moveatque ad credendum propter divinam revelationem; quo sensu omnes dici possunt edocti a Domino: At vero cum illustratio illa ordinarie a nobis non cognoscatur infallibiliter esse supernaturalis, sitque mere interna, non potest esse regula fidei externa, multoque minus pro supremo controversiarum judice agnosci. Hinc concesso etiam toto syllogismo, ac necessitate Spiritus privati; si quidem per illum vera ac supernaturalis Spiritus Sancti illustratio intelligatur; nego tamen Spiritum privatum, sive solus, sive cum Scripturis consideretur, esse adaequatam regulam credendorum.

CCXXVI. *Dices.* Ipsi Catholici debent admittere, quod illustratio supernaturalis sit necessaria, quamvis non possit ordinarie discerni. Ergo Spiritus privatus male impugnatur ex eo capite, quod sit incertus. R. I. D. A. Debent admittere illustrationem supernaturalem internam, quae tamen debet esse conformis regulae externae, quam Christus fidelibus suis constituit, C. A. Aliter, N. A. Quamquam juxta communem Catholicorum sententiam non possimus ordinarie discernere, an revera eliciamus actum fidei divinae, atque interius a Spiritu Sancto illustrati simus; habemus tamen alias infallibiles regulas, nempe Verbum Dei scriptum et traditum, secundum quas veritatem actuum nostrorum examinare possumus: quibus si judicium nostrum difforme sit, certo inferimus ejusmodi persuasionem non esse a Deo.

R. II. Ex eo, quod illustratio illa non sit certo supernaturalis, non inferimus, illustrationem supernaturalem non esse necessariam ad actum Fidei Theologicae; sed hoc unum contendimus, Spiritum privatum, etiamsi illustratio foret non putatitia, sed vere supernaturalis, certam esse non posse fidei regulam, ac multo minus Controversiarum fidei judicem; tum quia nobis ispsis certo non constat eum a Deo esse: tum quia iuternus cum sit, aliis certo innotescere non potest.

CCXXVII. *Objicitur IV.* Infirmitas argumenti, quod ex necessitate Judicis visibilis et animati petitur. Judex non debet ita sententiam proferre, ut una pars evidenter sciat se causam obtinuisse, altera vero se causa cecidisse. Ergo argumento illo nihil evincitur. P. A. Multi legibus condemnantur, quin sciant se condemnatos esse. Ergo. R. N. A. Ad *probat.* D. A. Multi condemnantur legibus generatim, quin sciant se esse condemnatos; sicut lege civili fur generatim damnatur ad laqueum, veneficus ad rogum etc. C. A. Multi legibus condemnantur speciatim, sive sententia speciali ac determinata, de qua sola hic est sermo, quin sciant se esse condemnatos, N. A. Quemadmodum bonum reipublicae exigit, ut Judex juxta leges generales animad. vertat speciatim in reos, lites dirimat, et legem generalem applicet: ita etiam bonum Ecclesiae postulat, ut praeter Spiritum Sanctum per Scripturas loquentem, detur Judex animatus, visibilis, qui exortas fidei controversias juxta Verbum Dei scriptum et traditum dirimat, haereticosque speciali sententia condemnet, quae ipsis innotescat.

CCXXVIII. *Dices.* Potest sententia ferri in absentem, cui non statim innotescat sententia contra se la-

lata, quod saepe accidit. II. Spiritus Sanctus sententiam suam ita pronuntiat, ut pars victrix certa reddatur de obtenta victoria in corde suo: pars victa autem saltem in die judicii agnitura sit, se causa cecidisse. Ergo opus non est judice visibili et animato. R. ad I. D. A. Potest sententia ita ferri in absentem; ita tamen ut clare pronuntietur, et quantum est ex natura sententiae possit ad evidentem notitiam condemnati perferri, C. A. Aliter, N. A. Spiritus privatus neque clare pronuntiat sententiam, neque illa parti condemnatae clare et evidenter innotescere potest. Ad II. D. primam partem Anteced. Ut pars victrix reddatur certa in corde suo certitudine infallibili, N. Conjecturali tantum, et quam sufficienter probare non potest, ut pars victa possit, et velit acquiescere, C. A. N. C. Controversiae fidei in hoc saeculo, et non in altero sunt decidendae. Ergo in hoc saeculo sententia ita pronuntiari debet, ut parti condemnatae evidenter innotescere possit; alias nullus foret controversiarum finis.

CCXXIX. *Objicitur V.* Infirmitas argumenti, quod a circulo vitioso Protestantium ducitur. Tunc non committitur circulus vitiosus, quando unum probatur ex altero ab adversariis concesso. Atqui talis est argumentatio Protestantium. Ergo. P. min. Ex infallibili authoritate Scripturae, quam ipsi Catholici ultro admittunt, probatur infallibilitas Spiritus privati. Ergo unum probatur ex altero ab adversariis concesso. Ergo non committitur circulus vitiosus. R. C. M. N. min. Ad *probat.* D. A. Quam ipsi Catholici ultro admittunt ex eodem motivo, ex quo eam admittunt Protestantes, N. A. Ex diverso motivo, ex quo eam non admittunt Protestantes, nimirum ob authoritatem Ecclesiae, et di-

vinam traditionem, C. A. N. C. Catholici negant, absque authoritate Ecclesiae, et traditione divina in subsidium non vocata, posse a Protestantibus sufficienter probari, se esse infallibiliter certos de existentia Scripturarum, Canone, legitima Versione, et genuino illarnm sensu. Protestantes respondent, se de his omnibus esse infallibiliter certos, quia Spiritus privatus hoc illis dictat: hujusque Spiritus privati infallibilitatem ex ipsis Scripturis evincere conantur, atque iis potissimum locis, quae Num. CCXXII. adducta sunt. Ergo evidens est, quod unum probent ex alio aeque obscuro, et non concesso. Nunquam enim Catholici admittent, posse aliquem a Spiritu privato infallibiliter certum reddi de existentia, canone, Versione, ac legitimo Scripturarum sensu: multoque minus admittent, Spiritus privati inerrantiam probari posse ex Scripturis divinis. Ergo Catholici utrumque negant. Ergo Protestantes non probant unum ex altero a Catholicis concesso. Ergo committunt circulum vitiosum. Caeterum an hoc idem Catholicis possint Protestantes objicere, quando illi infallibilitatem Scripturarum probant ex inerrantia Ecclesiae, et inerrantiam Ecclesiae ex infallibilitate Scripturarum, suo loco examinabimus, nempe Tractatu III. de Ecclesia, Articulo II, Controversia II, ubi de potestate judiciaria Ecclesiae ex instituto agemus.

CONTROVERSIA VII.

AN OMNIBUS NECESSARIA ET UTILIS SIT LECTIO SCRIPTURARUM IN LINGUA VULGARI?

Contra Protestantes, et Jansenianos.

CCXXX.

Quarta regula Indicis *Tridentinae* Synodi jussu, ac *Pii IV.* Pontificis approbatione editi promiscua Scripturarum in vulgari idiomate lectio severe his verbis interdicitur: *Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quam utilitatis oriri, hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur: ut cum consilio Parochi vel Confessarii, Bibliorum a Catholicis authoribus versorum lectionem vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei et pietatis augumentum capere posse: quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere, seu habere praesumpserit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit.*

CCXXXI. Quare illa Indicis regula solae comprehenduntur versiones in lingua vulgari factae. Ecclesia enim minime prohibuit lectionem Scripturarum Hebraicae, Graecae, et Latinae, de quibus linguis ita loquitur *S. Hilarius* Praefatione in Psalmos: *His maxime tribus linguis Sacramentum voluntatis Dei, et beati regni expe-*

ctatio praedicatur: ex quo illud Pilati fuit, ut his tribus linguis Regem Judaeorum Dominum Jesum Christum esse praescriberet. Ratio hujus est; quia qui linguarum istarum gnari sunt, censentur ordinario adeo periti et docti, ut citra periculum et nocumentum, quod ex occurrentibus difficultatibus suboriri posset rudioribus, Scripturas legant.

CCXXXII. Juxta Theologos tamen Germanos ex tacito Romani Pontificis consensu permittitur fidelibus in Germania lectio Scripturarum in lingua etiam Vulgari, modo non a Novatoribus, sed a Catholicis germanice redditae, et ab Episcopis sint approbatae. Talis est versio Joannis Eckii Doctoris Ingolstadiensis, Joannis Liettembergeri ex Ordine Praedicatorum, et Gasparis Ulembergii Professoris et Parochi Coloniensis, quas vel ex integro vel secundum potissimam partem emendatiore vernacula exhibent recentiora Biblia Germanica Erhardti, et Cartierii et quae recentibus typis Norimbergae vulgata sunt, anno 1758. Ratio autem fidelibus in Germania id permittendi fuit, ut Catholici contra Protestantes Scripturarum notitiam acquirant, sicque fidei hostibus resistant, neque se tam facile subverti patiantur.

CCXXXIII. Lutherani, Calviniani, aliique Sectarii, atque hos inter praecipue Gerhardus, Brentius Amesius etc. acriter contendunt, lectionem Bibliorum in quacumque lingua ab Apostolis esse concessam, immo etiam praeceptam: criminanturque, prohiberi apud Pontificios Scripturarum lectionem in lingua Vulgari, ne populus illas legendo deprehendat errores Ecclesiae Romanae. Protestantibus hac in re sociam operam junxit *Paschasius Quesnellus*, Jansenianae factionis caput

cujus plures hanc circa rem propositiones proscripsit *Clemens XI.* in celeberrima Constitutione *Unigenitus.* Propositio inter damnatas ordine LXXIX. ita habet: *Utile et necessarium est omni tempore, omni loco, et omni personarum generi studere, et cognoscere Spiritum, mysteria et pietatem sacrae Scripturae.* LXXX. *Lectio sacrae Scripturae est pro omnibus.* LXXXI. *Obscuritas sancti verbi Dei non est Laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.* LXXXII. *Dies Dominicus debet sanctificari a Christianis lectionibus pietatis, et super omnia Sanctarum Scripturarum Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.* LXXXIII. *Est illusio sibi persuadere, quod notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari faeminis lectione Sacrorum Librorum. Non ex faeminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, et natae sunt haereses.* LXXXIV, *Abripere e Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.* LXXXV. *Interdicere Christianis lectionem Sacrae Scripturae, praesertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, et facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.*

CCXXXIV. *Conclusio.* Neque necessaria, neque utilis est omnibus promiscue Lectio Scripturarum in lingua vulgari. Prob. I. ex usu Ecclesiae veteris Testamenti. Judaei e captivitate Babylonica Jerosolymam reduces, obliti jam linguae propriae, Chaldaico-Syriacam loquebantur, ideoque, ut Lib. II. *Esdrae* Cap. VIII. dicitur, cum praelegeretur universo populo liber divinae legis Hebraice conscriptus, Esdras, Nehemias

et Levitae librum illum interpretabantur; quia alioquin populus nihil intellexisset: nihilominus usque ad eversionem urbis Hebraice solum Scripturae in Templo aut Sinagogis publice legebantur, uti hodiedum etiam facere solent Judaei, quamvis ipsis Hebraica lingua non sit vulgaris.

CCXXXV. Prob. II. ex usu Apostolorum, qui quamvis ubique terrarum Ecclesias fundaverint, et dono linguarum fuerint praediti, Evangelia tamen aut Epistolas non scripserunt linguis omnium earum Gentium, quibus Christum annuntiabant; cum nullum exstet vestigium scripti alicujus Apostolici, nisi Graece, aut Hebraice, vel potius Chaldaico-Syriace, qua lingua tunc communiter utebantur Judaei.

CCXXXVI. Prob. III. ex usu universalis Ecclesiae. In toto Oriente Scripturae sacrae primis Ecclesiae saeculis non nisi Graece, Hebraice et Syriace legebantur neque extat vestigium alterius translationis, seu versionis; quamvis Galatae, Cappadoces, Phryges, Isaurii, Cilices, Aegyptii alia uterentur lingua, nimirum propria et peculiari, ut testatur S. Hieronymus diu in Oriente versatus. In Occidente per plurima saecula Scripturae sacrae non nisi latine legebantur, quamvis Afri temporibus etiam B. Augustini Punice communiter loquerentur, aliaeque nationes v. g. Hispani, Galli, Angli, jam saeculo V. propriam haberent linguam vulgarem. Observat hic *Cardin. Perronius* in Responsione adversus Jacobum Angliae Regem, Cap. VI. nullum ex Patribus inveniri, qui verba faciens de Sacrae Scripturae versionibus, unquam dixerit: sic legitur in Bibliis idiomate regionis meae conscriptis.

CCXXXVII. Prob. IV. ex incommodis et seque-

lis. Si populo promiscue permitteretur lectio divinarum Scripturarum in lingua vulgari, non solum id saepissime fieret sine fructu, quia Psalmos et Prophetias non intelligeret, verum etiam ansa illi daretur in gravissimos errores prolabendi. Certe complures Fideles, Graecos inter Latinosque, ingenio valentes minime hebeti, in divini codicis lectione eam sensere caliginem ut a veritate atque obedientia Ecclesiae defecerint, licet idiomatis sui peritia excellere viderentur. Quid igitur expectandum foret a plebe rudi, et voluptatibus dedita, ubi copiam nacta fuerit Bibliorum in vernaculum idioma translatorum? Concipiet inde opinionum et deliriorum monstra, eoquod Scriptura plurimis abundet tropis, parabolis, hyperbolis, quae doctissimis etiam Interpretibus negotium saepe facessunt. Id certe accidit Anabaptistis, ut de multis aliis nihil dicam, et David Georgio haereticorum pestilentissimo, qui nullam noverat linguam, nisi maternam, id est, Batavam: et nihilo secius ex Scripturis collegerat, se esse Dei Filium, et Messiam, ut patet ex Epistola quam de ejus erroribus ediderunt Basileenses.

CCXXXVIII. Praeterea, ut observat Bellarminus Lib. II. de Verbo Dei, Cap. XV., si rudis populus audiret lingua sua vulgari praelegi Cantica Canticorum, quorum lectio Judaeis non permittebatur ante trigesimum aetatis annum: si illud Oseae audiret, *Vade, et fac tibi filios fornicationum*: si Thamar et Judae, filiarum Loth et Absalonis incestum audiret: quod Sara, Lia, Rachel dederint ancillas viris suis in concubinas, pluraque alia quae in Scripturis commemorantur, vel provocaretur ad ejusmodi imitanda, vel contemneret Sanctos Patriarchas, ut olim Mani-

chaei in more positum habebant, vel putaret falsa narrari in Scripturis: et cum tam multas apparentes contradictiones in Scripturis deprehenderet, quas solvere non posset, periculum foret ne tandem divinos codices assidue legendo nihil crederet.

CCXXXIX. Caeterum Quesnelli propositionem ordine LXXXIII. ubi dicitur, non ex foeminarum simplicitate natas fuisse haereses, ideoque Scripturas eis permittendas esse, apertae falsitatis arguit *B. Hieronymus* Epistola ad Ctesiphontem contra Pelagium sic scribens: *Quid volunt miserae mulierculae oneratae peccatis, quae circumferuntur omni vento doctrinae, semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes; et caeteri muliercularum socii, prurientes auribus, et ignorantes quid audiant, quid loquantur? — — Simon Magus haeresim condidit Helenae meretricis adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor choros duxit foemineos. Marcion Romam praemisit mulierem: quae decipiendos animos praepararet. Apelles Philumenen suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi spiritus praedicator multas Ecclesias per Priscam et Maximillam nobiles et opulentas foeminas primum auro corrupit, deinde haeresi polluit. Dimittam vetera, ad viciniora transcendam. Arius ut orbem deciperet, sororem Principis arte decepit. Donatus per Africam ut infelices quosque foetentibus pollueret aquis, Lucillae opibus adjutus est. In Hispania Agape Elpidium, mulier virum, caeca caecum duxit in foveam, successoremque sui Priscillianum habuit, Zoroastris Magi studiosissimum, et ex mago Episcopum.* Horum exemplum secuti sunt alii haeretici, saeculo V. Pelagius, XII. Tranchellinus, ac nostris

denique temporibus Janseniani, quibus non exigui usus est authoritas, studium et zelus tum Monialium, tum nobilium foeminarum contra Bullam *Unigenitus*. Pertractis nimirum in sensum reprobum foeminis, disponuntur viri, quorum non maxima subinde fidei et Religionis cura est. Immo neque sapientibus facile semper est resistere sollicitationibus importunis, blanditiis, et lacrymis foeminarum.

OBJECTIONES.

CCXL. *Objicitur I.* Auctoritas Scripturarum I. ad Cor. XIV. v. 5. ait Apostolus: *Volo autem omnes vos loqui linguis; magis autem prophetare.* Ergo Scriptura, quae hic per Prophetiam intelligitur, omnibus est necessaria. II. Ad Coloss. Cap. III. v. 16. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes, et commonentes vosmetipsos.* III. Josue Cap. I. v. 8. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo; sed meditaberis in eo diebus ac noctibus.* IV. Deuteron. XXXI. v. 11. *Leges verba legis hujus coram omni Israel, audientibus eis. Et in unum omni populo congregato, tam viris quam mulieribus, parvulis et advenis, qui sunt intra portas tuas: ut audientes discant, et timeant Dominum Deum vestrum, et custodiant, impleantque omnes sermones legis hujus.* V. II. ad Timoth. III. *Tu vero permane in iis, quae didicisti, et credita sunt tibi: sciens, a quo didiceris. Et quia ab infantia sacras litteras nosti.* VI. Actuum VIII. Eunuchus Reginae Candacis Isaiam legebat. Ergo Scripturae debent ab - omnibus legi. VII. I. ad Thessal. V. *Adjuro vos per Dominum, ut legatur Epi-*

stola haec omnibus Sanctis fratribus. VIII. Ad Roman. XV. *Quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus.* IX. Psal. CXVIII. *Beati, qui scrutantur testimonia ejus.* X. Joan. V. *Scrutamini Scripturas.*

R. ad I. cum *Cornelio a Lapide.* per το *prophetare* non intelligitur Scripturarum lectio, sed quilibet sermo ad pietatem excitans; ita ut sensus verborum illorum sit: Optarem vos omnes loqui linguis, magis autem ut alios sermonibus vestris ad pietatem excitetis, eaque ex afflatu Spiritus Sancti doceatis, dicatis, et canatis, quae ad pietatem conducunt. Ad II. sensus illorum verborum est: Doctrina et Evangelium copiose imbuat et impleat mentem vestram, in eaque quasi resideat et habitet, ut Christiana sapientia pleni, eam invicem doceatis, et juxta eam quemlibet moveatis et exhortemini. Optat haec quidem Paulus; verum hic perfectionis gradus docendi se et alios, magis pertinet ad gratias gratis datas, qualis est peritia linguarum, etiam barbararum, prophetia etc. neque est etiam eam habentibus necessaria ad salutem, sicut charitas. Numquid enim omnes Doctores, numquid omnes interpretantur? Ad III. Verba illa Deus locutus fuit ad solum Josue, quando eum ducem populi sui constituit, non vero ad omnes Judaeos. Ad IV. Haec Moyses paulo ante mortem suam mandavit Josue successori suo. Sed longe aliud est, verba Legis populo praelegi ab eo, qui, siquid minus perspicuum occurrit, interpretari potest, praecipue cum hic ageretur praeceptis moralibus ad praxin attinentibus: aliud vero est legi privatim Scripturas ab ipso populo, easque propria industria temere

explicari. Ad V. Ex hoc, quod Paulus Timotheum singulariter a Deo electum curaverit ab ipsa infantia sacris litteris erudiri, quem adhuc adolescentem voluit esse doctorem ac Praesulem Ephesiorum, legitime inferri nequit, Scripturam omnibus utilem et necessariam esse. Ad VI. Eunuchus ille vir erat valde religiosus, industrius, sagacis ingenii, et divinae Legis amator. Ad VII. Apostolus non jubet, ut singuli fideles descriptum habeant exemplar Epistolae, atque ut privatim a singulis legatur; sed in Ecclesia publice vult praelegi ab Ecclesiae ministris, qui, siquid rudibus captu difficile apparuerit, valeant interpretari. Ad VIII. Omnes cibi hominibus utiles sunt, sed non singuli omnibus. Medicina pluribus salutiferae, aliis parant interitum. Arma sunt optimi usus ad defendendam patriam, et religionem; quid tamen eis nocentius, in manibus amentium, vel malevolorum? Ad IX. R. I. Meditatio Legis non tantum ex lectione, sed etiam ex auditu oriri potest R. II. cum *Le Blanc* Comment. in Psalm. per τὸ *Scrutari* idem dici, ac *custodire, circumquaque observare, cum cura et diligentia servare*: et in Hebraica, Caldaica ac Syriaca editione haberi, *Beati qui custodiunt testimonia ejus*. Ad X. Verba illa Christus ad Judaeos direxit, praecipue ad Scribas et Pharisaeos Legis doctores, qui nec testimonio Joannis, nec Christi miraculis convicti, ejus Divinitatem negabant. Ex his autem generale ac universale praeceptum exsculpi non potest legendi Scripturas. Praeterea valde dubium est, an τὸ *Scrutamini* intelligendum sit imperative, vel indicative.

CCXLI. *Dices I.* Apostolus vult, ut publicae in Ecclesiis lectiones et preces fiant lingua vulgari. P. A.

I. Ad Cor. XIV. v. 8. ait Apostolus: *Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Ita et vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietis id quod dicitur? eritis enim in aera loquentes.* II. Ibidem v. 14. dicitur: *Si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo et mente. Caeterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotae, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicas, nescit.* R. N. A. Ad I. probationem ajo non esse hic sermonem de lectione Scripturarum, aut Officiis divinis, sed de exhortatione spirituali, aut collatione de rebus spiritualibus, quae debebat fieri lingua vernacula, ut omnibus prodesset. Apud Corinthios aliqui erant, qui ut ostentarent donum linguarum, peregrina lingua, non graeca utebantur, quos Apostolus hic corrigit. Ita S. Cyprianus Epist. ad Pompejum, cujus expositionem laudat S. Augustinus Lib. II. de Baptismo contra Donatistas, Cap. VIII. item S. Basilius in Quaest. breviter explicatis, Quaest. CCLXXVIII. *Theodoretus, Oecumenius, Haymo* in hunc locum. Ad II. probationem R. Neque hic Apostolum loqui de publica Scripturarum lectione, quae certe apud Corinthios non nisi graece legebantur; sed de canticis spiritualibus, quae Christiani decantabant ad laudandum Deum, et gratias ei agendas, simulque ad suam et aliorum consolationem ac aedificationem. Hujus autem inter Christianos consuetudinis testes sunt Eusebius Lib. II. Hist. Eccles. Cap. XVI. Author Librorum de divinis Nominibus, Cap. III. Tertullianus in Apologetico, Cap. XXXIX. et Apostolus ipse ad Ephesios Cap. V. et ad Coloss. Cap. III. hor-

tans fideles, ut in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus commoneant se ipsos. Denique observat. *Card. Hosius*, Episcopis Varmiensis, quamvis etiam praecepisset Apostolus, ut precationes publicae vulgari lingua fiant in Ecclesiis, non ideo tamen Ecclesiam arguendam esse, si ritus aliquos ab Apostolis aliquando praeceptos, justis de causis mutet. Neque enim omnia quae statuerunt Apostoli, hoc animo ab eis fuisse constituta credendum est, ut ea perpetuo ob omnibus observari, neque licitum esse vellent Ecclesiae, prout tempus et ratio postularent, ea non nunquam variare: alias Apostolico praecepto adhuc abligaremur abstinendi a sanguine et suffocato; et juxta Paulinum praeceptum vir etiam nunc orare deberet aperto capite, mulier velato.

CCXLII. *Dices II.* Ex oratione non intellecta nullus sequitur fructus. Ergo preces omnes tam publicae quam privatae debent fieri lingua vulgari. *Confirm.* Finis divinorum Officiorum est populi instructio et consolatio. Ergo. R. N. A. Nam I. si necessarium foret distincte intelligere quidquid oramus, valde pauci cum fructu recitarent psalmos, et prophetias. II. In veteri Testamento Sacerdos oraturus pro se et pro populo jubebatur ingredi Sanctuarium, populo foris manente, ita ut populus non tantum non intelligere, sed nec audire, immo nec videre potuerit Sacerdotem: et tamen oratio illa certe proderat populo. III. Judaei non frustra colebant Deum figuris et caeremoniis variis, quarum significationem plurimi ignorabant. Sufficit ergo ad fructum ex oratione precipiendum, quod orans animo non vagetur ad alia negotia, sciatque saltem confuse Deum a se nunc laudari, quamvis verborum sen-

sum non assequatur. Sicque non labiis tantum, sed etiam corde Deus vere honoratur. Ad *confirm.* N. A. Finis primarius ac praecipuus divinorum Officiorum est cultus Deo debitus; plebis vero instructioni potissimum deserviunt frequentes Conciones, et Catecheses.

CCXLIII. *Objicitur II.* Auctoritas Patrum. Patres, praecipue *S. Chrysostomus*, vehementer hortabantur omnes ac singulos fideles, ut privatim divinas Scripturas legerent. Ergo Ecclesia perperam omnino prohibuit versiones in lingua vernacula. R. Multi Patrum in Oriente ad Scripturarum lectionem auditores suos hortati sunt: alii vero, quos inter *S. Hieronymus*, queruntur; eas absque ullo aetatis, sexus, conditionis ac peritiae discrimine, ab universis tractari. Hinc *S. Hieronymus* Epistola CIII. ad Paulinum scribit: *Quod medicorum est, promittunt medici: tractant fabrilia fabri. Sola Scripturarum ars est, sibi quam passim omnes vendicant. Scribimus indocti doctique poemata passim. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent antequam discant. Alii adducto supercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas de sacris litteris philosophantur. Alii discunt, proh pudor, a foeminis quod viros doceant: et ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, immo audacia edisserunt aliis quod ipsi non intelligunt.* Ecclesia justissimas habuit causas lectionem Scripturarum in lingua vernacula prohibendi, neque Patres illi experti fuerant suis temporibus pericula plebis ex Scripturarum lectione progenita, quae nunc occasione haeresum emerserunt. Nunc certe dispositiones, circumstantiae, et tempora sunt longe disparia. Olim

major erat passim fidelium simplicitas, major in fide constantia, minor propensio in novitates, major submissio et reverentia erga Ecclesiae Praelatos; minor tamen librorum Asceticorum copia, utpote typis nondum inventis, quae modo ubique locorum maxima est. S. Chrysostomum quod attinet, timebat ille ne auditores sui humanae Philosophiae litteris imbuti, quorum multi recenter Christum professi erant, veterum studiorum illecebris ad inanium Deorum cultum revocarentur; alios vero a theatris, spectaculis, aleisque magis abstrahere conabatur: quare invitabat eos ad investigandam in divinis litteris potius quam in Philosophorum scriptis veram sapientiam. Caeterum hac de re hyperbolice saepius loqui *Chrysostomum*, manifestum est ex Homilia III. in Lazarum, ubi ait: *Non potest fieri, ut quis salutem assequatur, nisi perpetuo versetur in lectione spirituali.* Quae verba si in stricto sensu accipiantur, rudes omnes, qui litteras non didicerunt, aeterna salute exciderent, falsaque foret *Augustini* sententia Lib. I. de Doctr. Christ. Cap. XXXIX. scribentis: *Homo fide, spe et charitate subnixus, easque inconcusse retinens, non indiget Scripturis nisi ad alios instruendos.* Denique observo, nec S. Chrysostomum, nec alios Patres censuisse, divinos libros in alias linguas vernaculas vertendos esse, sed loqui tantum de Graeca versione.

CCXLIV. *Dices. 1. S. Hieronymus* Epistola ad Sophronium diserte testatur, se translationem Scripturarum hominibus linguae suae dedisse. Ergo cum S. Hieronymus gente fuerit Dalmata, versionem Sclavonicam, seu Illiricam adornavit. II. *Innocentius III.* Extra, vag. Tit. de Officio Judicis ordinarii, Cap. *Quoniam in plerisque,*

praecepit ut cum in aliqua urbe permixti sunt homines diversarum linguarum, Episcopus viros idoneos constituat, qui diversis linguis divina Officia celebrent, et Sacramenta administrent diversae linguae hominibus. III. Ante annos circiter DCCC. permissum est Moravis ab Apostolica sede, ut Sclavonica lingua divina Officia apud illos celebrentur. Idem faciunt lingua sua vernacula Rutheni, Armeni, Ægyptii, Æthiopes etc. R. ad I. N. C. Hieronymus scribens ad hominem graecum, per linguae suae homines intelligit Latinos, quibus vetus Testamentum ex Hebraico vertit, et novum ex Graeco emendavit. Ad II. R. Innocentium in eo Decreto loqui tantum de lingua Graeca et Latina, quarum usus tunc CPoli vigebat, Francis Orientale Imperium administrantibus, et Veneto Patriarcha CPolitanam Ecclesiam gubernante. Certe idem *Innocentius* Epistola ad Abbatem Cisterciensem praecepit eidem districte, ut cum Episcopo Metensi Scripturas, quas aliqui in ea Dioecesi constituti in Gallicum sermonem verti curaverant, fidelium e manibus excutiat, totque malis ex ea lectione ortis occurrat. *Arcana vero*, inquit, *fidei Sacramenta non sunt passim omnibus exponenda, cum non passim ab omnibus possint intelligi; sed eis tantum, qui ea fideli possunt concipere intellectu.* Ad III. Id Moravis tunc concessum fuit, quia totum regnum Christiana sacra susceperat, neque facile invenire poterant ministri, qui Latine aut Graece celebrarent; ideoque cogente necessitate et rationabili de causa permisit Romanus Pontifex, ut Sclavonice celebrarentur sacra Mysteria: cessante autem causa, cessavit paulo post dispensatio; constat enim jam a pluribus saeculis omnia in Moravorum Ecclesiis Latine peracta fuisse. Exemplum

Ruthenorum, Æthiopum etc. nihil evincit, cum a Catholica communione sejuncti sint. Praeterea *Renaudotius* in collectione Liturgiarum Orientalium, Tomo I. Dissert. I. Cap. VI. invicte ostendit, quod sicut Romana Ecclesia, postquam Latina lingua in Occidente desiit esse communis, noluit diverso idiomate sacra peragere: ita et Orientis Ecclesiae idem praestiterint. Hinc demonstrat modo linguam Syriacam veterem apud Syros studio comparari, eo fere modo quo apud nos Latina lingua addiscitur: idemque evenire apud Coptas, Æthiopes etc. quoad veterem linguam, qua ipsorum Liturgiae leguntur conscriptae, et etiamnum ab iis in peragendis sacris mysteriis adhibentur.

CCXLV. *Objicitur III*. **Impietas hujus prohibitionis. Impium et absurdum est, apud pontificios inter libros prohibitos numerari sacros codices Deo dictante conscriptos.** R. cum *Jacobo Card. Perronio* in Responsionibus ad Jacobum Angliae Regem, Cap. VI. Scripturas ipsas non numerari inter libros prohibitos; libri enim prohibiti, quocunque sint idiomate, semper prohibentur: at vero nullibi invenias Sacrorum librorum lectionem, Graece, Hebraice, vel Latine vetitam fuisse; sed eorum tantum versiones corruptas, qui sensu Scripturarum, contra Sacrorum Scriptorum intelligentiam, perpetua fide, usu et traditione Ecclesiae servatam, voluerunt abuti: Aliarum autem versionum a Catholicis Interpretibus prodeuntium lectionem Ecclesia omnibus promiscue non permittit, sed iis tantummodo, qui tali facultate a Pastoribus digni fuerint judicati. Neque propterea ipsos sacros codices ab Ecclesia prohiberi dicere quis potest. Quemadmodum enim ex eo, quod Mater filiolis suis adhuc teneris et infirmis nolit

permittere quod grandioribus concedit; ut ipsi sibi panem frangant, ne frangendo se ipsos vulnerent; sed ipsa sibi frangendi, ac dentibus etiam conterendi sumat molestiam, non propterea panem prohibere dicenda est: ita Ecclesia a validioribus tantum Scripturam divinam legi permittens, rudi autem populo eam concionibus suis elucidatam proponens, non propterea dici potest Scripturae alimentum rudi populo prohibere.

ARTICULUS III.

DE VERBO DEI TRADITO.

CONTROVERSIA UNICA.

AN DENTUR TRADITIONES VERE DIVINAE, QUAE CUM SCRIPTURIS SINT ADAEQUATA REGULA EXTERNA OMNIUM CREDENDORUM?

Contra Protestantes.

CCXLVI.

T*raditio sacra* est doctrina fidei vel morum, non scripta, sed viva voce quasi de aure in aurem tradita successive. Ad naturam traditionis igitur pertinet, ut in nullo divinae Scripturae libro clare et expresse contineatur, quamvis eadem in Operibus Patrum, aut Conciliorum monumentis consignata inveniatur. Porro traditio sacra ratione authoris triplex est, nempe Divina, Apostolica, et Ecclesiastica. Traditio *Divina* est Verbum Dei non scriptum, saltem clare in sacris lit-

teris, sed a Deo immediate Apostolis revelatum, ac per illos posteris traditum. Talis traditio est doctrina de perpetua B. M. Virginitate etiam post partum, de baptizandis etiam ante usum rationis parvulis, de Baptismo non reiterando, de Sacrorum Librorum Divinitate, Canone etc. Traditio *pure Apostolica* est ea, quae ab Apostolis primo et immediate, non scripto, sed viva voce profecta est, et per Majores ad nos usque transfusa. Talis censetur esse quadragesimalis jejunii institutio etc. Hae igitur traditiones non habent immediate Deum authorem, sed Apostolos tanquam Ecclesiae Pastores, quamvis non sine assistentia Spiritus Sancti. Traditio denique *Ecclesiastica* est illa, quae nec a Christo, nec ab Apostolis; sed post Christi in coelos ascensum, et Apostolorum ex hac vita discessum introducta est ab Ecclesiae Praelatis, ac tandem per modum legis vel consuetudinis, tacito sibi succedentis populi consensu et usu recepta, et ad nos usque delata est. Talis est abstinentia a carnibus certis per hebdomadem diebus, pia et laudabilis Crucis formandae consuetudo etc.

CCXLVII. Traditiones ratione materiae dividuntur in eas, quae fidem, et eas quae mores spectant. Perpetuam Deiparae Virginitatem quae asserit doctrina, vel quae v. g. quaternarium Evangeliorum numerum, traditio de fide est: quae statos dies solemnes esse praecipit, aut jejuniis sacros, traditio est de moribus. Traditiones ratione durationis dividuntur in perpetuas et temporaneas. Perpetuae sunt, quae tamdiu stabunt, quamdiu stabit militans Ecclesia. Temporaneae, quae ad certum tempus institutae fuerunt. Traditiones divinae sunt perpetuae; quia institutae sunt, ut semper durent, nullaque authoritate creata mutari possunt, aut

decisio expectanda est ab Ecclesia, cujus infallibile est judicium. Regulam hanc suggerit nobis etiam *B. Augustinus* Lib II. contra Cresconium, Cap. XXXII. *Non accipio; quod de baptizandis haereticis B. Cyprianus sensit, quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua B. Cyprianus sanguinem fudit.*

CCXLIX. Quaestio jam versatur in eo, an revera dentur Traditiones divinae. Si enim aliquando istae admittantur, nullus Sectariorum negabit, eas esse regulam credendorum; quia Verbum Dei authoritatem suam non acquirit a membranis sed a veracitate Dei loquentis: et mandatum Principis eamdem vim et authoritatem apud subditos habet, sive scripto, sive viva voce proferatur, modo de illo subditis sufficienter constet. Catholici omnes firmissime tenent, et profitentur, dari traditiones vere divinas, easque solum, non vero stricte Apostolicas, aut Ecclesiasticas, esse infallibilem regulam credendorum.

CCL. Protestantes nihil omnino credendum esse contendunt, nisi quod in Scripturis ostendi possit. Qua in re Majores suos imitantur, Valentinianos, Gnosticos, Marcionitas, Pelagianos, quorum vulgata erat cantilena: *Credamus quod legimus; et quod non legimus, nefas credamus adstruere*, ut refert *S. Augustinus* Lib. de Natura et Gratia, Cap. XXXIX. *Lutherus* Lib. adversus Angliae Regem id ipsum aliis verbis, majori tamen arrogantia enuntiat: *Ego adversus dicta Patrum, hominum, Angelorum, daemonum, pono non antiquum consensum, non multitudinem hominum, sed unius Majestatis aeternae verbum. Hic sto, hic sedeo, hic maneo, hic triumpho etc.* Et in Commentario Cap. I. ad Galatas: *Neque alia doctrina in Ecclesia tradi, et*

audiri debet, quam purum Verbum Dei, hoc est, Sancta Scriptura. Doctores vel auditores alii cum sua doctrina, anathema sunto. Calvinus Lib. IV. Instit. Cap. VIII. ait: *Esto igitur hoc firmum axioma, non aliud habendum esse Dei Verbum, cui detur in Ecclesia locus, quam quod Lege primum et Prophetis, deinde scriptis Apostolicis continetur.*

CCLI. Quamquam etiam hac in re Lutherus et Protestantes inconstantiae facile possunt argui. In Epistola ad duos Parochos de parvulorum baptismo scribit Lutherus: *Respondeo. Non satis valide concluditur sententiis,* (Scripturae) *ut possis super iis incipere parvulorum Baptismum apud primos Christianos post Apostolos. At concluditur tamen tantum, ut jam nostro tempore, bona conscientia, nemo audeat Baptismum parvulorum tamdiu usitatum et continuatum repudiare, aut omittere; cum Deus reipsa illum non solum toleret, sed etiam tueatur ab origine, ut hoc nondum interierit. Quare ubi opus Dei cernitur, aeque credendum est, ac ubi ejus verbum auditur, nisi aperta Scriptura tale opus nobis vitandum significet.* Quibus verbis fatetur Lutherus de parvulorum Baptismo nusquam expresse in Scripturis reperiri mandatum; sed sufficere ad necessitatem baptismi roborandam, traditionem receptam, et nunquam interruptam Ecclesiae consuetudinem. *Melanchton* in Loc. Theol. Tit. de Baptismo parvulorum ait: *Universalis consensus Ecclesiae omnium temporum est testimonium, quod haec ordinatio sit Apostolica.* Kemnitius in Exam. Conc. Trident. admittit ex traditione Ecclesiae nobis infallibiliter certo constare, quod Scriptura existat, sitque genuinum Dei Verbum, aitque: *Hanc traditionem, qua nobis in ma-*

nus dantur Sacrae Scripturae libri, reverenter accipimus. Si ergo Ecclesia infallibilis est in una traditione ad posteros propaganda, cur non in omnibus? cum Apostolus eam non limitate, sed absolute, absque restrictione ulla, vocet columnam et firmamentem veritatis.

CCLII. *Conclusio.* Dantur Traditiones vere divinae, quae cum Scripturis sunt adaequata regula externa omnium credendorum. Dixi *adaequata regula externa*; non quod Ecclesiae authoritatem rejiciam, quam infallibilem esse Tract. III. de Ecclesia, Art. II. late ostendam; sed quia castigatius loqui videntur mihi ii Theologi, qui nullam aliam adaequatam regulam externam omnium credendorum assignant, quam verbum Dei scriptum et traditum; Ecclesiam vero ipsam Judicis officio ajunt fungi, qui juxta regulam illam a Deo constitutam, in rebus fidei ac morum decretoriam eamque infallibilem omnino fert sententiam.

CCLIII. Prob. Conclusio haec Catholica et fundamentalis, I. Authoritate Scripturarum. Joan. XVI. v. 12. Christus post lotionem pedum dixit Apostolis: *Multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo*, quae haud dubie postea eis manifestavit, *per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei.* Act. I. v. 3. Et tamen paucissima de his scripta sunt. Ergo illa Apostoli viva voce tradiderunt Ecclesiis. I. ad Cor. XI. v. 2. scribit Apostolus. *Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores estis: et sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis.* Quem locum de Traditionibus explicant *S. Basilius* Lib. de Spiritu Sancto, Cap. XXIX. *S. Epiphanius* Haer. LXI. quae est Apostolicorum. *S. Chrysostomus* Hom. XXVI. in Epist. I. ad Cor. Idem II. ad *Thessal.* Cap. II. v. 14. *Itaque fratres state: et*

tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram. Ubi per particulam disjunctivam *sive* opponit doctrinam sermone traditam doctrinae scriptae. Ergo non omnia, quae vel credere, vel agere jubemur ad salutem, quae et Apostoli instituerunt, sunt sacris litteris comprehensa; sed quaedam traditione non scripta obtinentur. Respondent Protestantes, Apostolum quae sermone Thessalonicensibus tradiderat, scripto mandasse in aliis Epistolis. Verum unde id Protestantibus innotuit? In Scripturis id certe non legitur, nec traditionem allegare possunt, quae nunquam extitit, quamque ipsi impugnant. II. ad Timoth. I. v. 13. *Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti in fide et in dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum.* Ubi nomine *depositi* metaphorice significatur doctrina successori credita, ac per manus tradita, quomodo pecunia apud amicos deponi solet, ejusque fidei credi. Unde *Vincentius Lerinensis* in suo Commonitorio, Cap. XXVII. scribit: *Quid est Depositum? id est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum: quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenii, sed doctrinae: non usurpationis privatae, sed publicae traditionis: rem ad te perductam, non a te prolatam: in qua non auctor debes esse, sed custos: non institutor, sed sectator, non ducens, sed sequens.*

CCLIV. Prob. II. Authoritate Patrum. S. *Irenaeus*, qui ex instituto Valentinianos, Gnosticos, Marcionitas, aliosque haereticos impugnavit, qui Traditiones rejiciebant, Lib. III. adversus Haereses, Cap. IV. scribit: *Etsi de modica aliqua quaestione disceptatio esset, non ne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in*

quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de praesenti quaestione sumere quod certum et liquidum est? Quid autem si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, non ne oportebat sequi ordinem Traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum: quorum qui in Christum credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum Sanctum in cordibus suis salutem, et veterem Traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes etc. Eodem Libro Cap. III. ait: *Hac ordinatione et successione* (duodecim Rom. Pontificum a S. Petro ad Eleutherium Papam usque) *ea quae est ab Apostolis in Ecclesia Traditio, et veritatis praeconizatio pervenit usque ad nos.* Origenes in Praefatione Libri I. Periarchon: *Servetur Ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, et usque ad praesens in Ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione.* S. Basilius Lib. de Spiritu Sancto, Cap. XXVII. *Dogmata et instituta, quae in Ecclesia praedicantur, quaedam habemus e doctrina scripto prodita: quaedam rursus ex Apostolorum traditione in Mysterio, id est, in occulto tradita recepimus: quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sane vel tenuiter expertus est, quae sint jura Ecclesiastica. Nam si consuetudines, quae scripto proditae non sunt, tanquam haud multum habentes momenti, conemur rejicere, imprudentes gravissimum Evangelio detrimentum inferemus, immo potius ipsam fidei praedicationem ad nudum nomen contrahemus.* S. Gregor. Nyssenus Lib. III. contra Eunomium: *Ac ne*

mihi aliquis obstrepat, quod illud etiam, quoad a nobis pro confesso habetur, rationibus et argumentis roboretur; sciat is sufficere nobis ad nostri dogmatis probationem, quod venientem ad nos a Majoribus traditionem habemus, velut haereditatem quamdam, per successionem ab Apostolis, continuata per sequentes Sanctos serie transmissam. Quibus verbis censet S. Doctor solam absque probatione satis esse traditionem, ad Catholici fidem dogmatis. *S. Epiphanius* Haer. LXI., quae est Apostolicorum: *Sed et traditione quoque opus est; neque enim ex Scriptura peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, traditione alia Sanctissimi Apostoli reliquerunt, quod ipsum ita Paulus affirmat: Quemadmodum tradidi vobis.* S. Chrysostomus Hom. IV. in Epist. II. ad Thessalon. *Hinc perspicuum est, quod non omnia tradiderit* (Paulus Apost.) *per Epistolam, sed multa etiam sine scriptis: et ea quoque sunt fide digna. Quapropter Ecclesiae traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio; nihil quaeras amplius.*

CCLV. Consonant Latini Patres. *Tertullianus* Lib. de Corona militis, Cap. III. *Hanc adeo inveteratam observationem si nulla Scriptura determinavit, certe consuetudo corroboravit, quae sine dubio de Traditione manavit. Quomodo enim usurpari quid potest, si traditum prius non est?* Libro de Carne Christi, Cap. II. Marcionem Scripturas sacras mutilantem, vi Traditionis exagitat, ipsumque nomine Christiano probat indignum, nisi sentiat cum Apostolis, et nisi credat quod traditum est. Traditum autem non erat in Scripturis sacris, loca quae Marcion ex Evangelio, et ex Epistolis Apostolicis resecabat, esse ab Evangelista vel Apostolo conscripta; sed ex solius traditionis non scriptae

constare poterat testimonio. *Si tantum Christianus es*, ait, *crede quod traditum est*. S. Cyprianus Epist. LXVIII. ad Caecilium: *Admonitos autem nos scias, ut in calice offerendo Dominica Traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit: ut calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur*. S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, Cap. IV. *Etiamsi Scripturae auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar praecepti obtineret. Nam et alia multa, quae per Traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptae legis usurpaverunt*. S. Augustinus Lib. V. de Baptismo contra Donatistas, Cap. XXIII. *Apostoli nihil quidem exinde praeceperunt, sed consuetudo illa quae opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est; sicut sunt multa, quae universa tenet Ecclesia et ob hoc ab Apostolis praecepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur*. Idem Lib. X. de Genesi ad litteram, Cap. XXIII. *Consuetudo matris Ecclesiae, in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio*. Quae in hanc rem sapientissime profert *Vincentius Lerinensis* in aureo suo Commonitorio, si quis excerpere vellet, totum fere ejus opusculum describendum foret.

CCLVI. Prob. III. ex praxi Ecclesiae in primis quatuor Conciliis Oecumenicis, quae ipsi Protestantes pro legitimis habent, omnem fere disputationem cum haereticis ad traditionem a Majoribus acceptam referentis. In *Nicaeno I.* cum Patres animadverterent, perspicuis Scripturarum testimoniis os Arianis non obstrui,

ad traditionem confugerunt, ut testantur *Sozomenus* Lib. I. Hist. Eccles. Cap. XVI. et S. Athanasius in Libro de Decretis Synodi Nicaenae contra Eusebium: *Ecce nos quidem a Patribus ad Patres per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstravimus. Vos autem o novi Judaei, et Caiphae filii! quos tandem nominum vestrorum potestis proferre progenitores?* Sardicensis Synodus, Nicaenae appendix, in Epistola ad universos Episcopos scribit: *Nos hactenus accepimus doctrinam, sic didicimus, hanc habemus Catholicam traditionem, fidem, confessionem.* In *CPolitano I.* ex traditione definita est Divinitas Spiritus Sancti, ut testantur Concilii Patres apud Theodoretum Hist. Eccles. Lib. V. Cap. IX. *Cum antiquissima sit, et consentanea baptismati traditio, qua docemur credere in nomen Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* In *Ephesino* Concilio contra Nestorium ex traditione potissimum definitum est unam in Christo dari personam, ac B. Mariam vere esse Deiparam, ut ipsi Ephesini Patres in relatione Impp. Theodosio et Valentiniano transmissa scribunt, et *Vincentius Lerinensis* in suo Commonitorio tribus annis post Ephesinam Synodum, nempe A. C. 434. conscripto, Cap. XLII. testatur: *Cum de sanciendis fidei regulis disceptaretur, ne qua illic forsitan profana novitas in modum perfidiae Ariminensis obreperet, universis Sacerdotibus, qui illuc ducenti fere numero convenerant, hoc Catholicissimum, fidelissimum, atque optimum factu visum est, ut in medium Sanctorum Patrum sententiae proferentur, quorum alios Martyres, alios Confessores, omnes vero Catholicos Sacerdotes fuisse, et permansisse constaret; ut scilicet rite atque solemniter ex eorum decreto atque consensu antiqui dogmatis reli-*

gio confirmaretur, *et prophanae novitatis blasphemia condemnaretur. Quod cum ita factum foret, jure meritoque impius ille Nestorius, Catholicae vetustati contrarius, Beatus vero Cyrillus sacrosanctae antiquitati consentaneus judicatus est. Et ut ad fidem rerum nihil deesset, etiam nomina et numerum, licet ordinem fuissemus obliti, edidimus eorum Patrum, juxta quorum ibidem concinentem concordemque sententiam, et legis sacrae proloquia exposita sunt, et divini dogmatis regula constabilita est.* In *Chalcedonensi* contra Eutychetem Actione II. lecta est Epistola S. Leonis M. ad Flavianum, in qua recitantur testimonia Patrum Graecorum et Latinorum, ut Eutichiana haeresis non solum Scripturarum Sacrarum, verum etiam traditionis pondere prosterneretur. *Tum post lectionem definitionis, omnes Reverendissimi Episcopi*, ut in Actis Concilii memoratur, *clamaverunt: Haec fides Patrum, haec fides Apostolorum: huic omnes consentimus: omnes ita sapimus.*

CCLVII. Prob. IV. Authoritate Ecclesiae, et Conciliorum. Nicaenum II. in Definitione fidei ait: *Fatemur autem unanimiter nos Ecclesiasticas traditiones, sive scripto, sive consuetudine valentes et decretas retinere velle.* Et Actione VII. in fine: *Si quis traditionem Ecclesiae, sive scripto, sive consuetudine valentem non curaverit; anathema sit.* CPolitanum IV. Actione X. Can. 1. *Ut rectam regiamque divinae justitiae viam sine erroris offensa teneamus, Sanctorum Patrum decreta, veluti inextinctae quaedam semperque lucentes faces, sequenda sunt. Quapropter sanctiones Ecclesiae Catholicae et Apostolicae per traditionem, tum a Sanctis omnique laudis praeconio celebrandis Apostolis, tum ab*

Orthodoxis Oecumenicisque et provincialibus Conciliis, aut a quovis Deiloquo Patre, et Ecclesiae Doctore acceptas, servandas, custodiendasque profitemur. Traditiones enim sive per sermonem, sive per Epistolam Majorum nostrorum, qui vitae sanctitate nobis praeluxerunt, acceptas, diserte magnus Apostolus Paulus tenendas monet. Tridentinum Sess. IV. *Sacrosancta et Oecumenica Tridentina Synodus --- perspiciens hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt, Orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris, quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia, suscipit et veneratur.* Et in fine ejusdem Decreti subjungit: *Si quis autem --- traditiones praedictas sciens et prudens contempserit; anathema sit.* Nostris etiam temporibus Graeci, quamvis Latinis infensissimi, et a Romana communione sejuncti, traditiones venerantur, ut patet ex Responsione I. Cap. XIII. Jeremiae Patriarchae CPolitani ad Protestantes: *Nostra Ecclesia gloriatur splendore Apostolicarum, et patriarum traditionum.* Atque ex Epistola Gabrielis Philadelphiensis ad Crusium: *Quod si de nostris rebus scire cupis, scito nos veram doctrinam, et Sanctorum Apostolorum traditiones sequi.*

CCLVIII. Prob. V. Ratione Theologica. Ex una parte absque traditione certi esse non possumus de exi-

stentia Scripturae, multoque minus de Scripturarum Canone, legitima Versione, ac genuino illarum sensu, ut ostendimus Num. CCVI: ex altera parte multa sunt fide divina credenda, quae sufficienter in divinis Scripturis non sunt expressa, ut dictum est Num. CCVIII. Ergo cum fides nitatur Verbo Dei, necessario admittendum est Verbum Dei traditum, seu traditiones vere divinae, alias illa non possent credi fide divina. Exemplo rem illustrabimus. Fide divina credendum est, B. Mariam etiam post partum illaesam conservasse virginitatem, ut universa semper sensit Ecclesia, quae Helvidium tanquam manifestae haereseos reum execrata est. At vero si traditiones divinae rejiciantur, undenam colligunt Protestantes Helvidii opinionem haereticam esse, aut cuinam illa divinarum Scripturarum libro clare adversatur? Silent hac de re Evangelistae: silent Apostoli. Ezechielis quidem Cap. XLIV. legitur: *Porta haec clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam; quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi.* Quem locum *S. Hieronymus*, *S. Augustinus*, *S. Ambrosius*, *S. Chrysostomus* de perpetua B. Mariae, etiam post partum virginitate exponunt. At locus hic Ezechielis obscurus valde perpetuam B. M. Virginitatem non evincit se solo, seposita Patrum authoritate, et divina traditione quam Ecclesia nobis declaravit. Quod si ad illam recurras, hoc ipso dogma hoc jam non amplius ex solis Scripturis probatur, sed ex Verbo tradito.

CCLIX. *Quaeres I.* An extiterint Traditiones divinae in lege naturae? R. affirmative. Ratio est, quia in lege naturae extiterunt viri justi, ac Deo grati, Abel, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph etc. Ergo cum

sine fide nemo placere possit Deo, habuere illi fidem divinam supernaturalem, quae necessario supponit revelationem a Deo factam. Jam vero revelatio illa non fuit ab authore aliquo sacro litteris consignata, cum primus omnium Scriptorum Sacrorum fuerit Moyses. Ergo revelationes illae, v. g. quod Mundus hic in tempore fuerit a Deo creatus, quod speranda sit vita aeterna, expectandus Messias etc. viva tantum voce erant traditae. Ergo in lege naturae dabantur Traditiones vere divinae.

CCLX. *Quaeres II.* An Traditione divinae extiterint etiam in lege scripta, sive Mosaica? R. affirmative. Judaei, praeter traditiones Pharisaicas a Christo reprobatas, habuerunt etiam traditiones Moysi et Prophetis a Deo revelatas, atque ad salutem necessarias. Tales erant I. Quod omnes et singuli libri qui in Canone Judaeorum continebantur, essent vere divini atque a Deo inspirati: hocque Judaei fide divina credebant, quamvis id in Scripturis expressum non esset. II. Quod foemellae haberent aliquod remedium contra peccatum originale; alioquin periissent sine remedio. Nullibi autem in toto veteri Testamento scriptum est quale illud fuerit. Ergo per solam traditionem id sciebant. III. Quod cruenta ipsorum sacrificia significarent mortem Christi, quamvis id in veteris Testamenti libris nullibi dicatur. Neque enim credere poterant, quod sacrificia illa a Deo pro obtinenda peccatorum remissione instituta, propria virtute peccata populi expiare potuerint; alias stante errore hoc universali tota synagoga turpiter in fide errasset. Ergo habuit hoc ex traditione. Hinc Deuteron. XXXII. v. 7. dicitur: *Interroga patrem tuuum, et annuntiabit tibi, Majores tuos, et dicent tibi.*

CCLXI. *Quaeres III.* An certum et innegabile sit etiam in lege gratiae extitisse traditiones divinas? R. affirmative. Apostoli enim non illico, sed post aliquot a Christi Ascensione annos, Evangelia et Epistolas conscripsere, posteaquam innumerabilem hominum multitudinem sola praedicatione ad Christum perduxerant. Ergo fideles, ante Evangelia et Epistolas ab Apostolis conscriptas, praecipue Christianae fidei mysteria per solam traditionem acceperunt. Ex quibus optime inferas cum *Melchiore Cano* de Locis Theologicis Lib. III. Cap. III. *Constat igitur doctrinae fidei jam vulgatae scriptionem Evangeliorum accessisse, non praecessisse. Constat item Christianam Ecclesiam et Religionem non litteris primum, sed traditione substitisse. Constat rursus fidei doctrinam in Ecclesia primitiva non a Scripturis habuisse authoritatem, sed contra Scripturas a traditione: Sicut tradiderunt, ait Lucas, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis. Constat denique aliquando in Ecclesia Christi fuisse Catholica dogmata, quae sacris nullis litteris continerentur.*

OBJECTIONES.

CCLXII. *Objicitur I.* Auctoritas Scripturarum. Deuteronomii Cap. IV. v. 2. dicitur: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Et Proverb. XXX. v. 6. *Ne addas quidquam verbis illius, et arguaris, inveniarisque mendax.* II. Deuteron. XII. v. 32. *Quod praecipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.* III. ad Galatas I. v. 8. *Sed licet nos, aut Angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vo-*

bis anathema sit. IV. Apocalypsis Cap. XXII. v. 18. *Si quis apposuerit ad haec, apponat Dominus super illum plagas scriptas in libro isto*. V. Matth. XV. v. 6. *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram*. Et v. 9. *Sine causa colunt me docentes doctrinas, et mandata hominum*. VI. ad Coloss. II. v. 8. *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum*. VII. I. Petri I. v. 18. *Redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis*. R. C. A N. C. Ad I. citati textus sensus est: Vos Judaei legem meam exacte et integre servabitis. Vestrum nemo arroget sibi facultatem mea praecepta interpretandi juxta suam quisque mentem. Ergo humanae adinventiones l. c. tantummodo prohibentur. Si enim citatus textus juberet rejici a nobis omnes Scripturarum libros, praeter illos Moysis, explodendi essent Prophetae, Evangelia, et Apostolicae litterae, sicque vicissent Samaritae, qui solos libros Moysis pro Verbo Dei habebant. Si vero juberet a nobis rejici omnes prorsus indiscriminatim additiones per modum explicationis vel interpretationis, quae in Scripturis non sint expressae, accusandi erunt Prophetae, quod Legi Moysis quidpiam adjecerint: quin immo ipsi etiam Apostoli, quod Evangeliis adjecerint Epistolas, et Gentibus a se conversis observantiam legalium remiserint, dempta abstinentia a sanguine et suffocato. Praeterea traditiones divinae, de quibus solis hic est sermo, pertinent vere ac proprie ad Verbum Dei, nempe traditum. Ergo illas admittendo, nihil additur Verbo Dei. Ad II. Sensus est: exhibe mihi cultum a me tibi per Moysem traditum, neque addas quidquam ex alienis cultibus, quibus profani Gentiles Deos suos colunt;

neve quid auferas de illis, quae lex praecepit. Ad III. Sensus est: Quicumque profert aliquid contrarium, vel derogans iis, quae Evangelizavi vobis; anathema sit. Neque dicas Apostolum dicere *praeter*, non *contra*; quia vox παρα in Graeco idiomate significat *contra* et *praeter*: quod autem hic significet *contra*, clare colligitur ex scopo Apostoli. Docuerat ille Galatas caeremonias legis Mosaicae esse abrogatas, et hominem non per circumcisionem, sed per fidem in Christum justificari. Ab hac doctrina paulo post abduxere Galatas quidam falsi fratres, qui praeter fidem in Christum ajebant necessariam esse circumcisionem, et legalium observationem. Itaque Apostolus pestilentem hanc doctrinam impugnans anathema illis dicit, qui contra Apostolicam doctrinam errores istos spargebant. Praeterea illud quoque notandum est, quod vox *praeter* etiam apud Latinos frequenter idem significet, ac *contra*. Ad IV. S. Joannes minatur has plagas illis, qui Apocalypsin adulterant aliquid addendo vel auferendo. Has ergo plagas Catholici timere non debent, quod divinas traditiones admittant: habent vero Lutherani cur metuant, quia prophetiam hanc integram ex Canone sacrorum librorum expunxere. Ad V. Christus loquitur de traditionibus Pharisaicis, frivolis, inutilibus, ac falsis, quae certe neque divinae, neque Apostolicae, neque Mosaicae erant. Ad VI. Apostolus loquitur de traditionibus Gentilium Philosophorum, quae legem divinam vel directe oppugnant; vel saltem depravant. Ad VII. Non verbum a Christo traditum, sed Lex Mosaica dicitur vana, quia promulgato jam Evangelio erat inutilis: et quia Judaei putabant, se justificari per sacrificia et lotiones.

CCLXIII. *Objicitur II.* Authoritas Patrum Graecorum. S. Irenaeus Lib. III. adv. Haer. Cap. I. ait: *Non enim per alios dispositionem nostrae salutis cognovimus, quam per eos per quos Evangelium pervenit ad nos: quod quidem tunc praeconizaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt fundamentum et columnam fidei nostrae futurum.* Ergo juxta S. Irenaeum Apostoli omnia nobis in Scripturis tradiderunt. II. *S. Athanasius* Orat. contra Gent. ait: *Sufficiunt per se sacrae, et divinitus inspiratae Scripturae ad veritatis indicationem.* Et Epistola Festali XXXIX. in qua libros Canonicos enumerat: *In his solis pietatis schola beate annuntiatur.* III. S. Basilius in Asceticis, Cap. de vera ac pia fide scribit: *Manifestissimum hoc infidelitatis argumentum fuerit, et signum superbiae certissimum, si quis eorum quae scripta sunt, aliquid velit rejicere, aut eorum quae non scripta introducere.* Et Epist. LXXX. *Stemus arbitratui inspiratae a Deo Scripturae, et apud quos inveniuntur dogmata divinis oraculis consona, illis omnino veritatis adjudicetur sententia.* IV. S. Chrysost. Hom. XIII. in II. ad Corinth. *Cum habeamus omnium exactissimam lancem et normam, nempe divinarum legum sententiam, oro vos omnes, ut relinquatis, quid huic vel illi videatur, et de his in Scripturis omnia inquirite.* R. si contextus spectetur, apparebit omnia citata loca ad rem non facere. Ad I. S. Irenaeus probat ibi Evangelium non posse rejici ab haereticis, quia illud conscripsere Apostoli a Christo edocti, et a Spiritu Sancto illustrati: neque usquam S. Doctor asserit, quod Apostoli ea omnia litteris consignarint, quae praedicaverant. Ad II. S. Athanasius ait, Scripturas solas

sufficere ad veritatem indicandam, de qua ibi agebat, quod nimirum idola non sint Dii: ex quo minime sequitur, ex solis Scripturis omnia fidei dogmata probari posse. In Epistola Festali S. Athanasius libros Canonicos non opponit Verbo tradito, sed Libris apocryphis, qui ab haereticis obtrudebantur: quin immo ipsum Canonem probat ex traditione. Ad III. Ex eo loco nihil contra nos efficitur; quia ea dumtaxat S. Basilius rejicit, quae a sacra Scriptura aliena sunt, eique contraria, quae ab haereticis divinas Scripturas violantibus obtruduntur. Epist. LXXX. standum esse ait arbitratui Scripturarum in contentione, quae Catholicos cum Catholicis committebat, de una hypostasi vel tribus dicendis in Deo. Aliqui enim tres hypostases, et unam naturam dicebant, e quibus erat Basilius: Alii hanc loquendi formulam damnabant, tum suae regionis consuetudinem opponentes, in qua una hypostasis dicebatur; tum sacrae Scripturae silentium. Ad IV. Veritatis illius, quam Chrysostomus tunc predicabat, meliorem nempe apud Deum conditionem esse pauperis, quam divitis, plena notitia haberi potest ex Scriptura, cui utique magis credendum est, quam carnalibus hominum opinionibus. Adde, quod S. Doctor exactam rerum omnium lancem et normam, non Scripturam, sed Legem Domini vocet, quae traditione pariter ac Scriptura continetur.

CCLXIV. *Objicitur III.* Authoritas Patrum Latinorum. S. Cyprianus Epist. LXXIV. ad Pompejum scribit: *Unde est ista traditio? utrumne de Dominica et Evangelica authoritate descendens, an de Apostolorum mandatis atque Epistolis veniens? Ea enim facienda esse quae scripta sunt, Deus testatur et pro-*

ponit. Ergo S. Cyprianus traditiones non scriptas rejecit. II. S. Hieronymus Comment. in Cap. XXIII. Matthaei ait: *Quod de Scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Idem Comment. in Cap. I. Aggaei. *Sed et alia, quae absque authoritate et testimoniis Scripturarum, quasi traditione Apostolica sponte reperiunt, atque confingunt percutit gladius Dei.* Et in Cap. I. Epistolae ad Titum. *Sine Scripturarum auctoritate garrulitas non habet fidem.* In Epistola ad Ctesiphontem: *Omnes oblatrationes eorum Christi auxilio destruendae, quod nobis Sanctarum Scripturarum testimoniis asserendum est, in quibus quotidie credentibus loquitur Deus: sufficiunt itaque Scripturae ad revincendos haereticos.* III. S. Augustinus Lib. II. de doctrina Christiana, Cap. IX. ait: *In his, quae aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia quae continent fidem, moresque vivendi.* Idem Lib. de Bono Viduitatis, Cap. I. *Quid ego amplius te doceam, quam id quod apud Apostolum legimus? Sancta enim Scriptura nostrae doctrinae regulam figit.* Et Lib. II. de peccat. meritis et remissione, Cap. XXXVI. *Ubi de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana praesumptio, nihil faciens in partem alteram declinando.* R. ad I. S. Cyprianum non omnes traditiones, sed eas tantum, quas falsas et supposititias esse extistimabat, rejecisse, aperte evincitur ex laudata Epistola, in qua scribit: *Si in aliquo nutaverit et vacillaverit veritas, ad originem Dominicam et Evangelicam, et Apostolicam traditionem revertamur.* Itaque l. c. agit de valore Baptismi ab haereticis collati, negatque ibi ab Apo-

stolis traditum esse, ut tales non amplius rebaptizentur. Qua in re errasse S. Cyprianum, ipsi etiam Protestantes fatentur. Ad II. R. in I. textu S. Hieronymum non agere de traditionibus divinis, sed de sententia particulari quorumdam, qui dicebant Zachariam a Judaeis occisum, patrem fuisse S. Joannis Baptistae. In II. perstringit eos, qui propria figmenta pro traditionibus Apostolicis venditabant, quos inter erant Montanistae. In III. arguit illos, qui scripturarum testimoniis abutuntur, eaque detorquent in sui erroris patrocinium, ut manifeste colligitur ex contextu. In Epistola ad Ctesiphontem agit contra Pelagianos, qui ex Stoicorum fontibus perturbationum animi immunitatem in Ecclesiam invexerant, eamque justis in hac vita tribuebant. Hanc itaque propositionem dumtaxat Scripturarum testimoniis probari posse ibi asserit S. Hieronymus, Justos omnes animi perturbationibus non carere. At pessime hoc ex loco Protestantes inferunt omne fidei dogma solis Scripturarum testimoniis probari posse adeoque inutiles esse traditiones. Ad III. R. I. Augustini locus solum probat, in iis quae aperte in scripturis posita sunt, inveniri illa omnia, quae unicuique Christiano explicite credere necesse est, ut salutem consequatur: et quae ad morum praecepta in genere pertinent, qualia sunt, quae fide, spe et charitate animos informant. Sed non omnia, quae ad fidem spectant, in scripturis Sanctis in specie contineri asserit S. Augustinus, nec aperta legi Scripturarum testimonia de iis omnibus dogmatibus, quae implicite credere singulis Christianis necesse est. In II. loco S. Augustinus de bono duntaxat viduitatis agit, non de fidei quibusvis dogmatibus. Quia igitur Apostolus boni illius praestantiam I. ad

Cor. VII. satis exposuerat, id circo satis sibi esse ait, si ea doceat quae apud Apostolum leguntur. In III. loco loquitur S. Doctor de re obscurissima, ubi desunt Scripturae, claraque documenta: in qua utique suspendendus est assensus, nec in partem alterutram declinandum, nisi traditio alterutri parti faveat. Quod si favere alteri opinioni traditionem perspicuum sit, ab ea standum est. Sed tunc mutatur hypothesis S. Augustini; quia quaestio desinit esse obscurissima, quae Traditione aperte dirimitur.

CCLXV. *Dices.* Patres non semel provocant ad Scripturas, earumque solo testimonio standum esse volunt. Ergo non admiserunt traditiones. R. D. A. In aliquo casu particulari. C. A. Ordinarie, N. A. et C. Patres id fecerunt I. quando Scriptura clara est, et evidenter adversatur erroribus adversariorum, qui tunc traditiones divinas pro se afferre non possunt, cum illae Verbo Dei scripto contrariae esse nequeant. Sic *Tertullianus* Lib. adversus Hermogenem, Cap. XXII. verbis illis Geneseos Cap. I. *In principio creavit Deus coelum et terram*, Hermogenis errorem jugulat, docentis materiam esse infectam, et Deo coaeternam: ac merito dicit, timendam esse huic Haeresiarchae maledictionem, quam adjicientibus, vel detrahentibus verba Scripturae interminatus est S. Joannes; quia ejus opinio nedum in Scriptura sacra non legebatur, sed cum ipsius verbis e regione pugnabat. II. Quando traditiones, seu consuetudines particularium Ecclesiarum contrariae afferebantur, ut de S. Basilio superius Num. CCLXIII. diximus in Responsione ad III.

CCLXVI. *Objicitur IV.* Ratio. Ex una parte non potest assignari causa, ob quam Christus et Apostoli

noluerint scripto consignare omnia credenda : ex altera parte si quae etiam extitissent traditiones divinae, ob hominum tamen negligentiam, imperitiam et perversitatem, purae et integrae ad nos non pervenerunt. Ergo non probatur traditiones, quas nunc habet Ecclesia, esse regulam fidei. R. I. Etiamsi alia assignari non posset ratio quam voluntas Dei, minime tamen sequeretur, non dari divinas traditiones. R. II. N. A. Ratio valde congrua est, ut hoc pacto essent in Ecclesia qui instruerent, et qui instruerentur; atque ita arctior esset membrorum Ecclesiae inter se colligatio : ut fideles cogerentur de Scripturarum sensu, et aliis rebus ad fidem pertinentibus Praelatos Ecclesiae consulere ac audire; sicque Ecclesiae Praelatorum authoritas magis commendaretur, et fideles obedientiam atque humilitatem exercerent. Pari modo nego etiam alterum Antecedentis membrum. Cum Deus speciali providentia Ecclesiam suam gubernet, factum est, ut Verbum traditum pari modo ac scriptum, purum et illime ad nos usque pervenerit : ea fere ratione, quae conservatae fuerunt traditiones divinae per bis mille circiter annos ab Adamo usque ad Moysem, et a Moysis aetate ad tempora usque Evangelii. Media, quibus divina providentia usa est ad conservandas traditiones, olim Ecclesiae concreditas, fuere I. Libri Ecclesiastici, in quibus sunt scriptae, II. Usus traditionum continuus; multae enim sunt in continua observatione, ut v. g. ritus Sacramenta conficiendi, celebratio Missae etc. III. Monimenta externa, ut templa, altaria, Cruces, imagines Sanctorum etc. IV. Haereses, quae excitarunt doctos ad investigandas antiquas traditiones, et easdem fidelibus commendandas.

CCLXVII. *Dices II.* Regula fidei est immobilis atque perpetua. Atqui traditiones sunt mutationi obnoxiae; multa enim de facto non servantur, quae olim diligentissime servabantur. Ergo traditiones non sunt regula fidei. R. C. M. D. m. Traditiones divinae ad fidem et mores pertinentes sunt mutationi obnoxiae, N. M. Traditiones Apostolicae stricte tales, et Ecclesiasticae, quae ad disciplinam, ritus, et externam Ecclesiae politiam pertinent, et quae nullo modo a nobis asseruntur esse regula fidei, C. M. et N. C. Regula fidei sunt solae traditiones divinae, quae nullo unquam tempore fuerunt, sunt, aut erunt mutationi obnoxiae.

CCLXVIII. *Dices II.* Traditionis divinae praetextu multi induci possunt in Ecclesiam errores. Ergo non est admittenda traditio. P. A. Papias introduxit doctrinam de millenario Christi regno in terris post resurrectionem corporum, obtendens traditionem. Ergo cum traditiones tanta trahant post se incommoda, non sunt admittendae. R. I. Si quid argumentum hoc probaret, rejiciendae pari modo forent Scripturae sacrae; harum enim praetextu haeretici aliqui voluerunt Ecclesiae obtrudere libros apocryphos, v. g. Evangelium Petri, Pauli, Barnabae, Bartholomaei etc. R. II. Nego errores induci posse in Ecclesiam, ad quam, cum sit columna et firmamentum veritatis, pertinet veras traditiones discernere a falsis. Et quamvis fideles seorsim ac singillatim spectati, falli possint hoc in negotio; Ecclesia tamen, cui Spiritus Sanctus peculiari modo assistit, eamque docet omnem veritatem, minime potest decipi. Ad *probat.* R. Papiam, ut testantur *Eusebius* Lib. III. Hist. Eccl. Cap. ultimo, et *B. Hieronymus* Comment. in Cap. XLIX. Isaiae, et in Cap. XIX.

Matthaei, errorem Chiliastarum non ex traditionis fonte, sed ex Evangeliis et Apocalypsi perperam intellectis hausisse. Vide *Card. Bellarminum* Lib. IV. de Verbo Dei, et *Natalem Alexandrum* Dissertatione XVI. in Hist. Eccles. Saeculi II.

O. A. M. D. G.

INDEX

RERUM PRAECIPUARUM

QUAE

IN TRACTATU II. DE VERA RELIGIONE ET VERBO DEI CONTINENTUR.

A

C

D

E

F

G

H

I

L

M

O

P

Q

R

 M 2

S

T

U

O. A. M. D. G.

TRACTATUS III.

DOGMATICO - POLEMICI

DE ECCLESIA

PARS PRIOR.

INDEX CONTROVERSIARUM QUAE IN TRACTATUS III. DE ECCLESIA PARTE PRIORE CONTINENTUR.

ARTICULUS I.

DE VISIBILITATE, PERPETUITATE, AC NOTIS VERAE CHRISTI ECCLESIAE.

CONTROVERSIA I.

AN VERA CHRISTI ECCLESIA SEMPER FUERIT VISIBILIS? N.° I.

CONTROVERSIA II.

AN VERA CHRISTI ECCLESIA DEBEAT ESSE PERPETUA ET INDEFECTIBILIS? XIV.

CONTROVERSIA V.

AN VERA CHRISTI ECCLESIA DEBEAT ESSE CATHOLICA, ID EST, UBIQUE TERRARUM DIFFUSA? *LXIV.*

Conclusio I. Vera Christi Ecclesia debet esse universalis, ubique diffusa. *LXIV.*

Conclusio II. Ecclesia Romana est vere Catholica, ubique diffusa. *LXVII.*

Conclusio III. Ecclesia Protestantica non est Catholica, seu ubique diffusa. *LXVIII.*

CONTROVERSIA VI.

AN VERA ECCLESIA CHRISTI DEBEAT ESSE SANCTA, ET QUÆNAM ILLA SIT? *LXXXVIII.*

Conclusio I. Vera Christi Ecclesia debet esse sancta, sanctitate doctrinae et morum, sive personarum. *LXXXVIII.*

Conclusio II. Ecclesia Romano-Catholica sancta est, sanctitate doctrinae et morum. *XC.*

Conclusio III. Ecclesia Protestantica neque sancta est sanctitate doetrinae, neque sanctitate morum, seu personarum. *XCI.*

Conclusio IV. Vera Christi Ecclesia debet esse miraculis conspicua: talis autem est sola Ecclesia Romano-Catholica. *XCVII.*

CONTROVERSIA VII.

AN VERA CHRISTI ECCLESIA DEBEAT ESSE APOSTOLICA, ET QUÆNAM ILLA SIT? *CXVII.*

ARTICULUS II.

DE POTESTATE ECCLESIAE PRAECIPUE JUDICIARIA.

CONTROVERSIA I.

AN DEBEAT DARI JUDEX CONTROVERSIARUM FIDEI ET MORUM: ET AN IS SIT SCRIPTURA, SPIRITUS PRIVATUS, POPULUS, CONSISTORIUM SENIORUM, AUT PRINCEPS SAECULARIS? *CXXXIII.*

Conclusio I. Debet in Ecclesia dari supremus aliquis Judex Controversiarum fidei et morum. *CXXXIII.*

Conclusio II. Scriptura Sacra non est Judex supremus Controversiarum fidei et morum. *CXXXIV.*

Conclusio III. Spiritus privatus non est Judex supremus Controversiarum fidei et morum. *CXXXVI.*

Conclusio IV. Populus non est Judex supremus Controversiarum fidei et morum. *CXXXVII.*

Conclusio V. Consistorium, constans ex Ministris et senioribus laicis, non est supremus Judex Controversiarum fidei, et morum. *CXXXVIII.*

Conclusio VI. Principes saeculares, Reges, et Imperatores non sunt supremi Judices Controversiarum fidei et morum. *CXXXIX.*

CONTROVERSIA II.

AN, ET QUAENAM ECCLESIA SIT INFALLIBILIS JUDEX CONTROVERSIARUM FIDEI ET MORUM? *CLI.*

Conclusio I. Vera Ecclesia Christi est infallibilis Judex Controversiarum fidei et morum. *CLII.*

CONTROVERSIA III.

AN CONCILIA OECUMENICA A ROMANO PONTIFICE APPROBATA, SINT INFALLIBILIA IN MATERIA FIDEI ET MORUM? *CLXVI.*

CONTROVERSIA IV.

AN CORPUS PASTORUM CUM ROMANO PONTIFICE CONSENTIENTUM ETIAM EXTRA CONCILIUM OECUMENICUM SIT INFALLIBILE: ET QUALIS CONSENSUS EPISCOPORUM REQUIRATUR, UT JUDICIUM ROMANI PONTIFICIS JUXTA OMNES CATHOLICOS SIT INFALLIBILE, ET FINALE? *CXCIV.*

Conclusio I. Corpus Pastorum cum Romano Pontifice consentientium etiam extra Concilium Oecumenicum est infallibile in materia fidei et morum. *CXCIV.*

Conclusio II. Extra Concilium Oecumenicum Romanus Pontifex, saltem cum Episcoporum toto orbe dispersorum pluralitate ei consentiente, infallibile exercet et finale judicium in causis fidei et morum. *CXCVI.*

Conclusio III. Ut infallibile sit judicium Romani Pontificis extra Concilium in causis fidei et morum, non requiritur expressus consensus pluralitatis Episcoporum; sed sufficit, si pluralitas Episcoporum tacite ei consentiat, contra illud non reclamando. *CXCIX.*

CONTROVERSIA V.

AN ECCLESIA SIT INFALLIBILIS IN DEFINIENDA ORTHODOXIA, VEL HETERODOXIA PROPOSITIONUM, RELATE AD SENSUM AUTHORIS? *CCXIII.*

Conclusio. Ecclesia est infallibilis in definienda Ortho-

CONTROVERSIA VI.

CONTROVERSIA VII.

Conclusio II. Excommunicatio Christianis omnibus perquam metuenda est. *CCLVIII.*

Conclusio III. Ecclesia adversus refractarios invocare potest auxilium brachii saecularis, vel tribunalium laicorum, quae gravibus poenis pro gravitate delicti juste et licite animadvertere possunt in illos. *CCLX.*

CONTROVERSIA VIII.

AN ECCLESIA POSSIT HABERE DOMINIUM TEMPORALE, SEU POTESTATEM POLITICAM? *CCLXXIII.*

Conclusio. Ecclesia valide ac licite habere potest dominium temporale, atque exercere potestatem politicam. a Principibus sibi concessam. *CCLXXIV.*

TRACTATUS III.

DOGMATICO - POLEMICI

DE ECCLESIA CHRISTI

PARS PRIOR.

Ecclesia Christi, quo nomine intelligimus coetum hominum inter se conjunctorum ejusdem fidei Christianae professione, et eorumdem Sacramentorum communione, sub regimine legitimorum Pastorum, et praesertim unius in terris Vicarii Christi, Romani Pontificis, est Regnum illud quod Christus acquisivit sanguine suo: est domus et civitas Dei supra montem posita, ovile, et corpus Christi Mysticum. Haec est illa, ut egregie *D. Augustinus* admonet Serm. I. de Symbolo ad Catechumenos, Cap. VI. *Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes haereses pugnans: pugnare potest, expugnari tamen non potest. Haereses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite praecisa. Ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua. Portae inferi non vincent eam.* Dividitur haec a Catholicis in militantem, purgantem, ac triumphantem. *Militans*, est coetus fidelium in terris adhuc viventium: *Purgans*, est coetus fidelium, qui quod in statu gratiae quidem, sed nondum perfecte expiati ex hac vita decesserint, in altera poenas peccatis suis debitas exsolvunt. *Triumphans*, est coetus fidelium Sanctorum cum Christo in coelis re-

gnantium. Nos universum hunc de Ecclesia Christi Tractatum, ad conterendas haereses omnes perquam necessarium, sex Articulis comprehendimus. I. aget de visibilitate, perpetuitate, ac notis verae Ecclesiae. II. De potestate Ecclesiae, praecipue judiciaria. III. De visibili Capite Ecclesiae, id est, Romano Pontifice. IV. De membris Ecclesiae in genere et specie. Atque hi IV. Articuli ad Ecclesiam militantem pertinent. V. De Ecclesia purgante. VI. De Triumphante.

ARTICULUS I.

DE VISIBILITATE, PERPETUITATE AC NOTIS VERAE CHRISTI ECCLESIAE.

CONTROVERSIA I.

AN VERA CHRISTI ECCLESIA SEMPER FUERIT VISIBILIS?

Contra Protestantes.

I.

Status Quaestionis in eo versatur, an vera Christi Ecclesia aliquando ita fuerit occulta, ut pauci tantum dati fuerint homines veram fidem profitentes, iique aliis incogniti. Negant id Catholici omnes, ajuntque, veram Ecclesiam Christi prae omnibus aliis sectis eminenti quadam, constanti, ac singulari claritate per totum orbem splendidam semper et conspicuam fuisse, ac porro futuram, non filiis duntaxat et domesticis, sed etiam

extraneis, qui sunt extra illius sinum Contra Lutherus et Calvinus visibilitatem Ecclesiae rejiciunt, ut ea sublata facile suos errores promulgent, quasi non habentes quo fraenentur, et a quo detegantur. *Lutherus* Lib. de abroganda Missa ait: *Quis Ecclesiam nobis monstrabit? cum sit occulta in spiritu, et solum credatur: Credo Ecclesiam Sanctam.* Calvinus Lib. IV. Institut. Cap. I. *Nobis invisibilem, solius Dei oculis conspicuam Ecclesiam credere necesse est.* Mutarunt nihilominus Protestantes sententiam suam; in Confessione enim Augustana, quam Melanchton cudit, Artic. VII. dicitur *Ecclesiam esse societatem Sanctorum, in qua recte annuntiatur Evangelium, et administrantur Sacramenta.* Ideoque per illa Ecclesiam reddi visibilem affirmatur. Idem habetur in Apologia ejusdem Confessionis, in Articulis Schmalkaldicis, quibus omnes Lutherani subscripsere, in Confessione Würtembergensi Brentii, in Calviniana Confessione fidei Argentinensi, Basileensi, et Helvetica.

II. Cum vero Protestantibus Catholici objicerent, Lutheranam et Calvinianam sectam, utpote novitiam, neque ante Calvini et Lutheri tempora visibilem, veram Christi Ecclesiam esse non posse; ut a molesta hac objectione expedirent se Protestantes, asseruerunt, Ecclesiam Protestanticam primis temporibus pulcherrime floruisse; per aliquot vero saecula Pontificum ac Monachorum tyrannide oppressam latitasse, donec Lutherus et Calvinus eam pristinae libertati restituerunt. Qua in re veteres haereticos Donatistas strenue imitantur, qui, teste *S. Augustino* Lib. de Haeresibus, Cap. LXIX. asserebant, veram Christi Ecclesiam per totum orbem periisse: eamque in sola Africa ita occultam perman-

sisse, ut pluribus annis cognosci non potuerit, usque ad tempora Donati.

III. *Conclusio I.* Vera Christi Ecclesia semper fuit visibilis, omniumque oculis conspicua. Prob. I. Authoritate Scripturarum. *Act.* XX. dicitur: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Ad Hebr. Cap. XIII. *Obedite praepositis vestris, et subjacete eis.* Matth. XVIII. *Dic Ecclesiae*: si *autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.* Ex quibus hoc argumentum efflorescit. In vera Christi Ecclesia Pastores semper tenebantur pascere oves suas verbo Dei, et Sacramentis: oves semper tenebantur Pastores suos sequi, eisque obtemperare: quilibet semper tenebatur fratrem delinquentem a se correptum, et resipiscere nolentem, ad Praelatos Ecclesiae deferre. Atqui manifestum est nihil horum fieri potuisse in vera Christi Ecclesia, nisi illa semper fuisset visibilis; si enim Pastores sunt invisibiles, quomodo eos cognoscent, et audient oves? *Micheae IV.* v. 1. dicitur: *In novissimo dierum erit mons domus Domini praeparatus in vertice montium, et sublimis super colles: et fluent ad eum populi.* Matth. V. v. 14. *Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Ex quibus sic arguo. Illa Ecclesia semper fuit visibilis, quam signis patentibus conspicuam fore vaticinantur Christus et Prophetae. Atqui talis est Ecclesia Christi. Ergo.

IV. Prob. II. Authoritate Patrum, qui per montem illum et civitatem intelligunt Ecclesiam Christi. *S. Augustinus* Epist. XCIII. alias XLVIII. ad Vincentium Rogatistam, Cap. IX. *Ipsa est Ecclesia, quae dicit Sponso suo, Ubi pascis, ubi cubas in meridie; ne forte fiam*

sicut operta super greges sodalium tuorum. Id est, quod alibi dicitur, Dexteram tuam notam fac mihi, et eruditos corde in sapientia, in quibus luce fulgentibus, et charitate servientibus quasi in meridie requiescis: Ne forte velut operta, id est, occulta et ignota irruam non in gregem tuum, sed in greges sodalium tuorum, id est, haereticorum. Idem Enarrat. II. in Psalm. XVIII. *In sole posuit tabernaculum suum, in manifestatione Ecclesiam suam, non in occulto, non quae lateat, non velut opertam.* Epist. CV. alias CLXVI. ad Donatistas, Cap. IV. *Ipsa est Ecclesia in Sole posita, hoc est, in manifestatione omnibus nota usque ad terminos terrae.* Tract. II. in I. Epist. S. Joan. *In sole posuit tabernaculum suum, id est, in manifesto. Tabernaculum ejus, caro ejus; tabernaculum ejus, Ecclesia ejus: in Sole posita est, non est in nocte, sed in die.* S. Cyprianus Lib. de Unitate Ecclesiae, Cap. IV. *Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit.* Origenes Hom. XXX. in Matth. *Ecclesia plena est fulgore ab Oriente usque ad Occidentem.*

V. Prob. III. Ratione I. Nisi Ecclesia visibilis foret, frustra Deus constituisset in Ecclesia sua Apostolos, Prophetas, Pastores et Doctores, qui nec coetum pro quo constituti sunt, videre, neque ab illo audiri possent. II. Quilibet sub reatu aeternae damnationis tenetur se verae Ecclesiae adjungere. At quomodo veram Ecclesiam inveniet, siquidem illa invisibilis est, nulloque sensu cognosci potest? III. Nemo sanae mentis persuadere sibi potest, (ut de Ecclesiasticis monumentis nihil dicam, quibus Protestantium error aperte jugulatur;) per plura saecula veram Christi Ecclesiam ita invisibilem fuisse, ut vix ullus palam ausus

sit pro Deo dimicare: item omnes homines tam caecos fuisse, ut veritatem non agnoscerent, aut tam protervos, ut agnitam respuerent: aut quod Lutherus et Calvinus oculatiores fuerint aliis viris salutis propriae et alienae amantissimis, sanctitate, doctrina, ac prudentia conspicuis.

VI. *Conclusio. II.* Ecclesia Romano - Catholica semper fuit visibilis; Protestantica vero ante Lutheri et Calvini tempora non fuit visibilis. Prob. I. pars Conclusionis. Ecclesia Romano - Catholica semper fuit conspicua in suis Pastoribus, praesertim Romanis Pontificibus, serie non interrupta B. Petro succedentibus: item in Conciliis, praecipue Oecumenicis: in proscribendis haereticis, atque e sinu suo ejiciendis illis, qui monita sua et fidei definitiones contemnebant. Neque Protestantes ostendere possunt, aliter in praesenti Ecclesia Romano - Catholica credi nunc, quam olim in antiquo creditum fuerit. Prob. II. pars Conclusionis argumento negativo. Protestantes ne unicum quidem adducere possunt, qui totum doctrinae systema, prout nunc traditur ac docetur a Calvinianis et Lutheranis, ante Calvinum et Lutherum tradiderit. Certe originem suam referre nequeunt ad Petrobrusianos; Henricum Tolosanum; aut Albigenses, novos Manichaeos, a quibus in multis discrepant Protestantes: neque ad Waldenses novos Donatistas, qui valorem Sacramenti a probitate ministri pendere docebant, ut alia plura silentio praeteream, quae Protestantibus nulla ratione probantur. Ergo Ecclesia Protestantium ante Lutherum et Calvinum non fuit visibilis, immo nec in rerum natura. Ergo non est vera Christi Ecclesia.

OBJECTIONES.

VII. *Objicitur I.* Authoritas Scripturarum. Jeremiae XXXI. dicitur: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.* II. Lucae XVII. *Non venit Regnum Dei cum observatione. Neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim Regnum Dei intra vos est.* III. Joan. IV. *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, et veritate.* IV. I. Petri Cap. II. *Ipsi tanquam lapides vivi super aedificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias Deo.* V. Matth. XIII. *Simile est Regnum coelorum thesauro abscondito in agro.* VI. ad Hebr. XII. *Non enim accessistis ad tractabilem montem, et accensibilem ignem, sed ad Sion montem, et Civitatem Dei viventis.* Ergo Ecclesia non est visibilis. R. ad I. Per legem non intelligitur Ecclesia, sed testamentum novum, vel lex charitatis in cordibus scripta. Quamvis autem lex illa non videatur, videtur tamen Ecclesia, in qua est illa lex: sicut videtur corpus, quamvis cor non videatur. Ad II. Per Regnum Dei non intelligitur ibi Ecclesia, sed vel gratia Dei, per quam ille regnat in cordibus hominum, vel intelligitur ipse Christus: ita ut illa verba significent, primum adventum Messiae futurum absque pompa et apparatu. Ad III. verba illa hunc sensum habent: Christiani non colent Deum externis tantum caeremoniis, et corporalibus victimis, ut Judaei: neque praeter verum Deum falsos Deos colent, ut Samaritani; sed verum Deum colent modo spirituali et interno, non omnes tamen caeremonias externas excludente. Ad IV. Ecclesia dicitur a S. Petro domus spiritualis, non quod secundum se

sit occulta et invisibilis, sed ad differentiam domus materialis, quae ex materia mere corporali constat; vult enim Apostolus Ecclesiam non esse domum ex lapidibus et lignis aedificatam, sed ex hominibus Deo dicatis et consecratis. Ad V. Ecclesia thesauro abscondito comparatur, non quod ipsa lateat sicut thesaurus absconditus; sed quia Ecclesia prius incognita, ac demum inventa, ditat et delectat sicut thesaurus. Ad VI. Per montem Sion, et civitatem Dei viventis non significatur Ecclesia militans, sed triumphans. Discrimen quippe inter veteris novique Testamenti homines B. Paulus constituit, quod illi ad montem Sina corporeum accesserint, Deum per corporeas imagines visuri: Christiani vero non re, sed spe ad montem Sion spiritualem, id est, ad coelestem gloriam accesserint, Deum facie ad faciem conspecturi.

VIII. *Objicitur II.* Historia Sacra et Ecclesiastica. Temporibus Eliae Judaica Ecclesia erat invisibilis; Propheta enim III. Regum XIX. v. 10. conqueritur: *Derelictus sum ego solus.* II. Saeculo IV. circa tempora Ariminensis Synodi, teste S. Hieronymo in Dialogo contra Luciferianos, *Universus orbis miratus se esse Arianum, ingemuit.* III. Eodem saeculo omnes persequebantur S. Athanasium Episcopum vere Catholicum, et malleum Arianorum. Ergo saeculo IV. Ecclesia Christi erat invisibilis. R. ad I. N. A. Solus equidem Elias intrepide se opposuit Jezabeli; at praeter illum superstites erant alii Prophetae, Elisaeus, Michaeas, aliique centum, quos Abdias absconderat, ut patet ex Lib. III. Regum, Cap. XVI. Immo ipse Deus Eliae conquerenti respondit III. Regum. Cap. XIX. v. 18. *Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum*

genua non sunt incurvata ante Baal. Praeterea Elias de solo Regno Israel loquitur, non de Regno Juda, cui Josaphat pientissimus Rex praeerat, in quo Templum, Sacerdotes, Sacrificia, maximusque veram Religionem profitentium numerus visebatur. Ad II. universus orbis nunquam Arii errores amplexus est; sed major Ecclesiarum pars se ab Arianis deceptam fuisse mirata est. Plurimi enim Episcopi Catholici Arimini subscripserant Arianorum formulae, in qua dicebatur, Verbum simile esse Patri; quia Ariani contestabantur verba haec intelligenda esse de similitudine in natura. Accepta autem tot Episcoporum subscriptione, falso jactabant Ariani, Episcopos Occidentis confiteri, Verbum non aliam cum Patre similitudinem habere, quam accidentalem. Sicque universus orbis miratus est se esse Arianum; quia plurimi Episcopi Catholici aequivocae formulae imprudenter subscripserunt, quamvis veram fidem retinuerint. Ad III. R. S. Athanasium plurimos habuisse impugnatores: at magnis etiam non caruisse causae suae Patronis, Julio nempe et Liberio Rom. Pontificibus, Concilio Sardicensi, S. Hilario Pictaviensi etc..

IX. *Objicitur III.* Ratio. Ecclesia intrinsece formatur per fidem. Sed fides est invisibilis. Ergo Ecclesia est invisibilis. *Confirm.* Propter signa externa Ecclesia dicitur visibilis. Ergo multo magis invisibilis dici debet propter dona interiora, quae longe nobiliora sunt externis. R. I. retorquendo. Homo formatur intrinsece per animam rationalem. Sed anima est invisibilis et incorporea. Ergo homo est invisibilis et incorporeus. R. II. D. M. Ecclesia formatur per fidem internam, N. M. Per fidem, quam exterius modo quodam sensi-

sibili profitentur fideles, C. M. Et sic dist. minore, N. C. Ad *confirm.* C. A. N. C. Visibilitas est terminus positivus, perfectiones invisibiles non excludens: contra invisibilitas est terminus negativus, qui cum sit malignantis naturae, ut Philosophi loquuntur, negat quidquam visibile in Ecclesia existere; adeoque falsa redditur propositio. Pari de causa homo dici nequit spiritualis et immortalis, sed corporeus et mortalis.

X. *Dices I.* Ubi caput est invisibile, ibi corpus etiam est invisibile; alias monstro foret simile. Atqui Christus, qui est caput Ecclesiae, est invisibilis. Ergo etiam Ecclesia est invisibilis. II. Hostes contra quos militat Ecclesia, sunt invisibiles: et arma, quibus militat, sunt invisibilia. Ergo ipsa etiam Ecclesia est invisibilis. R. O. M. N. m. Christus est de se visibilis, cum verum corpus habeat, quamvis hic et nunc a nobis non videatur: et visibiliter Ecclesiam regit per suum Vicarium, B. Petri successorem. Dici profecto nequit Ecclesiam, quae vivente Christo erat visibilis, per ejus ascensionem in coelos factam esse invisibilem. Ad II. N. A. Caro et mundus hostes sunt visibiles: Daemon hostis invisibilis saepissime Ecclesiam impugnat mediis visibilibus. Porro arma, quibus Ecclesia hostes suos profligat, sunt saepissime visibilia, ut Sacramenta, afflictationes carnis, jejunia, psalmodia, oratio, aliaque pietatis opera.

XI. *Dices II.* Quidquid videri potest, vel est visibile in se, vel in alio. Neutro modo Ecclesia est visibilis. Ergo P. m. non in se; quia fides et charitas, quae sunt forma Ecclesiae, videri nequeunt: non in alio; quia nullum opus externum indicat fidem internam, cum ficte peragi possit. R. C. M. N. m. Ad *probat.*

D. A. ut prius. Fides et charitas interna non sunt visibiles, C. A. Fides et charitas exterius manifestatae, quae hoc solum modo sunt forma Ecclesiae, N. A. Fides et charitas manifestantur exterius per professionem verae Religionis, per susceptionem Sacramentorum, aliaque pia opera. Externa opera quod attinet, saepissime certitudine morali negativa manifestant nobis fidem et charitatem operantis.

XII. *Dices III.* Dantur duae Ecclesiae: Una, quae per communionem eorumdem Sacramentorum colligit bonos et malos; haecque aliquando visibilis est, aliquando disparet: Altera, quae ex solis praedestinatis constat, estque invisibilis, de qua dicitur in Symbolo Apostolico: *Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Ergo recte asseritur veram Christi Ecclesiam esse invisibilem. R. N. A. Haec duplicis Ecclesiae distinctio est prorsus commentitia, nec fundamentum habet in Scriptura aut traditione. Praeterea Praedestinati, qui juxta Protestantes Ecclesiam invisibilem constituunt, fidem accepere ex auditu, Sacramenta a Ministris recipiunt: signo externo tenentur profiteri quod credunt: vetantur communicare cum infidelibus. Ergo illorum Ecclesia est coetus et societas visibilis.

XIII. *Dices IV.* Credimus dari veram Ecclesiam. Ergo vera Ecclesia non est visibilis. P. C. Quod est fidei objectum, non potest conspici. Sed vera Ecclesia est fidei objectum. Ergo non potest conspici. Ergo non est visibilis. R. C. A. N. C. Ad *probat.* R. I. retorquendo. De fide est, Samsonem vulpes inter se colligasse. Sed quod de fide est, est invisibile. Ergo vulpes Samsonis erant invisibiles. R. II. D. M. Quod est fidei objectum non potest conspici sub ea ratione, sub qua est fidei

objectum C. M. Sub ea ratione, sub qua non est fidei objectum, N. M. Et D. m. Vera Ecclesia est fidei objectum, id est, fide divina credimus, Ecclesiam Christi veram habere fidem, C. m. Fide divina credimus, hanc multitudinem hominum unam constituere congregationem, quae eisdem utatur Sacramentis, N. m. et Conseq. Hanc multitudinem hominum videmus, et dignoscimus ex professione fidei, et cultu externo: at vero quod coetus iste hominum veram Ecclesiam constituat, non videmus, sed credimus propter revelationem divinam, per motiva credibilitatis sufficienter propositam. Caeterum quod idem sub diversa ratione et motivo credi possit, atque evidenter cognosci, patet ex Dei existentia, quam ex creaturis evidenter cognoscimus, et fide divina credimus ob Dei revelationem.

CONTROVERSIA II.

AN VERA CHRISTI ECCLESIA DEBEAT ESSE PERPETUA ET INDEFECTIBILIS?

Contra Protestantes.

XIV.

Non hic in quaestionem adducitur infallibilitas Ecclesiae, sed indefectibilitas tantum quoad durationem. Quaeritur enim, utrum vera Christi Ecclesia ex sua conditione sit ita firma et visibilis, ut non tantum nunquam omnino hactenus latuerit, sed futuris temporibus nunquam latere possit, aut subrui. Lutherus et

Calvinus solam invisibilem Ecclesiam fore perpetuam dicunt, visibilem vero et deficere posse, atque etiam actu defecisse quinto aut sexto post Christum natum saeculo. Qua in re errores secuti sunt Donatistarum, et Luciferianorum, qui teste *Hieronymo* in Dial. contra Luciferianos, Cap. I. docebant, antiquam Ecclesiam de Ecclesia factam esse lupanar.

XV. *Conclusio.* Vera Christi Ecclesia debet esse perpetua et indefectibilis; ideoque usque ad finem saeculorum perdurabit, eritque visibilis. Prob. Conclusio I. Authoritate Scripturarum. Isaiae Cap. LXI. dicitur: *Foedus perpetuum feriam eis, et scient in Gentibus semen eorum, et germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Haec verba intelligenda esse de Ecclesia novi Testamenti, ipse Christus Dominus docuit Lucae IV. Danielis Cap. II v. 44. *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur.* Matth. Cap. ult. v. 20. ait Christus: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Et Joan. XIV. v. 16. *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis.* Item Matth. XVI. *Super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* At si deficeret Ecclesia, portae inferi adversus eam praevalerent: nusquam igitur defectura est.

XVI. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Ambrosius Lib. de Salomone, Cap. IV. ait: *Navem, Ecclesiam debemus accipere, — — — quae etsi undarum fluctibus aut procellis saepe vexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium, quia in arbore ejus, id est, in*

Cruce Christus erigitur, in puppi Pater residet Gubernator, proram Paracletus servat Spiritus. Hanc per angusta hujus mundi freta duodeni in portum remiges ducunt, id est, duodecim Apostoli. S. Hieronym Comment. in Cap. IV. Isaiae: *Super petram fundata Ecclesia nulla tempestate concutitur, nullo turbine, ventisque subvertetur.* S. Chrisost. in Orat. Quod Christus sit Deus: *A die, qua dictum est, constat Ecclesia solida et stabilis, ac invicta, florens ac fulgens, et in dies magis ac magis vigens, crescens et plus roboris sumens, et omnibus, qui ab illo die usque ad Domini adventum futuri sunt, praestans, ut summos inde fructus, et ineffabilem utilitatem capere queant.* S. Augustinus. In Psalmum LXXI. *Putant* (gentiles) *religionem nominis Christiani usque ad certum tempus in hoc saeculo victuram, et postea non futuram. Permanebit ergo cum sole, quamdiu sol oritur, et occidit, hoc est, quamdiu tempora ista volvuntur, non deerit Ecclesia Dei, id est, Christi corpus in terris.* Enarratione II. in Psalm. CI. *Illa Ecclesia, quae fuit omnium Gentium, jam non est, periit. O impudentem vocem? illa non est quia tu in illa non es? Vide ne tu ideo non sis: Nam illa erit, etsi tu non sis. Hanc vocem abominabilem et detestabilem, praesumptionis, et falsitatis plenam, nulla veritate suffultam, nulla sapientia illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, praecipitem, perniciosam, praevidit Spiritus Dei etc.* Epist. XCIII. alias XXVIII. ad Vincentium Rogatistam, Cap. IX. *Ecclesia, quae per omnes Gentes crescit, in frumentis Dominicis conservata est, et usque in finem, donec omnino omnes Gentes etiam barbaras teneat, conservabitur.* Lib. II.

contra litteras Petiliani, Cap. XXVI. *Absit quidem ut Dominicum frumentum, quod per totum agrum, id est, hunc mundum, usque ad messem, id est, usque in finem saeculi, inter zizania crescere jussum est, vestris maledictis interiisse credatur.* Sermone II. in Psalm. CIII. *Nutabit Ecclesia, si nutaverit fundamentum: sed unde nutabit Christus, qui antequam veniret ad nos, et carnem susciperet, omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil; qui omnia continet majestate, et nos bonitate? Non nutante Christo, non inclinabitur in saeculum saeculi. Ubi sunt qui dicunt periisse de mundo Ecclesiam, quando nec inclinari potest?*

XVII. Prob. III. Ratione. Deus ex una parte serio vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis pervenire: ex altera parte vult ut omnes homines veram ingrediantur Ecclesiam, hocque praeceptum pro omni tempore obligat. Ergo vera Ecclesia perdurabit usque ad finem saeculorum; alias homines destituerentur medio ad salutem necessario. Ergo Ecclesia semper erit visibilis; alias homines agnoscere illam non possent, multoque minus eam ingredi.

OBJECTIONES.

XVIII. *Objicitur I.* Authoritas Scripturarum. Isaiae Cap. I. v. 3. dicitur: *Israel me non cognovit.* II. Jeremiae Cap. II. v. 29. *Omnes dereliquistis me, dicit Dominus.* III. II. Paralipomenon Cap. XV. v. 3. *Transibunt dies multi in Israel absque Deo vero, et absque Sacerdote doctore, et absque lege.* IV. Danielis IX. v. 27. *Deficiet hostia et Sacrificium.* V. Lucae XVIII. *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* VI. II. ad Thessal. II.

v. 3. scribit Apostolus, magnam diem Domini venturam non esse, *Nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis.* Ergo saltem temporibus Antichristi Ecclesia deficiet. R. ad I. et II. cum *S. Augustino* Lib. de Unitate Ecclesiae, Cap. XIII. Propheticas illas increpationes universum populum Israel non spectare, sed partem solum maximam, quamvis ad populum universum dirigantur. Prophetae enim saepe per synecdochen totum pro parte accipiunt. Ad III. Azarias loquitur de Israele tantum, non de Juda. Ergo non de tota Ecclesia. Praeterea exempla ex veteri Testamento petita ad rem praesentem non faciunt; non enim veterem Ecclesiam Judaicam, sed veram Christi Ecclesiam ad finem usque saeculorum perduraturam esse contendimus, ob perspicuas Christi promissiones. Ad IV. Jerosolymitani Templi eversionem, et cessationem sacrificii Judaici l. c. praedixit Daniel. Ergo perperam haec verba ad Christiani Sacrificii cessationem a Protestantibus detorquentur. Ad V. Verba Christi non significant, quod peritura sit fides de orbe terrarum, sed quod perfecta et eximia fides vix tunc invenienda sit, propter justorum paucitatem, et iniquorum multitudinem. Ita locum hunc explicant *S. Austinus* Lib. de Unitate Ecclesiae, Cap. XV. Et *S. Hieronymus* in Dialogo adversus Luciferianos. Adde, quod verba illa Christi sint interrogantis, non asserentis. Ad VI. Discessio per metonymiam vocatur ipse Antichristus, quia causa erit, cur multi discedant a Christo. Ita *Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius*, et *S. Augustinus* Lib. XX. de Civit. Dei, Cap. XIX. *S. Hieronymus* Epist. CLI. ad Algasiam putat, per discessionem intelligi defectionem ab Imperio

Romano, quam idcirco diserte exprimere noluerit Apostolus, ne Romanos offenderet, quibus persuasum erat constans ac perpetuum fore suum Imperium.

XIX. *Dices. I. Apocalypsis* XII. v. 6. *Mulier*, per quam intelligitur Ecclesia, *fugit in solitudinem*, *ubi habebat locum paratum a Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta.* Ergo Ecclesiam tempore Antichristi deficiet, et erit invisibilis. R. C. A. N. C. Per mulierem fugientem in solitudinem intelligunt Patres Ecclesiam temporibus Antichristi, quibus multi quidem metu mortis in solitudines fugient, non tamen omnes; multi enim resistent Antichristo usque ad profusionem sanguinis. Ergo neque tunc Ecclesia deficiet.

XX. *Dices II.* Ecclesia in Scripturis comparatur Lunae, ut Patres interpretantur, v. g. Cantic. VI *Pulchra ut Luna.* Ergo quemadmodum Luna notatur deficere: ita etiam Ecclesia. R. D. A. Comparatur Lunae quoad pulchritudinem, C. A. Quoad mutabilitatem, N. A, et C. Praeter pulchritudinem Ecclesia Lunae comparari potest I. Quod utraque sub initium sit exigua; crescat vero paulatim, donec totum expleat orbem. II. Quod Luna lumen suum accipiat a sole, Ecclesia a Christo Sole justitiae. III. Quod sicut Luna mutationi, ita Ecclesia vicissitudini pacis et persecutionis sit obnoxia.

XXI. *Objicitur II.* Historia Sacra. Ecclesia saepius defecit, itaque obscurata est, ut fuerit aliquo tempore invisibilis. Ergo non est perpetua et indefectibilis. P. A. I. Initio mundi Adam et Eva peccando fidem amisere. II. Tempore Noe, ut dicitur Genes. Cap. VI. *Cuncta cogitatio cordis intenta erat ad malum. - - - Omnis quippe caro corruperat viam suam super terram.*

III. Aaron Summus Sacerdos proposuit in deserto vitulum aureum adorandum: *Atque immolantes ei hostias dixerunt*: (Hebraei) *Isti sunt Dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti*. Exodi XXXII. v. 8. IV. Tempore Manassis Regis Juda nulla fuere publica ministeria, nulli conventus, nulla Sacramenta. V. Tempore Passionis Christi Apostoli defecerunt a Christi fide dicente Domino Matth. XXVI. *Omnes scandalum patiemini in me ista nocte*. VI. Synagoga, quando Christum ad mortem damnavit, defecit. Ergo. R. N. A. Ad I. Adam et Eva per peccatum inobedientiae non fidem, sed charitatem amiserunt; alias defecisset etiam Ecclesia invisibilis, quod Protestantes non admittunt. Ad II. Temporibus Noe, licet non multi, extiterunt tamen aliqui justi, Noe cum filiis et uxoribus eorum, Lamech Noemi pater, Mathusalem, aliique, qui paulo ante diluvium morti sunt. Praeterea quamvis homines temporibus illis passim impii fuerint; fidem tamen non amiserunt cum Idolatriae origo ad tempora post diluviana referatur. Ad III. Moyses, qui tunc erat Judaicae Ecclesiae caput visibile, (quia Aaron nondum inauguratus erat summus Pontifex) erroris criminisque totius plebis non fuit particeps, et Levitae omnes ab eo crimine alieni fuerunt. Adde, quod sufficienter probari nequeat, reliquos omnes Israelitas in tantum flagitium consensisse. Ad IV. R. cum *Card. Peronio* in Responsione ad Regem Angliae, Cap. LXXXXIII. etiam tunc temporis Ecclesiam fuisse visibilem, etiamsi nulli coetus publici haberentur; quia multi obstiterunt perfidiae Manassis, quos inter Isaias Propheta, et fuso sanguine Ecclesiam illustrarunt. Ad V. Tempore passionis defecit constantia et fortitudo, minime vero fi-

des Apostolorum. Christus exprobravit Apostolis incredulitatem eorum, id est, tarditatem ad credendam resurrectionem Domini, quia putabant Christum figurate tantum ressurrectionem suam praedixisse. Ad VI. Synagoga non erat Ecclesia universalis, cum extra illam aeterna salus potuerit obtineri: nec a Deo instituta erat, ut usque ad finem Saeculorum permaneret; sed debuit desinere praesente Christo, sicut evanescit umbra et figura fulgente Sole et veritate. Quare Synagoga repudiata tunc fuit cum suis caeremoniis et sacrificiis, in ejusque locum successit Ecclesia Christi.

XXII. *Objicitur III.* Infirmitas argumenti nostri ex Scripturis petiti. Promissio a Christo Ecclesiae facta de ejus perpetuitate non est absoluta, sed conditionata; si nimirum Fideles officio suo non defuerint. Ergo cum purificatio hujus conditionis sit valde incerta, ex Scripturis solide probari nequit absoluta Ecclesiae perpetuitas. P. A. Promissio illa est similis huic Joan. VIII. v. 31. *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem.* Ergo. R. N. A. nullum enim in Scripturis, aut traditione extat conditionis hujus vestigium. Ad *probat.* N. A. In posteriori textu *Joan. VIII.* clare exprimitur conditio, ibidemque Christus particulares Judaeos in ipsum credentes alloquitur. Contra promissiones Ecclesiae factae nullam prorsus conditionem exprimunt: factae sunt toti Ecclesiae; et si conditionem includerent, forent ridiculae, quia hunc haberent sensum: Ecclesia non errabit, si a veritate non deflexerit; puram doctrinam tradet, si eam non corruperit.

XXIII. *Dices.* Eadem promissio, quae facta est Ecclesiae, facta est etiam Synagogae, et Templo Salomonis. Ergo cum Synagoga repudiata fuerit, et Tem-

plum lapsu temporis eversum, promissio illa non intelligenda est de perpetuitate stricte tali, sed de duratione tantum per multa saecula. R. N. A. Quod Deus Synagogae perpetuitatem stricte talem non promiserit, patet tum ex eventu, tum etiam ex eo, quia per *Danielem* Cap. IX. expresse ac diserte denuntiavit, cessaturum esse sacrificium et hostiam; per *Jeremiam* autem Cap, XXXI. novam Legem promulgandam fore a Messia. Vide dicta Tract. II. Num. XXXIX: At vero neque ex Verbo Dei scripto, neque tradito habetur, promissionem Ecclesiae factam intelligendam esse de perpetuitate minus stricte et improprie sumpta: immo contrarium ostendunt verba Scripturae, quae expressius inculcant perpetuitatem Ecclesiae stricte talem, et universalis Patrum ac Doctorum Ecclesiae consensus.

XXIV. *Objicitur IV.* Authoritas Patrum. *S. Hilarius* Lib. contra Auxentium innuit, Ecclesiam suis temporibus adeo obscuratam fuisse, ut in latebris tantum et cavernis inveniretur: adeoque visibilem Ecclesiam defecisse. *Unum moneo*, inquit, *cavete Antichristum: male enim vos parietum amor capit: male Ecclesiam Dei in tectis aedificiisque veneramini: male sub his pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est in his Antichristum esse sessurum? Montes mihi, sylvae, et lacus, et carceres, et voragines sunt tutiores: in his enim Prophetae aut manentes, aut demersi, Dei Spiritu prophetabant.* II. S. Chrisost. Hom XLIX. Operis imperfecti in Matthaeum docet, Ecclesiam quandoque nullo visibili signo dignosci, solasque tunc Scripturas consulendas esse. R. ad I. S. Hilarius non loquitur de Ecclesia universa; sed tantum de Ecclesia Mediolanensi, quam infestabat Auxentius Episcopus Arianus, multos

pervertens, omnes ferme decipiens simulata Catholici nominis professione. Quapropter S. Hilarius Catholicos Mediolanenses monet, ne cum Auxentio in Ecclesiam conveniant, et sacros conventus in sylvis potius et Cavernis agant, quam haeretica communione foedentur. Ad II. R. Opus illud non esse S. Chrysostomi, sed haeretici cujusdam, aut ab haereticis fuisse vitiatum. Hom. enim XLVIII. Homoausiani vocantur heretici. Vide hac de re plura apud *Natalem Alexandrum* in Hist. Ecclesiastica Saeculi IV. Cap. VI. Artic. XXIX. Num. VII.

CONTROVERSIA III.

AN DENTUR NOTAE VERAE CHRISTI ECCLESIAE, ET AN ILLAE SINT SINCERA PRAEDICATIO VERBI DEI, ET LEGITIMUS SACRAMENTORUM USUS?

Contra Protestantes.

XXV.

Notarum nomine veniunt certi quidam characteres, proprietates ac signa, quibus vera Christi Ecclesia ab omni alia ita discriminatur, ut iis cognitis nemo prudenter dubitare possit, quin illa sit vera Christi Ecclesia, in qua ejusmodi notae deprehenduntur. Itaque notae illae debent I. notiores esse ipsa Ecclesia; ignotum enim per notius cognoscitur. II. Debent verae Ecclesiae evidenter convenire, evidentia nempe credibilitatis; alioquin vera Ecclesia Christi non posset certo ac per-

spicue cognosci: Et quidem soli verae Ecclesiae, ita ut saltem collective sumptae alteri non conveniant; alias vera Ecclesia sufficienter discerni non posset a coetibus haereticorum, cum nulla res discernatur per signum aliis commune. III. Notae illae debent esse clarae quoad omnes, et non tantum quoad doctiores; ita ut a rudibus etiam perpensae, valeant eos ducere in cognitionem verae Ecclesiae, sicque possint etiam illi veram Ecclesiam ingredi. Caeterum sermo nobis hic est cum haereticis, minime vero cum aliis sectis Antichristianis, quarum asseclae ut ad agnitionem verae Ecclesiae perducantur, aliis argumentis convinci solent, ut diximus Tractatu II. Articulo I. de vera Religione.

XXVI. Protestantes, quamvis ex eorum principiis sequeretur, nullas assignari posse notas verae Ecclesiae, eo quod doceant Ecclesiam ex solis praedestinatis constare, esseque invisibilem; communiter tamen geminas admittunt, nimirum sinceram Verbi Dei praedicationem, et legitimum Sacramentorum usum. Catholici eas, alii plures, alii pauciores statuunt, quae tamen commode ad quatuor principales revocari possunt, nempe unitatem, universalitatem, sanctitatem, antiquitatem, juxta doctrinam Symboli CPolitani I. *Et in unam, sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam.* Unitas et Universalitas vocantur notae *negativae*; quae si adsint, se solis spectatae, non illico veram Ecclesiam efficiunt: si tamen desint, Ecclesiam illam certae falsitatis arguunt. Antiquitas et sanctitas notae dicuntur *positivae*, vel *affirmativae*, quae nemini alii convenire possunt, quam verae Christi Ecclesiae.

XXVII. *Conclusio I.* Vera Christi Ecclesia debet notas aliquas habere, ex quibus clare discernatur ab

omnibus aliis falsis sectis. Prob. I. Authoritate Symbolorum Apostolici, et CPolitani I. II. Authoritate Patrum. *S. Hieronymus* in Dial. adversus Luciferianos duas recenset, continuam ab Apostolis ad nos usque durationem, et ipsam Christiani nominis appellationem. *S. Augustinus* Lib. contra Epistolam fundamenti, Cap. IV. sex enumerat, nempe consensum populorum, miracula, sanctitatem morum, vetustatem originis, successionem Sacerdotum ab ipsa Sede Petri ad praesentem Episcopatum, ipsum Catholicae Ecclesiae nomen. *Vincentius Lerinensis* Commonitorii Cap. III. tres appellat, universitatem, antiquitatem, et consensionem. III. Ratione. Cum extra Ecclesiam salus obtineri nequeat, cuilibet incumbit gravis obligatio quaerendi Ecclesiam veram, eamque ingrediendi. Ergo cum Deus neminem obliget ad impossibilia, debet Ecclesia quasdam habere notas, per quas dignoscatur a falsis sectis.

XXVIII. *Conclusio II.* Neque sincera Verbi Dei praedicatio, neque legitimus Sacramentorum usus sunt genuinae notae, quibus discerni queat vera Christi Ecclesia ab omni alia. Prob. I. Vel qualiscunque divini Verbi praedicatio, et qualiscunque Sacramentorum administratio sunt nota verae Ecclesiae, vel legitima tantum, vera, ac sincera. Neutrum potest dici. Ergo. P. m. Non qualiscunque, quia in omni fere secta Christiana Verbum Dei aliquo modo praedicatur, et Sacramenta aliqua administrantur. Ergo quaelibet fere secta Christiana, v. g. Arianorum, Pelagianorum, Nestorianorum, esset vera Christi Ecclesia; quod tamen certo falsum est, cum una tantum sit columba, ac Sponsa Christi: Non legitima, vera, ac sincera; quia nullus fere ex haereticis invenietur, qui in sua secta Verbum Dei since-

re praedicari, ac Sacramenta legitime administrari non contendat. Ergo aliud signum, aliaque nota requiritur, qua sincera Verbi Dei praedicatio, et legitima Sacramentorum administratio a falsa et illegitima discernatur. P. C. Difficilius est dignoscere, quae sit vera Christi doctrina, et quae vera ejus Sacramenta, quam quae vera sit Christi Ecclesia. Ergo cum signum debeat esse clarius re significata, geminae illae notae Protestanticae non sunt notae verae Ecclesiae Christi; immo illae ipsae clarioribus notis indigent. P. A. Ut certo cognoscatur, quae sit vera Christi doctrina, et quae legitima Sacramenta, tria certo constare debent. I. Verbum scriptum, in quo doctrina illa continetur, esse revera genuinum Dei Verbum. II. Versiones Scripturarum esse fidelissimas, et ab omni errore, saltem quoad mores et fidem, immunes. III. Quisnam sit illius loci legitimus sensus. Atqui hoc maxime difficile et arduum est doctioribus, omnino vero impossibile a rudibus dignosci et explorari. Ergo notae illae Protestanticae non sunt genuinae, quia obscuriores sunt re significata.

XXIX Probat. II. Notae illae sunt nugatoriae et identicae. Ergo non sunt genuinae notae verae Ecclesiae. P. A. Quando quaeritur, quaenam sit vera Christi Ecclesia, hoc ipso quaeritur, in quanam Ecclesia Verbum Dei sincere praedicetur, et Sacramenta legitime administrentur. Ergo notae illae sunt nugatoriae et identicae. Quare idem facere videntur mihi Protestantes, quod ille, qui peregrino cuidam interroganti quaenam domus sit Praetoris aut Consulis, responderent, eam ipsam esse, in qua Praetor vel Consul habitant.

XXX. Prob. III. Argumento ad hominem. Ecclesia Catholica mille annis ante Lutherum et Calvinum,

vel habuit notas illas a Protestantibus assignatas, vel non habuit? Neutrum potest dici. P. m. Si non habuit: ergo saeculo VI. non fuit vera Ecclesia Christi, utpote notis illis destituta. Ergo Ecclesia Christi saeculo illo periit, cum alia assignari nequeat, quae tunc temporis Catholicae Ecclesiae successerit. Si habuit illas notas; Protestantes vel ostendere debent praedicationem Verbi Dei, et Sacramentorum administrationem fuisse in Ecclesia Catholica subsequentibus temporibus immutatam, quod certe nunquam evincent: vel fateri tenentur Ecclesiam Catholicam etiamnum esse veram Christi Ecclesiam, a qua proin perperam recesserunt.

OBJECTIONES.

XXXI. *Objicitur I.* contra I. Conclusionem, Notarum inutilitas. Notae non sunt necessariae ad cognoscendum id quod est visibile. Sed vera Ecclesia Christi est visibilis. Ergo. P. M. Ad cognoscendum Regnum aliquod, vel imperium; non sunt necessariae aliquae notae, quia illud per se est visibile. Ergo a pari. R. I. retorquendo. Christus in terris degens erat visibilis. Ergo non erant necessariae notae aliquae, quibus tanquam verus Messias agnosceretur? R. II. N. M. et D. m. Vera Christi Ecclesia est visibilis quoad externam professionem fidei, C. m. Quoad fidem internam, seu ipsam veritatem fidei et Sacramentorum, N. m. Quamvis Ecclesia, quae formaliter constituitur per unionem hominum eamdem fidem sub uno supremo Pastore profitentium, sit visibilis; veritas tamen fidei internae in se non videtur, sed debet evidenter fieri credibilis per certas notas di-

stinctas. Ad *probat.* N. A. nam Imperia illa et Regna ut cognoscantur, et discriminentur ab aliis, debent habere certas notas et characteres, v. g. regionem, nomen, sigillum etc.

XXXII. *Dices. I.* Per notas Ecclesia non potest dignosci. Ergo sunt inutiles. P. A. Notae illae desumuntur a Symbolis, Patribus, et Scripturis. Ergo prius sciri debet, hanc esse veram Ecclesiam, quae Scripturas tradit et Symbola. Ergo Ecclesia praesupponitur ad notas. R. N. A. Ad *probat.* C. A. D. C. Ergo prius debet sciri in genere dari veram Ecclesiam Christi, C. C. Hanc determinatam, de qua quaeritur, esse veram Christi Ecclesiam, N. C. Cum Protestantes, quibuscum agimus, admittant divinas Scripturas, et Symbola primis Ecclesiae saeculis edita, recte ex illis desumimus notas, probamusque eas soli Ecclesiae Romano-Catholicae convenire; ideoque eam solam veram esse Ecclesiam Christi.

XXXIII. *Dices II.* Si notae essent necessariae ad inquirendam et discernendam veram Ecclesiam a falsa, deberet certo constare, quot et quales sint. Atqui non constat; nam CPnum I. quatuor assignat, S. Hieronymus duas, Vincentius Lerinensis tres, Bellarminus quindecim, Thomas Bozius centum, alii plures, alii pauciores. Ergo. R. C. M. in suo sensu, et N. m. Quamvis alii plures, alii pauciores enumerent; in praecipuis tamen ac primariis omnes conveniunt.

XXXIV. *Objicitur II.* contra II. Conclusionem Ratio Theologica. Ubi Christus est, ibi est Ecclesia. Sed ibi Christus est, ubi est sincera praedicatio Verbi divini. Ergo ubi est sincera praedicatio Verbi divini, ibi est Ecclesia. Ergo sincera praedicatio Verbi divini

est nota verae Ecclesiae. II. Id, per quod dignoscitur ovile Christi, est nota Ecclesiae. Sed praedicatione dignoscitur ovile Christi. Ergo praedicatio est nota Ecclesiae. III. Nota est id, quo populus dignoscitur. Sed Verbi divini praedicatione populus dignoscitur. Ergo praedicatio Verbi divini est nota Ecclesiae. R. ad I. concesso syllogismo, nego ultimam consequentiam ob rationes paulo ante allatas. Omnes qui dubitant an haec sit vera Christi Ecclesia, dubitant etiam de sincera praedicatione Verbi divini in illa Ecclesia; adeoque obscurum per aliud aeque obscurum, aut omnino obscurius cognosci nequit. Ad II. C. M. N. m. Per sinceram praedicationem distinguitur quoad se ovile Christi; sed a dubitantibus non dignoscitur, nisi prius per alia signa sinceritas praedicationis Verbi divini cognoscatur. Igitur praedicatio sincera est distinctivum ovilis Christi, sed non est signum aut nota, quae in suo conceptu dicit manifestationem hujus distinctivi. Ad III. C. M. N. m. Per praedicationem non dignoscitur populus Dei, nisi prius constet de vera Ecclesia, a qua dependet legitima praedicatio.

XXXV. *Dices I.* Nisi praedicatio esset Ecclesiae nota, non praeciperetur pro Ecclesia investiganda. Atqui praecipitur Matth. X. *Euntes autem praedicate, dicentes: Quia appropinquavit Regnum coelorum.* Ergo. R. N. M. Non ideo Ecclesia est vera, quia facta est praedicatio; sed ideo praedicatio est legitima, quia fit jussu et authoritate Christi, et Ecclesiae. Locus ex S. Matthaeo adductus tantum probat, in Ecclesia praedicationem exerceri ut munus proprium, et credentes ad Ecclesiam et salutem trahi; quia praedicatio veritatem, et notas Ecclesiae declarat.

XXXVI. *Dices II.* Ecclesia quaerenda est in Scripturis, et per Scripturas demonstranda. Ergo praedicatio Scripturarum est nota verae Ecclesiae. P. A. *S. Augustinus* Lib. de Unitate Ecclesiae, Cap. III. ait: *Ibi* (in Scripturis) *quaeramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram. - - Nolo humanis documentis, sed divinis oraculis Sanctam Ecclesiam demonstrare.* Ergo Scriptura notior est quam Ecclesia. R. N. A. Notius demonstrandum non est per minus notum: praescindendo autem ab authoritate Ecclesiae, difficilius est cognoscere existentiam et sensum Verbi Dei, quam dignoscere quaenam sit vera Ecclesia Christi. Ad *probat.* C. A. D. C. Ergo Scriptura notior est quam Ecclesia, secundum quid, quando nempe de ipsa conveniunt ambae partes, quando clare loquitur, C. Simpliciter et absolute, N. C. Disputaturus olim Augustinus cum Donatistis, ubinam esset vera Christi Ecclesia; quia Donatistae admittebant Scripturas, illaeque clarae erant, idcirco Scripturis utebatur, ut ostenderet veram Ecclesiam non esse in sola Africa. Caeterum rationem, cur Scripturae divinae adeo perspicue de Ecclesia loquantur, idem *S. Augustinus* assignat Enarratione III. Num. VIII. in Psalm. XXX. quia nimirum plures futurae erant controversiae haereticorum contra Ecclesiam, quam contra Christum: et quia habita certitudine Ecclesiae, ejus authoritate quaelibet quaestio facile dissolvitur.

XXXVII. *Dices III.* Praedicatio pura Verbi divini essentialiter competit verae soli Ecclesiae. Ergo est certissima nota verae Christi Ecclesiae. *Confirm.* Per illud aliqua res distinguitur ab aliis, per quod constituitur. Sed vera Christi Ecclesia constituitur per veram doctrinam Ergo. R. C. A. N. C. Praedicatio pura ac sincera

est obscurior ipsa Ecclesia. Ergo non potest esse nota verae Christi Ecclesiae; cum signum clarius esse debeat suo significato. Ad *confirm*. D. M. Per illud distinguitur ab aliis quoad se, C. M. Quoad nos, N. M.

XXXVIII. *Objicitur III.* Paritas. Falsa doctrina est certa nota falsae Ecclesiae. Ergo vera doctrina est certa nota vera Ecclesiae. II. Per veram doctrinam distinguitur a nobis verus Christianus a falso. Ergo etiam quoad nos vera Ecclesia Christi a falsa. III. Verus Doctor discernitur a falso per veram doctrinam. Ergo etiam Ecclesia vera discernitur a falsa per veram doctrinam. IV. Primitiva Ecclesia dignoscebatur ex vera doctrina Apostolorum. Ergo etiam nostris temporibus Ecclesia Christi hoc modo dignoscitur. R. ad I. D. A. Si aliunde certo constet, quod doctrina sit falsa, C. Secus, N. A. et D. C. si aliunde certo constet, quod Ecclesiae doctrina sit vera et Apostolica, C. Si aliunde non constet, N. C. Atqui sine aliis notis nobis sufficienter non constat, doctrinam Ecclesiae esse veram et Apostolicam. Ergo doctrina non est nota verae Ecclesiae. Ad II. C. A. N. C. Verus Christianus dicitur ille, qui profitetur doctrinam a vera Christi Ecclesia propositam. Ergo veritas doctrinae jam antecedenter ad notitiam veri Christiani praesupponitur. Contra veritas doctrinae non praesupponitur ad notitiam verae Ecclesiae, sed illa est obscurior. Ad III. D. A. Verus Doctor discernitur a falso per veram doctrinam, si doceat res evidenter veras, et modo evidente, C. A. Si doceat res obscuras, aut evidentes etiam sed modo non evidenti, N. A et C. Doctrina verae Ecclesiae non est evidenter vera, id est, non est evidens evidentia veritatis, sed tantum evidentia credibilitatis: neque a nobis ut infallibiliter vera cognoscitur, prae-

scindendo a revelatione divina, atque ab authoritate Ecclesiae. Ad IV. D. A. Dignoscebatur ex doctrina Apostolorum sola, N. A. Ex doctrina Apostolorum confirmata miraculis, prophetiis, aliisque signis credibilitatis, C. A. et N. C.

CONTROVERSIA IV.

AN VERA CHRISTI ECCLESIA DEBEAT ESSE UNA ET QUAENAM SIT ILLA?

Contra Protestantes.

XXXIX.

Conclusio I. Vera Christi Ecclesia debet esse una, unitate doctrinae et Cathedrae seu regiminis sub uno supremo Pastore, qui est caput ejus visibile. Prob. I. pars Conclusionis I. Authoritate Scripturarum I. ad *Cor.* Cap. X. dicitur. *Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Ad Ephes. Cap. IV. *Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* I. ad Cor. Cap. I. v. 10. *Id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia.* I. ad Cor. XIV. v. 33. *Non enim est dissensionis Deus, sed pacis.* Ad Philipp. II. v. 2. *Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes.*

XL. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Irenaeus Lib. IV. adv. Haer. Cap. LXIX. ait: *Nos vero unum et solum verum Deum doctorem sequentes, et regulam veritatis habentes, de iisdem semper eadem dicimus.* S. Athanasius Orat. in illud, *Omnia mihi tradita sunt a Patre*, scribit: *Haec est vera doctrina, hoc est verum signum argumentumque, quod ita ista inter se consentiunt, neque dissident vel inter se, vel inter Patres.* Clemens Alexandrinus Lib. VII. Stromatum. *Ecclesia, quae antiqua et Catholica est; una est propter unitatem fidei.* S. Augustinus Lib. XVIII. de Civit. Dei, Cap. LI. *Videns diabolus templa daemonum destrui, et in nomen liberantis Mediatoris currere genus humanum, haereticos movit, qui sub vocabulo Christiano doctrinae resisterent Christianae, quasi possent indifferenter sine ulla correptione haberi in Civitate Dei, sicut Civitas confusionis indifferenter habuit Philosophos inter se diversa et adversa sentientes. Qui ergo in Ecclesia Christi morbidum aliquod pravumque sapiunt, si correpti ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera et mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, haeretici fiunt, et foras exeuntes habentur in exercentibus inimicis.* Vides, juxta Augustinum Ecclesiam ita esse unam unitate doctrinae, ut omnes omnino haeretici, in quacunque secta contineantur, et quoscunque errores contra fidem consectentur, nullo prorsus excepto, etiamsi fundamentales articulos profiteantur, ad unam et veram Christi Ecclesiam, a qua propter errores quoslibet praecisi sunt, minime pertineant, omnes inquam illi, *qui in Ecclesia Christi morbidum aliquod pravumque sapiunt*, nec emendantur.

XLI. Prob. III. Ratione Theologica. Ex una parte doctrina verae Ecclesiae est doctrina Dei: ex altera parte Deus non potest revelare contradictoria, atque inter se pugnantia, quia Deus est summa veritas: neque authoritatem suam ita parvi pendit, ut liberum hominibus relinquat aliqua credere, vel non credere, quae homines certo sciunt a Deo revelata esse. Ergo Ecclesia in fidei dogmatibus dissidens, non potest esse vera Christi Ecclesia. Praeterea vera Christi Ecclesia est perpetuo duratura. Ergo debet esse una unitate doctrinae, quia ut Christus ait Lucae XI. v. 17. *Omne Regnum in se ipsum divisum desolabitur.*

XLII. Prob. II. pars Conclusionis I. Authoritate Scripturarum. *Joannis* Cap. X. v. 16. ait Christus. *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus Pastor.* Joan. XXI. ait Christus ad Petrum: *Pasce oves meas.* Matth. XVI. *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. - Et tibi dabo claves regni coelorum.* In Scripturis Ecclesia saepe comparatur corpori, regno, domui, navi, exercitui ordinato. Atqui in corpore debet esse caput, in regno Rex, in domo Paterfamilias, in navi gubernator, in exercitu Dux supremus cui omnes pareant. Ergo etiam Ecclesia, cum a Christo sapientissime fuerit ordinata, debet habere supremum caput cui omnes obtemperent, quocum uniantur: et quidem visibile, subordinatum tamen capiti invisibili Christo.

XLIII. Prob. II. Authoritate Patrum. *S. Cyprianus* Lib. de Unitate Ecclesiae, Cap. III. ait: *Unam Cathedram constituit, et unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. - - - Exor-*

dium ab unitate proficiscitur: Primatus Petro datur, ut una Ecclesia, et Cathedra una monstretur. Idem Epist. ad Cornelium LV. *Non aliunde haereses obortae sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, et ad tempus judex vice Christi cogitatur.* S. Hieronymus Lib. I. contra Jovinianum. *Inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto schismatis tolleretur occasio.* S. Ambrosius in Caput IX. Lucae. *Christus Ecclesiae, quam ipse intimo spiritu regit, hominem suae potestatis Vicarium et ministrum praefecit; nam cum visibilis Ecclesia visibili capite egeat, ita Salvator noster Petrum universi fidelium gregis Caput et Pastorem constituit, cum illi oves suas pascendas verbis amplissimis commendavit; ut qui ei successissent, eandem plane Ecclesiae regendae, et gubernandae potestatem habere voluerit.* S. Leo M. Serm. III. de Assumpt. sua ad Pontificatum. *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum Gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur; ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus.* Ex Graecis unus nobis sufficiat *S. Irenaeus* Lib. III. adv. Haer. Cap. III. *Ad hanc enim Ecclesiam* (Romanam) *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quae est ab Apostolis traditio.* Ergo juxta Patres vera Ecclesia Christi debet habere supremum quemdam Judicem Deo subordinatum, et visibilem, qui lites dirimat, concordiam servet, cuique litigantes partes acquiescant.

XLIV. *Conclusio II.* Ecclesia Romano-Catholica est una unitate doctrinae et Capitis. Prob. Est una unitate doctrinae, quia omnes Catholici eosdem fidei articulos, eadem dogmata ab Ecclesia clare definita ubivis terrarum credunt et profitentur, suntque unius cordis, labii unius: neque Protestantes unquam ostendere potuerunt; Catholicos in credendis fidei dogmatibus ab Ecclesia clare decisis, inter se discrepare: aut Ecclesiam tanquam fidei dogma aliquid definivisse, quod antea ut erroneum et fidei contrarium rejecerat; adeo ut cum *S. Irenaeo* Lib. I. adv. Haereses, Cap. III. vere possimus dicere: *Cum hanc praedicationem, et hanc fidem acceperit Ecclesia, et quidem in universum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, et similiter credit, quasi unam animam habens et unum cor, consonanter haec praedicat et docet et tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est.* Est etiam una unitate Capitis visibilis; quia Romanum Pontificem ut Christi Vicarium in terris, et Petri successorem veneratur, ejusque potestati se submittit.

XLV. *Conclusio III.* Ecclesia Protestantium neque est una unitate Capitis, neque unitate doctrinae. I. pars Conclusionis probatione non indiget; videmus enim Protestantes nullum agnoscere Principem saecularem, multoque minus ex ministrorum turba supremum aliquem Sacrorum Praesidem, qui Lutheranis omnibus, aut Calvinianis jus sacrum dicat; sed quemlibet Principem saecularem in sua ditione, independenter ab alio, res Ecclesiae suae ordinare, et ministerium unius urbis aut provinciae authoritatem suam ad alias urbes vel provincias non extendere.

XLVI. Prob. II. pars Conclusionis I. ex apertis antilogiis Lutheri et Calvini, de quibus merito usurpari potest, quod *S. Hilarius* Libro adversus Constantium scribit: *Modo unum, modo alterum cogis Concilium, et in unoquoque varias fidem. Accidit tibi, quod imperitis aedificatoribus, quibus sua semper displicent, accidere solet, ut semper destruas, quod semper aedifices.* Et S. Athanasius Orat. I. contra Arianos. *Illud quoque prorsus mirabile, omnes quotquot sunt haereses, in fingendo diversa pugnantiaque inter se afferre nec alibi nisi in falsitate sibi invicem consentire.* Lutherus Sermone de X. praeceptis, et Concione de morte Tom. I. ait, Sanctos esse invocandos; negat hoc ad Waldenses scribens de adoratione Sacramenti, et Sermone de Mammone. In resolutionibus, et responsione ad Dialogum Sylvestri Prieratis docet Ecclesiam esse infallibilem: Postilla in I. Dominicam Epiphaniae id negat. Lib. de virtute Excommunicationis asserit obediendum esse Praelatis Ecclesiae: negat id Lib. de Captiv. Babylonica. In Resolutionibus ait, Petrum fuisse caput Ecclesiae: negat id in Assertionibus. In Expositione Orationis Dominicae admittit liberum arbitrium: negat id Libro de servo arbitrio contra Erasmum. In Visitatione Saxonica docet observanda esse praecepta Decalogi: negat illis nos teneri in Cap. XX. Exodi. Sermone de Eucharistia admittit transubstantiationem: negat illam Lib. de Captivit. Babilonica. Plurimas, easque manifestas Lutheri contradictiones exhibet *Jodocus Coccius* in suo Thesauro Controversiarum, Lib. VIII. de signis Ecclesiae, Artic. VII. et *Card. Gotti* de Vera Christi Ecclesia, Cap. X.

XLVII. Mirabili prorsus excusationis genere utuntur Lutherani, ut parentis sui famam tueantur; ajunt

enim id nulla dignúm esse admiratione quod Lutherus a se ipso saepius dissentiat: initio praedicationis suae necdum sufficienter illuminatum fuisse, idemque illi accidisse, quod ei qui e tenebris in clarissimam lucem educitur. Verum si hoc excusationis genus valeret, crassissimi haeresiarcharum errores hac spongia facili negotio abstergerentur, dicendo, cum haec scriberent docerentque, coelesti luce nondum satis collustratos fuisse. Certe in Ecclesia Dei hactenus inauditum est, missum a Deo fuisse Apostolum aut Prophetam ad peragenda munia sua nedum satis coelitus edoctum et illustratum, qui sibi turpiter adeo contradixerit, et quidem post plures praedicationis suae annos. Licebit ne nobis a Lutheranis tempus illud beatissimum exquirere, quo Lutherus coelesti luce sufficienter perfusus est? Quamnam illustrationis hujus Epocham statuunt? Hanc si figere nequeant, valde illis metuendum est, ne doctrinae furfures pro auro amplectantur.

XLVIII. Eadem prorsus fuit *Joannis Calvini* inconstantia et levitas. Lib. I. Institut. Cap. XVIII. Et Lib. III. Cap. XXIII. asserit Deum authorem esse peccati: negat id in Harmonia, et ad Cap. IV. Matth. In III. caput S. Joan. asserit neminem salvari posse absque baptismo: negat hoc Lib. IV. Institut. Cap. XVI. Libro I. Instit. Cap. XV. docet, Adamum habuisse liberum arbitrium ante peccatum: negat id Lib. III. Cap. XVIII. Lib. IV. Institul. Cap. XVIII. duo tantum admittit Sacramenta, Coenam et Baptismum: At vero Cap. XIX. tria statuit, nempe praeter duo priora, etiam Ordinem. Affirmat Christum de sua salute non desperasse ad Cap. XXVI. et XXVII. Matth: negat Lib. II. Instit. Cap. XVI. Christi mortem nobis profuisse asserit ad Cap. XXII. Lucae: negat id Lib. II. Institut. Cap. XVI.

XLIX. Prob. II. Lutherani ab ipsis Lutheranis, Calviniani a Calvinianis, atque ambo a se invicem in gravissimis materiis dissident. Ergo in Ecclesia Protestantica non datur unitas doctrinae. P. A. I. ex Colloquio Vormatiensi A. C. 1557. et Altenburgico A. C. 1568. in quo convenerant Theologi Lutherani Saxonici, Ducales et Electorales, ad sanciendam inter se concordiam: sed frustra; nihil enim effectum est, quam ut utraque pars mutuis se convieiis proscinderet, Servetianos, Antinomos, Enthusiastas, Manichaeos, Epicuraeos, Pseudoprophetas, stolidos, talpis caeciores, spectra fugacia, sycophantas, falsarios, impios, errorum et corruptelarum palliatores, agyrtarum et praestigiatorum similes, furoris aestu percitos etc. appellitando. II. Ex Lutheri discipulis, qui in gravissimis materiis nunquam inter se convenerunt. Tales sunt Carolostadius, Miinzerus, Stifelius, Agricola, Georgius Major, Osiander, Melanchton, Stancarus, Ambsdorffius, Brentius, Illyricus etc. ex quibus nati sunt Lutherani molles et rigidi, Confessionistae, Antinomiani, Flacciani, Synergistae, Adiaphoristae, Anabaptistae, Osiandrini, Stancariani, Ubiquistae, Majoristae, Concordistae etc. Eadem de causa Calvinistae conventus celebrarunt, vocatis sectae suae Theologis, Bernae, Dordraci, Hagae Comitum, Londini etc. sed frustra; pluribus enim in rebus, iisque gravissimis, etiamnum inter se dissident. Certe Angli, Bremenses, et Brandeburgici Calviniani rejecerunt, et hodiedum abominantur doctrinam Dordracenae Synodi de praedestinatione, et morte Christi pro solis praedestinatis.

L. Multo autem minus conveniunt inter se Lutherani et Calviniani. Notae sunt simultates quas *Lutherus* cum Sacramentariis, Calvino et Tigurinis exercuit.

In brevi sua Confessione ab *Hospiniano* relata Parte II. Histor. Sacrament. ait, *Zvvinglianos jure vocari posse panivoros, vini bibones, immo animarum latrones; neminem pro illis orare posse. Blasphemos in Deum et Christum, damnatam sectam, mendaces homines, maledicos, superbos et arrogantes spiritus, Sacramentorum profanatores, ac hostes: nec illorum consortium recipere, nec litteras, libros, salutationes, benedictiones etc. admittere se decrevisse.* Noti sunt libri selectis referti conviciis, quibus Lutherani Calvinianos, hique illos acerbissime impetunt. *Calvinus* Admonitione III. ad Joachimum Westphalum Lutheranos his titulis ornat: *Lutherani homines sunt vertiginosi, Cyclopes, superba factio Gigantum, phrenetici, bestiae, prodigiose caeci, desperate impudentes, nihil aliud quam falsarii et improbi calumniatores, protervi, plus satis bardi.* Oecolampadius in Responsione ad Confessionem Lutheri, de primo et secundo hujus libro ait: *Priorem illum librum a daemone auspicatur nuper; hunc vero ejusdem auspiciis absolvit.* Habita fuere colloquia ad conciliandam inter illos pacem et concordiam, Marpurgi, Norimbergae, Augustae, Mumpelgardiae etc. frustra tamen fuerunt. A Calvinistis ut fratres agniti sunt Lutherani in Synodo Carentonica A. 1631, hunc tamen fraternitatis titulum rejecerunt Lutherani Daniae et Sueciae. Hinc de ineunda concordia etiamnum a Lutheranis et Calvinianis desperatur: meritoque deridendi sunt Protestantes, qui ex sectis suis unum Corpus Evangelicum conflari buccinant. Ut enim nihil dicam de Evangelici nomine, quod a conculcato Evangelio illis tantum tribui potest, sicut Scipioni nomen Africani a devicta Africa; qui vocari poterunt unum corpus, quo-

rum doctrina eadem non est, sed plurimis in rebus iisque gravissimis prorsus diversa, atque e diametro opposita? Nempe eo forsitan ex capite unum corpus Evangelicum se nuncupant, quia communibus studiis Catholicam veritatem oppugnant, consueto Sectariorum omnium more, ut jam olim observavit S. Hieronymus Commentario in Cap. VII. Isaiae scribens: *Qui inter se discrepant, in Ecclesiae oppugnatione consentiunt, juxta illud, quod Herodes et Pilatus inter se discordantes, in Domini passione amicitia foederantur.*

LI. Prob. III. ex dissensionibus Librorum Symbolicorum inter se, Doctorum cum libris Symbolicis. Confessio Augustana, Lutheranorum liber Symbolicus, diversas subiit mutationes, ut *David Chytraeus* Lutheranus testatur Libro de Confessionis Augustanae depravatione; Latinaque ejus editio notabiliter discrepat a Germanica. Quin *Laurentius Forerus* scribit, viginti facile ejusdem Confessionis latinas editiones se inspexisse, alias ab aliis notabiliter diversas. Certe Anno 1560. ut refert Illustrissimus *Bossuetus* in Hist. Variationum, Parte II. Lib. III. editionis Latinae, Lutherani Naumburgi in Saxonia convenerunt, ut decernerent quaenam inter tot editiones sit genuina Confessio Augustana, quod omnes authoritate publica impressae viderentur. Elegerunt quidem illi unam, sed addita protestatione, se ideo non improbare caeteras, maxime Vittenbergensem A. 1540. in conspectu Lutheri impressam. Ob varias has mutationes Tigurini Confessionem Augustanam vocabant pyxidem Pandorae, pomum discordiae, pallium largum et amplum ad tegendum simul Christum et Satanam. Jam vero in Praefat. Confessionis Augustanae dicitur, Papam habere potestatem congregandi Con-

cilium Oecumenicum, adeoque is agnoscitur tanquam caput Ecclesiae: contra in Articulis Schmalkaldicis, qui pariter sunt liber Luteranorum Symbolicus, dicitur is Antrichristus: quae plane inter se non cohaerent, cum certum sit, verae Ecclesiae Christi caput esse non posse Antichristum. Articulo III. de Abusibus dicitur, Missam retineri apud Lutheranos, et summa reverentia celebrari: contra Lutherani eam vocant idolatriam, et passim ab iis rejicitur. Neque dici potest nomine Missae intelligi Coenam; de illa enim jam prius actum fuerat in Articulis fidei, Articulo X. et ante illud tempus nomine Missae nemo mortalium Coenam intellexit, sed Sacrificium Eucharisticum. In Apologia Confess. Augustanae Artic. XIII. dicitur: *Vere igitur sunt Sacramenta, Baptismus, Coena Domini, Absolutio, quae est Sacramentum Poenitentiae. Nam hi ritus habent mandatum Dei, et promissionem gratiae, quae est propria novi Testamenti.* Ac paulo ante dictum erat, agi nunc de Sacramentis proprie dictis, ac proin Poenitentia numeratur inter Sacramenta proprie dicta. At vero Lutherani duo tantum admittunt, Baptismum et Coenam, rejecta Poenitentia. Liber Concordiae, a Jacobo Schmidelino Cancellario Tubingensi procusus, ut symbolicus agnoscitur in Saxonia et Wurtembergia: contra illum variis de causis, ac praecipue ob assertam in eo Humanitatis Christi ubique praesentiam detestati sunt Anhaltini, Holsati, Helmstadienses, Bipontini, Nassovi, Pomerani, Megalopolitani, Magdeburgum, Norimberga, Spira, Vormatia, Francofurtum, Argentina, Brema etc. Immo Danorum Rex sub poena exilii prohibuit, ne quis sub litorum suorum huic libro subscriberet, vel exemplar ejus unicum in regnum suum inferret.

LII. Si quaeras, quinam sit fons et origo tantarum divisionum apud Protestantes, Respondeo, alium non esse, quam defectum legitimi Judicis, qui controversias in materia fidei exortas infallibili judicio dirimat et componat. Quare de Protestantibus idem dici potest, quod de sui temporis haereticis scribit Tertullianus Lib. de Praescriptionibus, Cap. XLII. *Mentior si non etiam a regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur quae accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam, et originis suae morem profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare.* Georgius Hornius Calvinista, in Academia Lugduno-Batava Historiarum Professor, sub ementito nomine Honorii Reggii delitescens, in Libro de statu Ecclesiae Britannicae hodierno, diversas sectas CLXXX. enumerat, quae septennii spatio, ab Anno nempe 1640. usque ad Annum 1647. Angliam invaserunt, quas etiam recenset *Laurentius Forerus* in Quaestione vexata, Parte II. Lib. II. Sect. III. Cap. VIII.

LIII. Quae de Protestantium inter se discordia diximus, pari modo intelligenda sunt de aliis etiam sectis ab Ecclesiae Catholicae unitate praecisis. Constat ex Ecclesiastica historia in plures factiones divisos fuisse Arianos, Donatistas, Eutychianos, caeterasque pestes. Nostris temporibus Janseniani, quos merito dixeris brevissimum frustum de majore Calviniano frusto praecisum, in quot minora adhuc frusta minutatim concisa non abierunt? Ex hoc minore Janseniano frusto, minutiora deinceps frustula praecisa sunt, Quesnellistae, Opponentes, Appellantes, Figuristae, Antifiguristae, Convulsionarii, Anticonvulsionarii, Eli-

siani, Augustinistae, adversis viribus, mutuisque odiis inter se digladiantes. Quare Jansenianae sectae, quemadmodum Lutheranis, Calvinianis, aliisque sectis, illud per Galliam accidit, quod sectae Donatistarum per Africam, de qua S. Augustinus Lib. I. contra Epistolam Parmeniani, Cap. IV. scribit: *Multa frusta de ipso frusto per totam Africam facta sunt. ---- ut minutatim secti concisique dispereant, qui tumorem animositatis suae Catholicae pacis vinculo praetulerunt.* Eademque poena crimini maximo consentanea, Deo vindice, de Jansenistarum instauratore Quesnello hac nostra aetate exigitur, quae de Donato Donatistarum auctore Augustini aetate fuit repetita, de quo S. Doctor Lib. de Agone Christiano, Cap. XXIX. ait: *Sicut Christum dividere conatus est; sic ipse a suis quotidiana concisione dividitur.*

OBJECTIONES.

LIV. *Objicitur I.* contra I. Conclusionem, Inutilitas hujus notae. Signum commune Christo et diabolo non potest esse signum distinctivum verae Ecclesiae. Atqui tale signum est unitas in doctrina. Ergo. P. m. De sectatoribus Antichristi dicitur Apocalypsis Cap. XVII. v. 13. *Hi unum consilium habent, et virtutem et potestatem suam Bestiae tradent.* Praeterea talem unitatem habent in dogmatibus suis Mahometani, Judaei, et haeretici. R. D. M. Non potest esse signum positivum verae Ecclesiae, ex quo solo inferatur ejusdem veritas, C. M Non potest esse signum negativum, quod si absit, legitime infertur, non esse sectam illam veram Christi Ecclesiam, N. M. Ex eo solum, quod Ec-

clesia Romana-Catholica sit una unitate doctrinae, non inferimus eam esse veram Ecclesiam Christi; sed ex eo, quod Ecclesia Protestantica hac nota careat, legitime deducimus, eam non esse veram Ecclesiam Christi. Minor propositio optimo jure negari potest, quam non probat locus ex Apocalypsi adductus: quamvis enim Antichristus a plurimis sit recipiendus, ostendi tamen nequit, eos consensuros esse Antichristo in omnibus doctrinae articulis. Quod de Mahometanis dicitur, id omnino falsum est; constat enim eos in plures sectas divisos esse, et Persas pro haereticis haberi a Turcis: quin ipse Alcoranus, et Thalmud Judaeorum plures continent, easque manifestas antilogias. De haereticorum consensione diximus paulo ante Num. LIII. Illud certum est, scriptores saepissime laborare in exponendis illorum erroribus, eoquod pugnantia saepissime docuerint.

LV. *Dices I.* Prius debet constare, quaenam sit vera Ecclesia. Ergo unitas in doctrina est signum inutile ad discernendam veram Ecclesiam a falsa. P. A. vel unita in doctrina vera est signum verae Ecclesiae, vel unitas in doctrina falsa? Non in doctrina falsa, ut per se patet. Ergo unitas in doctrina vera. Ergo prius constare debet de veritate Ecclesiae. II. Unitas non est sensibilis, sed spiritualis. Ergo non potest a nobis deprehendi. R. Ad I. N. A. Ex veritate Ecclesiae non infertur unitas doctrinae; sed viceversa ex unitate doctrinae, quamvis non sola, sed si adjunctas habet reliquas notas affirmativas, cognoscitur vera Christi Ecclesia. Ad *probat.* N. M. Unitas in doctrina est nota negativa verae Ecclesiae, praescindendo an sit unitas in doctrina vera vel falsa. Quod si deprehensum fuerit, in aliqua

Ecclesia dari praeter alias notas unitatem in doctrina, inferimus hanc Ecclesiam esse veram, veramque ab illa tradi doctrinam. Ad II. R. unionem internam quidem esse insensibilem; externam vero, quae consistit in professione unius fidei, et communicatione sub eodem visibili capite, et sensibilem esse, et facile deprehendi posse.

LVI. *Objicitur II.* Discordia primorum Christianorum. Ecclesia Christi primis statim temporibus scissa fuit in plures factiones, Nicolaitas, Cerinthianos, Ebionitas etc. Ergo unitas doctrinae nunquam data fuit in Ecclesia. Ergo non potest esse signum verae Ecclesiae. II. Ipsi Apostolorum Principes Petrus et Paulus, saeculo III. Stephanus et Cyprianus fuere discordes. Ergo. R. C. A. N. C. Hoc ipso enim, quod illi haereticam tradiderint doctrinam, errorem suum pertinaciter tuentes, ab Ecclesia separati fuerunt: unde Ecclesia ab illis turbata est, non tanquam membris, sed tanquam hostibus externis. Ad II. respondimus Tractatu II. Num. XCIV.

LVII. *Objicitur III.* contra II. partem Conclusionis I. Authoritas Scripturarum. Lucae XXII. cum exorta esset contentio inter Apostolos, quis eorum videretur esse major, Christus eos reprehendit, dicens: *Reges Gentium dominantur eorum - - - vos autem non sic.* Ergo non datur Caput visibile Ecclesiae. II. Apostolus ad Ephesios Cap. IV. describens Hierarchiam, nullam facit Capitis visibilis mentionem, sed solum dicit: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et Doctores.* R. C. A. N. C. Christus reprehendit in Apostolis praeminentiam non qualemcunque, sed ambitiose affectatam, eoque tempore, quo Petro claves Regni coelorum nondum tradiderat. Ad II. Apo-

stolus ibi non describit Hierarchiam, sed enumerat tantum dona, quibus fulgebat Ecclesia.

LVIII. *Dices*. Unitas universalis Ecclesiae desumenda est ex ordine, quem habet Caput invisibile, sive Christum, cui populus Christianus unitur per fidem et charitatem. Ergo Ecclesia non debet habere aliud caput visibile. P. C. Si aliud haberet caput visibile, Christus non esset Rex universalis Ecclesiae. R. D. A. Unitas interna et invisibilis, quae habetur per dona interiora gratiae, desumitur ex ordine quem habet ad Christum, C. A. Unitas externa, et visibilis, quae consistit in exteriore directione Ecclesiae, et Sacramentorum participatione, N. A. et C. Ad *probat*. N. illatum Rex, quamvis in sua absentia Vicarium aut Proregem constituat, non id circo Regiam potestatem amittit, sed illam retinet, exercendo eam per Vicarium a se constitutum.

LIX. *Objicitur IV*. Ratio. Ad rectum ordinem gubernationis Ecclesiae sufficiunt particulares Monarchiae, quae in singulis Ecclesiis habentur. Ergo non debet admitti unus in tota Ecclesia supremus Pastor. R. N. A. Subordinatio Pastorum necessaria est ad conservandam unitatem. Hinc S. Chrysostomus Hom. ultima in Epistolam ad Hebr. ait: *Malum est, ubi non existit primatus, et multarum cladium occasio, et confusionis turbarumque principium*. Praeterea Christus non plures, sed unam tantum fundavit Ecclesiam. Quomodo autem unam, si nulla daretur subordinatio Pastorum?

LX. *Dices I*. Si Ecclesia, praeter Christum, unum haberet supremum pastorem, foret biceps, et monstruosa. II. Ecclesia est Corpus Mysticum. Ergo non indiget capite visibili. III. Est Sponsa Christi. Ergo

praeter Christum, alium non habet Sponsum. R. ad I. Immo monstruosa foret, si Ecclesia visibilis nullum haberet caput visibile: biceps vero non est, quia non aliunde quam ab ipso Christo Pontifex potestatem accipit. Ad II. D. A. Est corpus Mysticum, simul tamen visibile, C. A. Mysticum et invisibile, N. A. et C. Ecclesia dicitur corpus Christi mysticum, quatenus membra Ecclesiae constituunt unum corpus morale, a Christo sanctificatum, et gubernandum per internum et invisibilem influxum gratiarum. Ad III. C. A. N. C., quia Sponsus visibilis a Christo Domino constitutus est. Et quamvis Vicarium constituere in physicis desponsationibus, turpitudinem involvat; in moralibus tamen nullam indecentiam continet, ut patet exemplo Regis, qui Regno suo, quod Sponsa Regis vocari potest, Proregem constituit in sua absentia.

LXI. *Objicitur V.* Sequela. Si unitas cum supremo Ecclesiae Capite esset necessaria, sequeretur neminem salvari posse, qui ab hac unitate se separat. Atqui hoc dici nequit. Ergo. P. min. I. Lucifer Calaritanus Episcopus, a quo ortum est Schisma Luciferianorum, ut Sanctus colitur in Sardinia. II. S. Vincentius Ferrerius, quem ipsi Catholici ut verum Sanctum venerantur, Benedictum XIII. Antipapam, seu Petrum de Luna sectabatur. III. Ludovicus Alamandus Cardinalis Arelatensis, acerrimus Concilii Basileensis defensor, et hostis Eugenii IV., post mortem miraculis clarus, a Clemente VII. Beatis adscriptus fuit. Ergo. R. C. M. N. m. Qui a supremo Ecclesiae Capite se separant, quamvis nullum contra fidem errorem alium tueantur, sunt vere Schismatici, ab Ecclesia praecisi, adeoque ab Ecclesia ejecti extra quam aeterna salus obtineri nequit; nisi

forsitan bona fide, atque ex ignorantia omnino inculpabili id agant, paratique sint se illi conjungere, quamprimum ipsis constiterit, eum a quo per errorem se separarunt, verum ac legitimum esse Pontificem. Ad *prob.* R. singillatim. Et ad I. quidem Lucifer Calaritanus, quamvis censuerit non recipiendos esse in suis gradibus Clericos et Episcopos ab Ariana haeresi ad Ecclesiam revertentes, aut qui cum Arianis communicarunt; nunquam tamen ab Ecclesiae unitate se separavit, cum *S. Hieronymus* in Dial. adversus Luciferianos eundem *Beatum* vocet, et *bonum Pastorem*, qualis certe non foret, si in schisma lapsus fuisset. At vero post mortem Luciferi, ejus discipuli, Hilario Diacono duce, eo amentiae prorupere, ut ab Ecclesia se separarent, quod illa lapsos in suis gradibus reciperet, ut colligitur ex *Sozomeno* Lib. V. Cap. XIII. et *Socrate* Lib. III. Cap. IX. *Itaque ipse quidem* (Lucifer) *Ecclesiasticam retinens fidem, in Sardiniam ad propriam sedem recesserat. Hi vero, qui una cum ipso primum fuerant exulcerati, hactenus ab Ecclesia segregati permanent.* Verum quidquid de Lucifero statuatur, is non ab Ecclesia Universali, sed a particulari tantum Sardiniae ut Sanctus colitur. Ad II. S. Vincentius Ferrerius Benedicti, seu Petri de Luna partes aliquo tempore sectatus est bona fide, quia is pro legitimo Pontifice a Gallis et Hispanis habebatur. At vero comperta veritate Antipapam deseruit, omnemque impendit operam, ut Martinus V. in Constantiensi Concilio electus, pro legitimo Christi Vicario a fidelibus agnosceretur. Ad III. R. B. Ludovicus Alamandus specie boni deceptus, nimioque zelo, sed non secundum scientiam, abreptus est. Caeterum quae Basilicae perperam egerat, seria poenitentia

expiavit, ut testantur Saussayus, Spondanus, Attichius, Maimbourg etc. apud *Bollandianos* Tomo V. Septembris ad diem XVI. in Commentario praevio de B. Ludovico Alamando, Cap. VI. Illud omnino exploratum est, Lodovicum Felici V. Antipapae, persuasisse ut Nicolao V. Eugenii IV. Successori se subjiceret, ipsumque Ludovicum in gratiam rediisse cum legitimo Christi Vicario, Nicolao V. Frustra itaque sunt Janseniani, dum inter Beatos invenire aliquem conantur, qui Romanae Ecclesiae decretis constanter se opposuit, nec mentem unquam, ne in morte quidem, mutavit; ac si rebellibus Ecclesiae filiis nihil amplius timendum foret, postquam Beatum aliquem futilibus aliquot ratiunculis exhibere conati fuerint sibi in ribellione similem.

LXII. *Objicitur XI.* contra II. Conclusionem, Discordia Catholicorum in doctrina. Neque inter ipsos Catholicos data olim fuit, aut etiamnum datur unitas in doctrina. Ergo Ecclesia Catholica non est vera Christi Ecclesia. P. A. I. Patres ipsi fuerunt inter se discordes in quaestionibus non tantum scholasticis, sed etiam dogmaticis, ut v. g. S. Cyprianus et Firmilianus in causa rebaptizantium, S. Irenaeus, S. Justinus etc. circa regnum Christi millenarium etc. II. Ecclesia Graeca in multis dissidet a Latina. III. inter ipsos Catholicos litigatur, an liceat sequi sententiam minus probabilem: an Gratia sit intrinsece efficax: an Pontifex Romanus se solo sit infallibilis. IV. Acerrime in Galliis praecipue controvertitur Catholicos inter et Jansenianos, an gratiae interiori possit resisti in statu naturae lapsae: an Christus mortuus sit etiam pro reprobis: an improbi sint membra Ecclesiae etc. R. D. A. Nec data fuit olim, nec etiamnum datur unitas in doctrina circa

ea, quae clare ab Ecclesia decisa sunt, N. A Circa ea, quae nondum sunt, aut tunc nondum erant ab Ecclesia decisa, vel circa res ad disciplinam pertinentes, C. A. N. C. Ad I. Patres illi non nisi tunc discordes fuere, quando veritas nondum clare ab Ecclesia erat decisa, parati semper opiniones suas judicio Ecclesiae submittere, quam semper ut infallibilem fidei Magistram, columnam et firmamentum veritatis venerabantur. Ad II. Si sermo sit de Graecis Schismaticis, ii tum ob Schisma, tum ob alios errores, v. g. quod negent Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere, et Primatum Romani Pontificis non agnoscant, ab Ecclesia Catholica sunt omnino segregati et praecisi. Si vero sermo sit de Graecis cum Ecclesia Latina unitis; in nullo dogmate ab Ecclesia clare deciso a nobis dissident, sed tantum in usu caeremoniarum, rebusque ad solam Ecclesiasticam disciplinam pertinentibus. Ad. III. Probabilismus, et modus efficaciam gratiae explicandi non ad fidei dogmata, sed ad scholasticas concertationes pertinent, circa quas pro libito sentire cuique fas est, salva fide, et unitate Catholica, donec Ecclesia perspicuam de illis ferat sententiam. Pari modo infallibilitas Romani Pontificis se solo spectati, etiam ante acceptationem Ecclesiae, licet nobis certa atque indubitata videatur, nullis adhuc Gallorum recentiorum argumentis subruta aut subruenda; nondum tamen supremo ac perspicuo Ecclesiae judicio est eliquata: adeoque ab haeresis nota immunes sunt qui contrarium sentiant. Ad IV. R. Jansenianos, utpote ab Ecclesia tanquam membra putrida jam praecisos, tam parum ad Ecclesiam Catholicam pertinere, quam parum ipsi Protestantes.

LXIII. *Dices I.* Tot sunt apud Catholicos sectae

ac divisiones, quot sunt Monachorum Ordines qui separatim ab aliis vivunt, et altaria sibi erexerunt: nec titulo Christianorum contenti, alii vocantur Dominicani alii Franciscani etc. Ergo unitas non datur in Ecclesia Catholica. Ita Calvinus Lib. IV. Inst. Cap. XIII. II. Unio Catholicorum est tyrannica, coacta a Papa et Praesulibus, metuque poenarum extorta. Ergo ex illa nihil probatur. R. N. A. Ordines Religiosorum conveniunt in doctri na Ecclesiae, et subsunt legitimis Pastoribus. Ergo non constituunt diversas sectas, neque erigunt altaria diversa in signum communionis abruptae. Nomina Regularium quod attinet, non sunt nomina doctrinae aut fidei diversae; sed arctioris tantum disciplinae, quam profitentur. Ad II. N. A. Quamvis Ecclesiasticis ac politicis legibus cautum sit, ut in haereticos amimadvertatur, omnes tamen veri Catholici fidem suam sponte profitentur. Si quis autem solius metu poenae Catholicum se simularet, intus vero in corde suo Catholicam rejieceret veritatem, semetipsum ab unitate Catholica interiore, sive ab anima Ecclesiae separaret. Caeterum haec Calvini replica rancida est, ut pote a Juliano Eclanensi, homine Pelagiano, profecta: atque etiam maligna et temeraria; quod absque ullo fundamento Calvinus de internis Catholicorum affectionibus dictatoriam ferat sententiam.

CONTROVERSIA V.

AN VERA CHRISTI ECCLESIA DEBEAT ESSE CATHOLICA, ID EST, UBIQUE TERRARUM DIFFUSA?

Contra Protestantes.

LXIV.

Conclusio I. Vera Christi Ecclesia debet esse Catholica, sive universalis, et ubique terrarum diffusa. Prob. Conclusio I. Auctoritate Scripturarum. *Gen. XXII.* v. 18. dictum est Abrahamo: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae.* Quem locum Apostolus Epist. ad *Galatas* Cap. III. exponit de benedictione in Christo. Psalm. II. v. 8. *Postula a me, et dabo tibi Gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.* Malachiae Cap. I. v. 11. *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus: et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* Matth. Cap. XXIV. v. 14. *Praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus Gentibus: et tunc veniet consummatio.* Matth. XXVIII. *Euntes ergo docete omnes Gentes.* Ad Rom. Cap. X. v. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines terrae verba eorum.*

LXV. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Augustinus Tractatu CXVIII. in Joan. ait: *Quadripartita vestis Domini nostri Jesu Christi quadripartitam figuravit ejus Ecclesiam toto scilicet, qui quatuor partibus constat, terrarum orbe diffusam, et omnibus eisdem par-*

tibus aequaliter, id est, concorditer distributam. Idem Serm. CLXXXVIII. *Audiamus de Sponsa; quia nescio qui faventes adulteris volunt veram subvertere, falsamque supponere --- Et praedicari in nomine ejus poenitentiam, et remissionem peccatorum: Ubi? Unde? Quousque? Per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem. Ecce habes sponsam. Nemo tibi fabulas vendat. non latret rabies haereticorum de angulo. Toto terrarum orbe Ecclesia diffusa est: Omnes gentes habet Ecclesia, Nemo vos fallat: ipsa est vera, ipsa est Catholica.* Sermone IV. de Symbolo ad Catechumenos, Cap. XIII. ait de Sponsa Christi Ecclesia: *Totum possidet, quod a viro suo accepit in dotem. Lego tabulas matrimoniales ejus, recitabo. Audite haeretici quid scriptum sit: Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis, et praedicari in nomine ejus poenitentiam, et remissionem peccatorum per omnes Gentes. Omnes gentes totus mundus est. Ecclesia totum possidet, quod a viro suo accepit in dotem. Quaecunque congregatio cujuslibet haeresis in angulis sedet: concubina est, non Matrona. --- Cognoscatur una sancta, et vera Regina Catholica, cui regnum Christus tale dedit, quod eam per totum orbem diffundens, ab omni macula et ruga mundans, totam pulchram suo adventu praeparavit.* Et Lib. contra Epist. Fundamenti, Cap. IV. *Tenet postremo,* (me in Ecclesia) *ipsum Catholicae nomen, non sine causa inter tam multas haereses ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes haeretici se Catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel Basilicam vel domum suam audeat ostendere*. S. Pacianus Epist. I. ad Sympronianum Novatianum. *Christianus mihi*

nomen est, Catholicus vero cognomen. Illud me nuncupat, istud ostendit: hoc probor, inde significor. S. Cyrillus Jerosol. Catech. XVIII. *Neque id tantum quaeras simpliciter, ubi sit Ecclesia, sed ubi Catholica Ecclesia. Hoc enim proprium nomen est sanctae hujus, et Matris omnium nostrum, quae est Sponsa Domini nostri Jesu Christi, unigeniti Filii Dei.* Theodoretus Lib. IV. Hist. Eccles. Cap. III. testatur, S. Athanasium, caeterosque Episcopos Aegypti, Thebaicos, et Lybiae in unum congregatos in Epistola ad Jovianum Imp. ex hac Catholicitatis nota verae Ecclesiae, ac verae fidei possessionem probasse.

LXVI. Prob. III. Auctoritate Symbolorum, Athanasiani, CPolitani, ac praecipue Apostolici, in quo dicitur, *Sanctam Ecclesiam Catholicam*. Ex quo evincitur, jam ab Apostolorum tempore veram Christi Ecclesiam dictam fuisse Catholicam, ut hoc nomine ab adulterinis haereticorum coetibus distingueretur, qui jam tum errores suos pluribus in locis spargebant, veramque Christi fidem, et Apostolorum traditionem subvertere conabantur. Quo exemplo ducti Patres omnes, Graeci et Latini, veram Ecclesiam semper Catholicam compellarunt.

LXVII. *Conclusio II.* Ecclesia Romana est vere Catholica, ubique terrarum diffusa. Probatur I. Illa Ecclesia est ubique terrarum diffusa, et Catholica, quae Romano Episcopo, ut capiti suo, adhaeret, ut testantur S. Irenaeus, S. Cyprianus, S. Optatus, S. Augustinus, et S. Hieronymus plurimis locis. Sed talis est Ecclesia Romana. Ergo Ecclesia Romana est vere Catholica. II. Nostris temporibus Ecclesia Romana latissime propagata fuit ad populos Americae, Sinarum, Japoniae,

Indiarum, multisque accessionibus est locupletata. Ergo est Catholica, seu ubique diffusa. III. Aliqua Ecclesia debet esse per totum orbem diffusa, ut paulo ante ostendimus. Sed talis non est Ecclesia Lutheranorum, Calvinistarum, Anabaptistarum, Socinianorum, aut aliorum quorumcunque. Ergo talis est Ecclesia Romana.

LXVIII. *Conclusio III.* Ecclesia Protestantica non est Catholica, id est, ubique diffusa. Prob. I, ab experimentali notitia. Ut enim nihil dicam, Protestanticam Ecclesiam ante Lutheri et Calvini tempora in rerum natura nunquam extitisse, constat Lutheranam Ecclesiam angustis Daniae, Sueciae, ac Germaniae limitibus circumscribi. Quin in ipsa Germania praeter Austriam, Styriam, Carinthiam, Carniolam, Tyrolim, Bavariam, Palatinatum superiorem, Belgium Austriacum, magnamque Sueviae, Franconiae, Rhenanae regionis, ac Westphaliae partem, quae Catholicam religionem profitentur, Bremenses, Hassi, Brandenburgici, multique in inferiori Palatinatu non Lutherum, sed Calvinum sequuntur. Calviniani Helvetiae partem, Belgium foederatum, Angliam, paucosque Germaniae Principes erroribus suis consentientes habent. Quin in illis etiam regionibus multi numerantur Catholici, multaeque aliae sectae a Calvino et Luthero toto coelo diversae, praecipue in Anglia foecunda novarum opinionum matre, quotidie pullulant. Ergo Protestantica Ecclesia non ubique diffusa est, et Catholica. Ergo non est vera Christi Ecclesia. Idem a fortiori dicendum est de alia quacunque secta, v. g. Sociniana, Anabaptistica etc. quae ab Ecclesia Romana praecisa est.

LXIX. Prob. II. Post generalem illam defectio-

nem, quae Lutheri tempore in Germania contigit, nullus Princeps Lutheri errores amplexus est, ejurata fide Catholica: At vero plurimi eorum, rejectis Lutheri erroribus, quibus innutriti erant, ad Catholicam unitatem redierunt; ut adeo vix ulla sit Germaniae Principum domus, ex qua complures ad Catholica sacra non redierint. Neque soli viri Principes, sed integrae etiam provinciae Catholicae Ecclesiae reconciliatae sunt, damnatis erroribus, quos antehac tutabantur, ut Palatinatus Superior, et Neoburgicus, Bohemia, Austria, Moravia, magnaque pars Palatinatus Rhenani.

LXX. Prob. III. ex facto Lutheri, doctrinaque plurimorum Protestantium. Lutherus in prioribus quidem Catechismi sui editionibus retinuit in Symbolo nomen *Catholicae*. At progressu temporis, cum adverteret notam hanc Ecclesiae suae minime favere, Catholicae nomen in posterioribus editionibus abrasit, substituitque vocem *Christianae*, dicendo; *Sanctam Ecclesiam Christianam*. Et libro de notis Ecclesiae scribere non erubuit, *diabolum juxta Dei Ecclesiam sacellum longe majus et amplius condidisse*. Conantur Protestantes aliqui parentem suum excusare, dicuntque a Luthero mutationem illam in Symbolo Apostolico ea de causa factam esse, quia vox Catholica, utpote Graecae originis, germanice reddi aptius non poterat, quam Ecclesiam appellando Christianam. Verum elumbis et putida est excusatio: optime enim nota erat Germanis notio vocis *Ecclesia Catholica*; ejusdemque est originis, nempe Graecae, vox utraque, *Christiana* aeque ac *Catholica*. Protestantes ipsi, cum manibus palpent, sectam suam non esse ubique diffusam, ne hac voce in angustias redigantur, negant Catholicitatem notam esse verae Ec-

clesiae, neque se Catholicos vocant, sed Lutheranos, aut Calvinianos: Quos vero tam turpis originis pudet, dicunt se Evangelicos, Reformatos, Protestantes, Confessionistas etc. parum memores eorum, quae *S. Hieronymus* scribit in Dialogo adv. Luciferianos. *In illa Ecclesia permanendum est, quae ab Apostolis fundata usque in hunc diem durat. Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non a Domino Jesu Christo, sed a quoquam alio nuncupari, utpote Marcionitas, Valentinianos, Montenses, sive Campitas; scito non esse Ecclesiam Christi; sed Antichristi esse Synagogam. Ex hoc enim ipso, quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus praenuntiavit. Nec sibi blandiantur, si de Scripturarum capitulis videntur sibi affirmare quod dicunt; cum et diabolus de Scripturis aliqua sit locutus, et Scripturae non in legendo consistant, sed in intelligendo.*

LXXI. Solent Polemici, ubi de nota Catholicitatis actum est, ex conversione Gentilium ad fidem Catholicam argumentum contra Protestantes sic instruere. Vera Christi Ecclesia debet convertere Gentiles. Atqui hoc praestat sola Ecclesia Catholica, non autem Protestantica. Ergo sola Ecclesia Catholica est vera Christi Ecclesia. P. M. Psalm. II. dicitur: *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam.* Psal. XVIII. *Lex Domini immaculata, convertens animas.* Isaiae II. *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes Gentes.* II. Prob. ratione. Vera Ecclesia Christi non incassum recipit semen divini verbi: est Sponsa Christi, non sterilis, sed foecunda, novosque filios identidem gignit, qui ad Christum conver-

tuntur. Prob. etiam minor propositio. Omnia Regna, quae Christum hodiedum colunt, ad agnitionem Christi perducta sunt a Catholicis. Saeculo XVI. quo Lutheri et Calvini furor in Europa grassabatur, magnis accessionibus aucta est Ecclesia: innumeri enim Pagani in Japonia, Peruvio, Mexico, Paraquaria, Brasilia, Chilensi regno, in vastissimo Sinarum Imperio, India Orientali etc. Missionariorum Catholicorum opera ad Christum perducti sunt. At vero Protestantes nullam proferre possunt gentem, populum, aut urbem, quam magna saltem ex parte ad Christum converterint; adeo ut praecones ipsi Lutherani et Calviniani fassi sint, actum se agere, oleum et operam a se perdi in perducendis barbaris ad Christianam Religionem. Hinc a Sacerdotibus Catholicis Indos instrui procurant, et Christo initiari, eosque postea erroribus suis misere inficiunt. Ratio autem cur Protestantes infeliciter apud barbaros Apostolico officio fungantur, alia non est, quam quia non sunt de semine Apostolorum, nec successores illorum, quibus dictum est Marci XVI. *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae*. II. Quia nihil sacri habent, nullasque caeremonias, quibus videantur Deo peculiarem honorem deferre. Hinc, teste *Martino Martinio* Sinensi Missionario spectatissimae virtutis, in Epistola ad Laurentium Forerum scripta A. 1654. Mahometani in Indiis dicunt, Batavis nihil deesse ut sibi aequales sint, quam circumcisionem.

LXXII. Reponunt Protestantes, Gothos ab Arianis sub Valentis Imperio, Moravos, Bohemos, Bulgaros ac Russos a Graecis Schismaticis legem Christi didicisse: adeoque falsum esse, quod conversio Gentilium opera Catholicorum nota sit verae Christi Ecclesiae. At

nihil falsius est hac exceptione. Gothi jam temporibus Constantini Magni magna ex parte Catholici erant; Theophilus enim eorum Episcopus Concilio Nicaeno I. interfuit. Christiani itaque cum diu jam essent, perfidia Valentis Imperatoris Ariani, et Ulphial eorum Episcopi, Ariana peste infecti sunt. Moravi, Bohemi, Bulgari a S. Cyrillo et Methodio, Russi autem a Presbyteris Graecis, quos S. Ignatius Patriarcha CPolitanus Romanae Sedi conjunctissimus in Russiam miserat, Christiana sacra edocti sunt.

OBJECTIONES.

LXXIII. *Objicitur I.* contra I. Conclusionem, Auctoritas Scripturarum. Corpus, quod paucitate membrorum gloriatur, non potest dici Catholicum, seu universale. Atqui tale corpus est vera Ecclesia Christi. P. m. Matth. VII. v. 14. dicitur: *Arcta via est, quae ducit ad vitam: et pauci sunt, qui inveniunt eam.* Et Lucae XII. v. 32. ait Christus: *Nolite timere pusillus grex.* II. Christus reperitur in paucis: Hinc Matth. Cap. XXIII. v. 20. dicitur: *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* III. Ecclesia ibi est ubi est veritas: sed veritas est in paucis. Ergo etiam Ecclesia. Ergo vera Ecclesia non est Catholica. P. m. Ecclesiastis Cap. I. v. 15. dicitur: *Stultorum infinitus est numerus.* R. C. M. N. m. Ad *probat.* D. A. Pauci sunt absolute, N. A. Si comparentur cum illis qui pereunt, C. A. Audiendus iterum est S. Augustinus Lib. III. adversus Cresconium, Cap. LXVI. *Ipsi boni verique Christiani, qui per se ipsos multi sunt, in comparatione malorum falsorumque itidem pau-*

ci sunt. Sic multa grana, quibus horrea magna complentur, pauca dicimus in comparatione palearum. Pari modo intelligenda sunt illa Christi verba, *Pusillus grex*, comparative nimirum. Adde, quod ea verba Christus direxerit ad Apostolos suos, qui etiam absolute erant pusillus grex. Ad II. R. Per hoc, quod Christus se futurum in medio paucorum dicat, minime assert se non futurum in medio multorum; modo illi pauci vel sive multi, uniantur inter se unitate capitis et doctrinae, sintque in nomine Christi congregati. Certe si paucitas signum foret verae Ecclesiae, sequeretur veram Ecclesiam non inveniri apud Protestantes, sed apud Anabaptistas et Socinianos, qui Protestantibus longe sunt pauciores. Ad III. R. D. m. Veritas est in paucis, id est, pauci veritatem cognoscunt, N. m. Pauci, si comparentur cum improbis, vivunt secundum veritatem, quam agnoscunt, C. m. Caeterum haec replica Calvini desumpta est ex lacuna Donatistarum.

LXXIV. *Objicitur II.* Ratio. Si universalitas esset signum verae Ecclesiae, deberet illi semper convenire. Atqui non semper convenit. Ergo P. m. I. Ecclesia primis statim temporibus arctis Judaeae limitibus circumscribebatur; et tamen erat vera Christi Ecclesia. Ergo. II. Tempore Antichristi omnes fere erunt illi adhaesuri. Ergo Ecclesia non erit tunc ubique diffusa. R. D. M. Deberet Universalitas semper convenire Ecclesiae jam adultae, de qua sola hic est sermo, C. M. Ecclesiae nascenti, atque in debito statu nondum constitutae, N. M. Ad I. *probat.* jam respondimus. Satis utique constat, primis statim post Christum annis, antequam Apostoli varias peragrarent provincias Christianam Religionem disseminaturi, Ecclesiam Christi, quia

nondum adoleverat, ubique terrarum nondum fuisse diffusam. Ad II. *probat.* R. In omnibus fere provinciis inveniendos fore fideles, quorum plurimi persecutionis metu in deserta loca se conferent; alii autem intrepide Antichristo resistent. Haec ipsa autem persecutio non nisi triennio, et semestri uno durabit.

LXXV. *Dices I.* Quamvis ex Evangelio probaretur, veram Christi Ecclesiam debere esse Catholicam, Evangelio tamen satis sua constaret veritas, si dicatur, Ecclesiam Christi fuisse olim ubique diffusam; postea vero invidia diaboli expulsam in paucis regionibus perdurare. Ergo vera Ecclesia Christi non semper debet esse Catholica. R. N. A. Quolibet tempore credere tenemur Ecclesiam Catholicam: atque hic fidei Articulus quolibet tempore est verus. Praeterea ex certissimis monumentis constat, illam ipsam Ecclesiam, quae et caput visibile agnoscebat Romanum Pontificem, eandemque cum Romana doctrinam tenebat, jam primo saeculo fuisse per omnes orbis provincias diffusam, eandemque ad nostra usque tempora semper perdurasse. At vero quo pacto ostendere possunt Protestantes, si non modo, saltem primis saeculis ubique Sectam suam fuisse propagatam, cum ante Lutheri et Calvini tempora probari solide nequeat eam in rerum natura extitisse?

LXXVI. *Dices II.* Vera Christi Ecclesia appellatur Catholica, non ob diffusionem per totum orbem, sed ex observatione omnium praeceptorum divinorum, et Sacramentorum. Ergo ex diffusione nihil probatur. R. N. A. Replica haec est Donatistica, ab *Augustino* centies confutata, praecipue Epistola XCIII. alias XLVIII. Ad Vincentium Rogatistam, Cap. VII. *Acutum aliquid tibi videris dicere, cum Catholicae Eccle-*

siae nomen non ex totius orbis communione interpretaris, sed ex observatione praeceptorum omnium divinorum, atque omnium Sacramentorum. - - Sed nempe hoc est totum, quod nobis persuadere conaris, solos remansisse Rogatistas, qui Catholici recte appellandi sint, ex observatione praeceptorum omnium divinorum, atque omnium Sacramentorum; et vos esse solos, in quibus inveniat fidem cum venerit Filius hominis. Da veniam, non credimus. Certe Scripturarum loca, quae in probatione adduximus, Ecclesiae propagationem per totum orbem adstruunt, nec Patres alia de causa Ecclesiam Christi Catholicam vocant, id est, universalem, quam quia toto orbe diffusa est.

LXXVII. *Dices III.* Nota Catholicitatis neque convenit omni, neque soli. Ergo non est nota verae Ecclesiae. P. A. Synagoga in antiqua Lege erat vera Ecclesia, neque tamen per totum orbem, sed per solam Judaeam diffusa. Ergo non convenit omni verae Ecclesiae. At neque soli convenit; quia Paganismus, Mahometis secta, atque Ariana haeresis ubique diffusa est. R. Catholicitatis nota negativa est, non affirmativa, ideoque quamvis haec sola nota etiam falsae Ecclesiae conveniret, nihil tamen ex eo sequitur. Vide dicta Num. LIV. Ad *probat.* R. Synagogae promissa non fuit diffusio per totum orbem, sicut Ecclesiae Christi: neque loquimur de notis verae Ecclesiae Dei, absque ulla temporis differentia, sed de notis verae Ecclesiae novae Legis, sive Christi, quibus illa non a quacunque secta, v. g. Pagana, aut Mahometana, sed a falsis Christianorum sectis discriminatur. Arianos quod attinet, repeto, notam hanc non affirmativam, sed negativam esse.

LXXVIII. *Objicitur. III.* contra II. Conclusionem,

Defectus hujus notae. Ecclesia Romana non est per totum orbem diffusa. Ergo non est Catholica. P. A. Quam plurimi dantur populi ac provinciae, quae fidem Romanam execrantur, ut Gentiles, Mahometani, Graeci Schismatici etc. Ergo non est universalis. *Confirm.* I. Reformatio saeculo XVI. maximum vulnus inflixit Papatui, pluresque provincias ab illo abstraxit. *Confirm* II. Si orbis terrarum in XXX. partes dividatur, vix V. Christum agnoscunt, Mahometem VI. Paganismum vero XIX. profitentur. R. N. A. Ut Ecclesia sit, et dicatur Catholica, necesse non est, eodem tempore, in omnibus omnino provinciis aut urbibus promulgatum fuisse verum Christi Evangelium; sed sufficit id successive contigisse, multosque in provinciis praecipuis, ac nobilioribus urbibus dari Catholicos. Ad *probat.* D. A. Ita tamen, ut inter illos populos multi permixti sint Catholici, C. A. Ut hoc non sit, N. A. et D. C. Ergo non est universalis, id est, non complectitur omnes omnino homines; C. C. Non complectitur plurimos per totum orbem sparsos, N. C. Ad I. *confirmat.* R. Omnia damna a Luthero et Calvino Ecclesiae illata, cum foenore compensata fuisse conversione innumerabilium populorum in America et Asia. Ad II. *confirm.* R. partitionem hanc manifestae falsitatis vitio laborare; ubi enim nostris temporibus incredibilis hic Paganorum numerus? Risum certe merentur Protestantes, qui verbis saltem, cum factis non liceat, amplitudini Romanae Ecclesiae detrahunt: contra vero exiguum suorum manipulum, si cum Catholicis conferatur, nescio quibus verborum praestigiis multiplicant. Qua in re non veritati, sed desiderio suo indulgent.

LXXIX. *Dices I.* Ecclesia Romana est Ecclesia

particularis, Romae existens; et in territorio Romano. Ergo non potest esse Catholica. II. Asseclae Ecclesiae Romanae vocantur Papistae, Pontificii, Romanenses, cultores Antichristi, Idololatrae. Ergo ex nomine non probantur Catholici. R. D. A. Ecclesia Romana est particularis, id est, congregatio Catholicorum Romae existens sub Episcopo Romano tanquam speciali pastore suo, C. A. Ecclesia Romana, id est, congregatio omnium fidelium in toto orbe existentium, eamdem doctrinam profitens, et eidem capiti tanquam Pastori universali unita, quo sensu hic Ecclesiam Romanam sumimus, N. A. Ad II. R. Si Papistae, Pontificii, Romanenses vocamur ob communionem et unionem cum Romano Pontifice, nomina haec admittimus, atque his etiam gloriamur; malumus enim a magno principe, Christi Vicario, et visibili Capite Ecclesiae Papistae vocari, quam a perditissimo Monacho Apostata Lutherani. Si vero Papistae vocamur ab authore nostrae doctrinae; cum haec non sit humana, sed divina, a Christo Domino et Apostolis tradita, falsa dicunt adversarii, et veterum haereticorum exempla sequuntur. Scimus enim quod Valentiniani Catholicos appellaverint simplices, Montanistae animales, Donatistae Macaranos, Vigilantius cinerarios, Ariani homousianos, Julianus Apostata Galilaeos, Graeci azymitas etc. Quod vero Idololatrae, et Antichristi cultores vocemur, id inveteratam adversariorum nostrorum impudentiam ostendit.

LXXX. *Objicitur. IV.* contra III. Conclusionem Universalitas Ecclesiae Protestanticae. Ecclesia Protestantica diffusa est nunc per totum orbem, atque ante Lutheri et Calvini tempora in rerum natura extitit. Ergo est vere Catholica. Prob. I. pars. Ad Ecclesiam Prote-

stantieam pertinent infantes rite baptizati, simplices adulti, et occulti Protestantes inter Catholicos dispersi, itemque illi, qui omnem fiduciam ponunt in Christi meritis. Prob. II. pars. Hussitae, Wickleffitae, Waldenses, Graeci, omnesque illi, qui Papatum impugnarunt, eandem habebant doctrinam, quam Protestantes. Ergo cum illi per totum orbem fuerint diffusi, Ecclesia Protestantica est vere Catholica, extititque ante tempora Reformationis. R. N. A. Ad I. *probat*. N. A. Nulla enim assignari potest ratio, cur infantes rite baptizati ad Protestantes magis sint referendi, quam ad Socinianos, vel aliam quamcunque sectam Christianam. Dein infantes, cum rationis usum non habeant, ad illam pertinent Ecclesiam, a qua, et cujus authoritate baptizati sunt, et cui legitima Sacramentorum dispensatio commissa est, qualis est sola Ecclesia Romano-Catholica. Simplices adulti non aliud credunt, quam quod a suis Pastoribus Catholicis audiunt. De occultis Protestantibus, qui inter Catholicos versantur, eorumque numero, nullum ferre judicium possunt adversarii, hoc ipso quod illi sunt occulti. Certe plures inveniuntur inter Protestantes, quam Catholicos, qui de veritate religionis suae dubitant; cum longe plures e Protestantibus ad Catholicos transeant, quam e Catholicis ad sacra protestantica. Qui omnem fiduciam in Christi meritis ponunt, Catholicae fidei minime adversantur, juxta quam licet homo per bona opera viribus gratiae facta vere mereatur augmentum gloriae; nullus tamen certo scit certitudine fidei, ac tali cui non possit subesse falsum, se esse justum; ac vera merita habere. Ad II. *probat*. iterum N. A. Cum haec replica familiaris sit Protestantibus, singillatim ostendam, neque Hussitas, neque Wickleffitas, Waldenses,

aut Graecos idem cum Protestantibus credidisse unquam, aut credere. Quamvis autem unum vel alterum articulum docuerint Protestantibus conformem, pro Protestantibus tamen haberi illi neutiquam possunt, nisi in toto fidei systemate cum Protestantibus convenerint. Quemadmodum v. g. Mahometanos et Judaeos pro suis habere non possunt Catholici, eoquod illi in aliquibus tantum conveniant cum Ecclesia Romana.

LXXXI. *Joannes Hussus* admittit I. intercessionem Sanctorum, et cultum Reliquiarum. In Psal. CXV. ait: *Ex isto patet, quod corpora Sanctorum Martyrum sunt honoranda.* Et Epist. XXXV. *Ego adhuc spem habeo, quod omnipotens Deus potest me eripere Sanctorum meritis ex eorum manibus.* II. Realem Christi praesentiam in Eucharistia. Lib. de Sacramento corporis et sanguinis Domini ait: *Ex potestate et institutione Christi veri Dei, et veri hominis per ministerium Sacerdotum est in Sacramento Venerabili verum corpus, et verus sanguis Christi.* III. Admittit coelibatum. In Cap. VII. I. ad Corinth. ait: *Septimum matrimonii impedimentum est Ordo: quia Clericus in majoribus Ordinibus non debet matrimonium contrahere; quia votum fecit.* IV. Adstruit liberum arbitrium. In Cap. I. I.mae ad Corinth. *Gratia gratum faciens, quamvis habeatur ex Dei dono, efficienter tamen habetur ex libero arbitrio consentiente; quia dicit Augustinus: Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te.* V. Solam fidem docet ad salutem non sufficere in Caput II. Epist. S. Jacobi. *Sicut non reficitur pauper solo verbo misericordiae: sic nec ille salvabitur sola fide.* VI. In Caput I. Epist. II. S. Petri ait, neminem securum et certum esse suae praedestinationis. In Caput V. Epist. S. Jacobi

docet septem dari Sacramenta, quorum tria characterem imprimant. Et in Lib. de Coena Domini, Cap. II. et III. in Eucharistia veram dari transubstantiationem: verum Missae Sacrificium Tractatu de corpore Christi, et in Psal. CIX. Sacramentum Poenitentiae in Tractatu de Poenitentia; Purgatorium in fidei suae Elucidatione. *Jodocus Coccius* Tomo I. Thesauri Catholici, Lib. VIII. Artic. IV. enumerat Articulos LXV. in quibus Hussitae a Protestantibus dissentiunt. Ipse *Lutherus* Tomo VIII. Edit. Vittenb. fol. 579. ait: *Hussio mecum non convenit: qui si haereticus fuit, ego decies plus fui; ille enim tantum parum quid dixit.*

LXXXII. *Joannes Wickleffus* multa docuit, quae Protestantes merito execrantur. I. Deum debere obedire diabolo. II. Omnes Ecclesiasticos esse haereticos, qui aliquid ut proprium possident. III. Potestatem legislativam, sacram aeque ac profanam, dependere a fide et bonis moribus; amittique dominium per quodlibet peccatum mortale. IV. Omnia juramenta esse illicita, quae fiunt ad corroborandos humanos contractus, et commercia civilia. V. Omnes Universitates, Studia, Collegia, Magisteria in eisdem esse vana gentilitate introducta, tantumque prodesse Ecclesiae, sicut Diabolus prodest. Contra vero in multis cum Catholica Ecclesia sensit, et Protestantibus refragatur. In Serm. de Assumptione B. M. aperte ejusdem intercessionem admittit. Tract. de Eucharistia, Cap. IX. cultum Sanctorum, Imaginum, et Reliquiarum. Tractatu de gradationibus, Cap. III. eos impugnat, qui Tonsuram, vestes, Breviarium, jejunia, ritus et caeremonias Missae reprehendunt. In postilla super Cap. XV. Marci septem dari Sacramenta ostendit etc.

LXXXIII. Waldenses, seu Pauperes de Lugduno in multis gravissimisque materiis a Protestantibus dissensere. Docebant enim I. Neminem a Republica damnari posse ad mortem. II. Juramentum nemini deferendum esse. III. In nullo veteris Testamenti libro contineri Verbum Dei. IV. Opera servilia, ac manuum laborem repugnare Evangelio. V. Licitum esse perjurium in judicio. VI. Omnes viros et foeminas Waldensium potestatem habere consecrandi, et a peccatis absolvendi. VII. Consecrationem peragendam esse recitata septies Oratione Dominica, *Pater noster*. VIII. Paupertatem sine omni proprietate esse de essentia consecrationis Sacerdotalis. IX. Sacramentorum valorem pendere a probitate Ministri. Contra vero in materia de Sacramentis, bonis operibus, Transubstantiatione etc. idem docuere, quod Catholici, ut invictis argumentis ostendit Illustrissimus *Bossuetus* in Historia Variationum, Parte III. Lib. II. Petrobrussiani, et Albigenses, ut diximus Num. VI. veri fuere Manichaei, ad quos proin originem suam referre merito erubescunt omnes, qui frontem omnem nondum exuerunt.

LXXXIV. Quam impudenter ac falso a Protestantibus asseratur, *Graecos* idem cum ipsis docere, ostenditur I. ex eo, quia cum Martinus Crusius A. 1576. Jeremiae Patriarchae CPolitano Confessionem Lutheranam offerri curasset, eam Jeremias rejecit, editoque libro, qui in Europa nostra saepius impressus est, refutavit, disertis verbis docens, admittendas esse traditiones, septem Sacramenta, transubstantiationem, Sacrificium Missae, cultum Sanctorum, Purgatorium etc. Ostenditur II. Cum Batavorum opera creatus fuisset Patriarcha CPolitanus Cyrillus quidam Lucaris Calvinia-

nis valde addictus, hic rerum novarum cupidus, ut rem gratissimam faceret Patronis ac Maecenatibus suis qui unionem cum Ecclesia Graeca avide expetebant, ne paucitas contemptui esset, Confessionem fidei vulgavit Calvinianae valde affinem, reclamantibus semper Graecis. Eo paulo post interfecto, et in Euxinum mare projecto, Cyrillus Berrhoeensis Patriarcha CPolitanus, ejus successor, A. 1638. Concilium Episcoporum CPoli habuit, quo tum ipse Lucaris, tum ejus doctrina unanimi consensu damnata est, et utrique dictum anathema. Parthenius Cyrilli Berrhoeensis in Cathedra CPolitana successor, omisso Lucaris nomine, sententiam in ejus doctrinam ab Antecessore suo latam ratam habuit, consentiente, quod A. 1642. CPolim convocaverat, Concilio Graecorum Episcoporum: atque iterato Calvini doctrinam, quam haereticam vocat, damnavit.

LXXXV. Omnium vero luculentissime adversarii nostri manifestae falsitatis arguuntur ex Synodo *Hierosolymitana*, quam *Dositheus* Patriarcha A. 1672. cum Graecis Episcopis Palaestinae habuit. In praefatione Actorum, quae Clypeus Orthodoxae fidei, sive Apologia dicitur, haec dicunt Concilii Patres: *Terribili sonantiores buccina, et duro graviores bello, e Galliis ad nos usque tonant modo rumores, utinam apud nos nunquam auditi. Quippe improbitati gratis indulgentes, qui in illis habitant, Calvinistae suas de Deo, rebusque divinis haereses, Apostolicae nostrae, ac Sanctae Orientali Ecclesiae affingunt; atque id quidem non modo sermonibus, verum etiam et scriptis imponere nobis haereticos hujusmodi suscepisse nemo nescit, qui Claudium quemdam Carentoniensium Calvinistarum Ministrum perlegerit. Id vero ad susceptam Apologiam nos*

vehementer accendit, quoniam quod dicunt, quod affirmant, nesciunt: qui vel homines metuere debuissent; coram quibus talia mentiri non verentur. Vide Tomum XI. Collectionis Conciliorum *Harduinianae* Colum. 182. *Verum quemadmodum lucis ad tenebras, aut Christi ad Belial societas esse non potest: ita nec una adversariorum nostrorum cum Ecclesia Orientali de rebus fidei sententia, quamdiu Haeresiarcham Calvinum voluerint habere Magistrum.* Ita Columna 183. De Lutheranis ajunt Colum. 186. *Verum ad illos* (Lutheranos) *insignis ille Patriarcha* (Jeremias) *immo et contra ipsos sermones tres, seu magis peritas Responsiones rescripsit: quibus et omnem eorum haeresim theologice juxta ac catholice confutabat, et Orthodoxas opiniones, quascunque a principio Ecclesia obtinuit Orientalis, eos edocebat: quamquam haec illi nequaquam attenderunt, quippe nuncium pietati penitus remiserant.* Additur dein Confessio fidei Orientalis Ecclesiae, in qua dicitur, Scripturam intelligendam esse juxta interpretationem Ecclesiae: dari liberum arbitrium: Sanctos esse invocandos et honorandos: hominem non justificari per solam fidem: omnes fideles, adeoque etiam impios ad Ecclesiam pertinere: Ecclesiam infallibile exercere judicium circa res fidei et morum: Septem esse novae Legis Sacramenta quae gratiam conferant: Baptismum esse infantibus necessarium: Christum realiter praesentem esse in Eucharistia secundum humanitatem et Divinitatem: dari veram transubstantiationem, remanentibus speciebus dumtaxat panis et vini: dari Purgatorium, ac Missae Sacrificium tam vivis quam mortuis prodesse. Eodem Anno 1672. CPoli alia Synodus est habita, praesidente Patriarcha Dionisio, in qua iterum damnati sunt Calviniani,

LXXXVI. Quare luce meridiana clarius est, Ecclesiam Protestanticam ante Lutheri et Calvini tempora frustra in aliis sectis quaeri, Waldensibus, Petrobrusianis, Albigensibus, Wickleffitis, Hussitis, aut Graecis Schismaticis. Ex quo legitime inferimus Ecclesiam Protestanticam esse non posse veram Christi Ecclesiam, cum illa Universalis, et visibilis esse semper debuerit. Atque haec est quaestio illa vexata, a duobus jam saeculis agitata, ab adversariis nunquam soluta, ubinam terrarum ac gentium fuerit ante Lutherum et Calvinum Protestantica Ecclesia? Urgemus Protestantes illis *Tertulliani* verbis Lib. de Praescriptionibus, Cap. XXXVII. *Qui estis, quando, et unde venistis*? At illi, ut aliqua ratione respondere videantur, antiquitatem generis sui mentiuntur, atque ad Waldenses, ac Wickleffitas novos Donatistas confugiunt. Sed frustra sunt, ut paulo ante ostendimus. Quod si etiam Protestantibus daremus, eos a Waldensibus Saeculi XII. haereticis originem suam ducere, atque integram doctrinam suam hausisse, erantne Waldenses toto orbe diffusi? Pauper sane fuisset Christus, si tantum agri Lugdunensis, et Delphinatus partem aliquam habuisset. Praeterea ubinam terrarum aut gentium, ante exortos Waldenses, id est primis XII. a Christo saeculis, extitit Ecclesia Protestantica? Quos generis sui authores enumerabunt adversarii? An ad Apostolos et primitivam Ecclesiam confugient? At frustra sunt; nullo enim solido argumento ostendere unquam poterunt, aliter in antiqua Ecclesia creditum fuisse unquam, quam modo in Ecclesia Romana credatur. Quod si igitur jam Saeculo IV. *S. Hilarius* Lib. VI. de Trinitate, novitatem sui temporis Novatoribus exprobrat: *Tarde mihi hos piissimos do-*

ctores aetas nunc hujus saeculi protulit: sero hos habuit fides nostra. Et S. *Augustinus* Lib. de Utilitate credendi, Cap. XIV. *Vos autem et tam pauci et tam turbulenti, et tam novi, nemini dubium est, quin nihil dignum authoritate praeferatis*; quanto magis Catholici novitatem objicient Protestantibus, qui XII. omnino saeculis sunt Arianis et Donatistis posteriores.

LXXXVII. Ad id, quod ultimo loco in objectione positum est, Resp. Si sola impugnatio Papatus est articulus fundamentalis Ecclesiae Protestanticae, ita ut haec sola sufficiat ad denominationem Lutherani, vel Calviniani, enimvero causa cecidimus, Ecclesia Protestantica toto orbe diffusa est. Inter Protestantes hac ratione recensentur Pagani, Judaei, Mahometani, Imperatores Romani Gentiles, qui Ecclesiam et Romanos Pontifices acerbissime insectati sunt, Nero, Domitianus, Trajanus, Septimius Severus, Decius, Diocletianus, Maximianus, Julianus Apostata: Imperatores praeterea et Reges haeretici omnes, Valens, Leo Isauricus, Copronymus, Leo Armenus etc. quin et ipse Antichristus. Gratulamur Protestantibus nobilem hanc Ecclesiae suae appendicem; at non invidemus.

CONTROVERSIA VI.

AN VERA CHRISTI ECCLESIA DEBEAT ESSE SANCTA, ET QUAENAM ILLA SIT?

Contra Protestantes.

LXXXVIII.

Conclusio *I.* Vera Christi Ecclesia debet esse Sancta sanctitate doctrinae et morum, sive personarum. Prob. I. pars Conclusionis Authoritate Scripturarum. Psalm. XVIII. dicitur. *Lex Domini immaculuta, convertens animas.* Psalm. XCII. *Domum tuam Domine decet sanctitudo in longitudinem dierum.* Ezechielis XXXVII. *Et fundabo eos, et multiplicabo, et dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum. Et erit tabernaculum meum in eis: et ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus. Et scient Gentes, quia ego Dominus Sanctificator Israel, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.* Apocal. Cap. XXI. *Ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de coelo.* Prob. II. Authoritate Patrum. S. Irenaeus Lib. III. adv. Haer. Cap. XL. scribit: *Ubi Ecclesia, ibi et Spiritus, et ubi Spiritus Dei, ibi Ecclesia, et omnis gratia.* S. Ambrosius Lib. III. Hexaemeron. *Ecclesia est sacrarium Trinitatis, sanctitatis domicilium, Ecclesia sancta.* S. Augustinus Lib. II. de Civit. Dei, Cap. XXVIII. *Nihil turpe ac flagitiosum* (in Christiana Ecclesia) *spectandum imitandumque proponitur, ubi veri Dei aut praecepta insinuantur, aut*

miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur. Et Sermone CCXIV. Cap. XIV. in traditione Symboli: *Sanctam quoque Ecclesiam, Matrem vestram, tanquam supernam Jerusalem, Sanctam civitatem Dei, honorate, diligite, praedicate.* Prob. III. Authoritate Symboli Apostolici et CPolitani. *Sanctam Ecclesiam.* Prob. IV. ratione. Voluntas Dei est norma omnis sanctitatis. Ergo cum in vera Ecclesia colatur Deus eo modo quo vult coli, doctrina Ecclesiae necessario est sancta.

LXXXIX. Prob. II. pars Conclusionis I. Authoritate Scripturarum. Ad Ephesios Cap. V. ait Apostolus: *Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae. Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta, et immaculata.* I. Petri, Cap. II. *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, gens sancta.* Ad Titum Cap. II. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Ergo in vera Christi Ecclesia semper dari debent aliqui homines sancti. Prob. II. ratione in Scripturis fundata. Isaiae Cap. LV. v. 11. ait Deus: *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum.* Ergo doctrina Christi debet esse efficax, foecunda, et ut dicitur Psal. XVIII. *Convertens animas.* Prob. III. a pari. In veteri Lege semper dabantur Sancti viri. Ergo multo magis in Lege nova, in qua uberiora dantur auxilia gratiae.

XC. *Conclusio II.* Ecclesia Catholica sancta est, sanctitate doctrinae, et morum. Prob. I. negative; quia a Protestantibus, ut patebit ex dicendis, ostendi ne-

quit, Ecclesiam Catholicam docere aliquid inconveniens, rectae rationi, aut verbo Dei contrarium. II. positive. Ecclesia Catholica tum per praecepta, tum per consilia urget fideles ad opera pia, Dei honorem et salutem animarum promoventia, hortaturque ad sequenda consilia Evangelica: proponit praestantissima media ad exercendam constanter virtutem, et vitia declinanda. III. Innumerabiles ex utroque sexu, atque ex omni ordine numerat Sanctos, ut testantur Martyrologia etiam antiquissima Bedae, Usuardi, Adonis, et Historiae a viris spectatissimae fidei, authoribus synchronis conscriptae, quos in re testatissima, et plurimis comperta mentiri voluisse omnino incredibile est. Ipse *Lutherus* in Epistola ad duos Parochos de Anabaptismo scribit: *Ego dico, sub Papatu esse verum Christianismum, immo nucleum Christianismi, et multos pios magnosque Sanctos.* Et in Caput V. Epistolae ad Galatas. *Admiratur mundus sanctitatem Benedicti, Gregorii, Bernardi, Francisci, et similium, quia audit eos magnifica in speciem, et insolita quaedam fecisse opera.* Certe, ut alios silentio praeteream, ipsi Calviniani Scriptores, veritatis vi compulsi, sanctitati *Francisci Xaverii* luculentum praebuerunt testimonium apud *Dominicum Bohours* in Vita S. Xaverii Lib. VI. ad finem. *Philippus Baldeus* in Historia Indica scribit: *Si Xaverius fuisset nostrae Religionis, etiam apud nos ut alter Paulus cum veritate esset aestimandus, et colendus velut alter Sanctus Paulus. Quamquam autem Religionis fuerit a nostra diversae, ajo, bonos omnes ejus zelo, vigilanti cura, et morum sanctitate excitari debere ad cavendam in faciendo Dei opere negligentiam.* Richardus Hakluit Praeco Anglicanus de eodem Xaverio scri-

bit: *Historiae modernae Indiae plenae sunt praestantium virtutum, et operum vim omnem naturae excedentium, quae vir ille Sanctus patravit.* Tavernierius: *Equidem in Sinas non penetravit; vero tamen est simile, doctrinam Christianam, quam in Insulam Niphon induxit, inde manasse in vicinas regiones, et propagatam fuisse studio et cura sancti hujus viri, quem recte Sanctum Paulum, et verum Indiarum Apostolum nominare possis.* Ipse *Joannes Laurentius Moshemius*, cui solemne alias est antiquissimos Patres sanctosque viros, qui Catholicam Ecclesiam illustrarunt, iniquissima censura perstringere ac lacerare, in Institutionibus Historiae Christianae, Tomo II, pag. 8. Xaverium vocat *non vulgaris ingenii, fortissimique animi virum*. Adeo ut solus fuerit S. Franciscus Xaverius; qui caninum impudentissimi hujus Scriptoris dentem effugerit.

XCI. *Conclusio III.* Ecclesia Protestantica neque sancta est sanctitate doctrinae, neque sanctitate morum aut personarum. Prob. 1. pars. Doctrina Protestantium est Deo injuriosa, et amplissimam portam aperit omnibus sceleribus. Ergo non est sancta. P. A. Protestantes docent, Deum exigere ab hominibus mandatorum suorum observationem, quin eisdem vires subministret ad ea implenda sufficientes ac necessarias: Deum non punire peccantes, modo credant se esse justos, sibique per fidem applicent justitiam Christi: Deum, quando praecipit opus bonum, praecipere peccatum, cum omnia opera, etiam justorum, juxta ipsos de se sint peccata mortalia: Praecipi a Deo multa, quae observari ab hominibus non possint. Docent non dari liberum arbitrium; neminem damnari nisi ob peccatum infide-

litatis : quemlibet de sua justificatione certum esse posse : consilia Evangelica, et votum religiosae paupertatis, continentiae etc. servanda non esse : Matrimonium omnibus praecipi lege divina : Jejunia et afflictiones corporis voluntarias, aliaque pia opera coram Deo nihil prodesse. Atqui haec omnia, quae in eorum Libris symbolicis continentur, sunt Deo perquam injuriosa, quia ex iis sequeretur, Deum insipienter ac tyrannice nobiscum agere, Deum authorem esse peccati, illique patrocinari : suntque mirum quantum affinia doctrinae Alcorani, et Epicureorum, atque ab Evangelica perfectione, quam Christus et Apostoli adeo nobis commendarunt, toto coelo distant. Ergo.

XCII. Prob. II. pars conclusionis I. negative. Protestantes nullum proferre possunt hominem, qui specialibus gratiae divinae donis ornatus vera morum sanctimonia effulserit, qui in eorum secta sit mortuus, ac pro vero Sancto ab hominibus doctis, prudentibus ac timoratae conscientiae habeatur. Quod si ad Apostolos ac primitivae Ecclesiae Martyres, sanctosque viros recurrant, parcere eos huic labori jubemus, donec solidis argumentis ostenderint, doctrinam Apostolorum, Patrum, ac Martyrum primitivae Ecclesiae eandem fuisse cum Protestantica, Praeterea, qui fieri potest, ut Ecclesia Protestantica, siquidem vera foret Ecclesia Christi, tertio jam saeculo tam infoecunda sit, ut nullum omnino protulerit vera sanctitate conspicuum, qui pro Sancto passim ab hominibus agnoscatur ; cum tamen in Ecclesia Catholica, post Lutheri etiam et Calvini tempora, tam multi floruerint, quorum eximiam sanctitatem, prodigiis indubitatis confirmatam, nemo sanus ac prudens in suspicionem vocare potest?

XCIII. Prob. II. positive, ex testimonio sensum. Peculiarem vitae sanctimoniam nemo Catholicorum unquam deprehendit in protestantibus. Quod si illi Catholicos rejiciant tanquam testes inhabiles, audiamus, quid de illis sentiant, ac testentur Protestanticae Ecclesiae proceres. Lutherus in Postilla Domestica Dom. I. Advent. scribit: *Videmus quod hoc tempore homines sint multo pejores, truculentiores, tenaciores, libidinosiores, quam antea unquam in Papatu fuerunt.* Andreas Musculus Dominic. I. Advent. ait: *Cum nobis Lutheranis sic se jam res habet. Siquis nebulonum cuneum, seditiosorum, fraudulentorum, dolosorum, foeneratorum multitudinem videre cupiat, adeat urbem aliquam, in qua Evangelium purum purum annunciatur, et ibi copiosam eorum multitudinem inveniet. Luce clarius est, nunquam inter Ethnicos, Turcas, aut Infideles inventos esse magis effraenes, immorigeratos, magisque a virtute omni, et probitate alienos, quam nunc inter Evangelii professores.* Erasmus Roteradamus Protestantibus certe non infestus, Epistola ad Fratres inferioris Germaniae scribit: *Quos antea sub Papatu noveram puros, candidos et fuci ignaros, eosdem vidi, ubi se sectae Evangelicae dedissent, loqui coepisse de puellis, aleis lusisse, abjecisse preces, impatientissimos omnis injuriae vindices, vanos, viperinos, in moribus, ac prorsus hominem exuisse: expertus loquor.* Idem Epist. ad Vulturium Anno 1529 scribit. *Circumspice populum istum Evangelicum, et observa num minus illic indulgeatur luxui, libidini, et pecuniae, quam faciant ii, quos detestamini. Profer mihi, quem istud Evangelium ex commessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum.*

Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt se ipsis deteriores. Similia ex ipsis Protestantibus afferri possent quam plurima, ex Wolfgango Musculo in explicatione III. praecepti. Ex Melanchtone in Cap. VI. Matth. Ex Brentio ad Cap. III. Matth. Ex Jacobo Andreae Conc. IV. ad Cap. XXI. Lucae. Ex Wigando in Lib. de bonis et malis Germaniae. Ex Menone Lib. de Christiana fide, Cap. de fide mulieris Chananaeae. Ex Simone Paulo Serm. Domin. XIII. post Trinit. Povello in Adiaphoris etc.

XCIV. Prob. III. ex flagitiosa vita Authorum praetensae Reformationis. Initium a *Luthero* ducamus, juvabit enim novum hunc Evangelistam propius novisse. Ac I. quidem blasphemus fuit in Deum; teste enim Mattesio aliisque Lutheranis, paucis ante obitum suum diebus, ad Justum Jonam, Michaelem Coelium, aliosque qui tum aderant, ait: *Orate pro Domino Deo nostro, et ejus Evangelio, ut ipsis bene succedat.* Christum in Colloquiis mensalibus vocavit peccatorem omnium maximum, qui in terris unquam extiterit. In Caput III. Epistolae ad Galatas scribit, omnes Prophetas vidisse hoc in spiritu, quod Christus futurus esset omnium maximus latro, homicida, adulter, fur, sacrilegus, blasphemus. Et in Psalmum XXII. ait, Christum non *objective* tantum, sed etiam *formaliter* fuisse maximum peccatorem, additque: *Non credo, quod sola humana natura pro me passa sit. Christus ille vilis, nec magni pretii Salvator est: immo ipse quoque Salvatore opus habet.* II. Vitam duxit non tam hominis quam porci. Monachus, et Sacerdos, contra fidem Deo datam uxorem duxit monialem, ex qua filium suscepit, paucis post nuptias celebratas diebus.

Scurra fuit obscoenissimus, stercora, crepitus ventris, mille diabolos resque alias turpissimas inverecundo ore identidem eructans, ut satis testantur ejus libri, pretiosis his mercibus referti, ac praecipue Colloquia mensalia, ab Aurifabro Lutherano collecta, ne micae istae Evangelicae perirent. III. Superbissimus fuit mortalium, ideoque etiam flagitiosissimus. Externis non indigemus testibus: ipsi Lutheri libri id satis testantur. Tomo II. Operum Edit. Vittenb. in Lib. contra Angliae Regem scribit: *Hic sto, hic sedeo, hic maneo, hic glorior, hic triumpho, hic insulto Papistis, Thomistis, Henricistis, Sophistis, et omnibus portis inferi, nedum dictis hominum quantumlibet Sanctorum, aut consuetudini fallaci. Dei Verbum est super omnia. Divina Majestas mecum facit, ut nihil curem, si mille Augustini, mille Cypriani etc. contra me starent.* Tomo I. *Ego Doctor Doctorum sum, et Domini nostri Jesu Christi indignus Evangelista.* Tomo II. *Ego Martinus Lutherus vester Apostolus.* Tomo VIII. *Ego Martinus Lutherus, Dei gratia, Evangelista Vittenbergensis.* IV. Infrunitus et furiosus fuit conviciator. Sine horrore legi non possunt convicia, quibus non aequales tantum suos, sed etiam potentissimos Principes, Pontificem, Imperatorem, Cardinales, Episcopos, Henricum Angliae Regem, Bavariae Duces, Georgium Ducem Saxoniae, Henricum Ducem Brunsuicensem etc. male feriatus, et excucullatus hic monachus impetebat, V. Familiaris fuit diabolo: ipse enim Lutherus fatetur, se plures salis modios cum diabolo comedisse, eumque sibi saepius condormiisse, quam suam Catharinam. Idem Tomo VII. Edit. Germanicae Vittenbergensis in Libro de Missa privata disputationem describit nocte concubia cum daemone habitam de ab-

roganda Missa, seque hujus argumentis convictum illi manus dedisse. Porro eadem argumenta a diabolo allata contra Missas privatas, immutato tantummodo ordine, inserta fuere Confessioni Augustanae, ut videre est apud *Adamum Tannerum* Parte I. Anatomiae Conf. Augustanae, Demonstratione VI. Qui de Luthero plura desiderat, legat P. *Vitum Pichler* in Examine Polemico super August. Confessione, Artic. II.

XCV. *Ulricus Zwinglius*, ut legere est apud *Jacobum Gretserum* Tomo XIII. Operum, fol. 251 ita vixit Claronae, ad Eremum Deiparae, et Tiguri, ut nullum luxuriae, insolentiae, foedae libidinis, et petulantiae exemplum praetermiserit. Ad impugnandam realem Christi praesentiam in Eucharistia authorem habuit genium, quem ipse Zwinglius fatetur nescire se, ater an albus fuerit. *Joannes Calvinus* Noviodunensis homo fuit superbia et arrogantia singulari, blasphemus in Deum, animi impotentis ac indomiti, vindictae ac dominationis avidissimus, Novioduni ob exercitam sodomiam infami stigmate; candente nimirum lilio notatus, ut tempore *Thomae Stapletoni* Acta publica Noviodunensis Urbis testabantur. Hic maledicentia, et conviciandi libidine suppar fuit Luthero. Denique Genevae horrendos inter cruciatus, execrationes, blasphemias, daemonumque invocationem, impiam animam evomuit, ut testantur *Hieronymus Bolsecus* in Vita Calvini, et *Joannes Harennius* Calvini morti praesens, qui dum haec scriberet, Calviniani Praeconis munere fungebatur. *Theodorus Beza*, adulter et cinaedus, totam aetatem quam ad seros annos protraxit, explendis libidinibus suis et cupiditatibus contrivit. Is obscoenissimo carmine describere non erubuit amores suos cum Germano Audeberto Aurelanensi adolescente, et Candida, Sutoris Parisini uxo-

re, quam vivente adhuc viro Genevam secum abstraxit, Galliam relinquens suppliciorum magis metu, quam religionis novae amore. Petrus Martyr, seu Vermilius, homo insatiabilis libidinis, mulierum greges secum circumducebat. Hos impietate et luxuria aequabant Martinus Bucerus, Bernardinus Ochinus, Oecolampadius, Pellicanus, Viretus, Münsterus, Bucahananus, excucullati monachi, novi Evangelii buccinatores, Protestanticae Ecclesiae fundatores et columnae.

XCVI. Ex his observo I. Si in primis Ecclesiae Protestanticae fundatoribus ac columnis ne vestigium quidem Christianae et Apostolicae sanctitatis deprehenditur, quid a nostri aevi Protestantibus sperandum erit, qui errorem errori addentes ipsi vix sciunt quid credant; sed novam sibi plerumque cudunt religionem pro libito suo, ad quam exteriores suas actiones componunt, de internis parum aut nihil soliciti, coelestium immemores; carni suae blandientes, Sacramentorum praesidio destituti, cupiditatibus suis pravisque habitibus, velut ferreis vinculis arctissime constricti, quibus vel sola mortis futuraeque vitae cogitatio merito horrorem incutit, qui tamen raro salutem operatur? Observo II. Si flagitiosam Fundatorum suorum vitam serio perpendant nostri aevi Protestantes, fieri vix posse, ut sectae suae errores, quibus malo suo innutriti sunt, non agnoscant, atque agnitos deserant. Quamvis enim absolute foret possibile, omnino tamen est incredibile, Deum in reformanda sua Ecclesia tam sordidis, atque impiis usum fuisse instrumentis, cum Deus ipse testetur Sapientiae Cap. I. v. 4. *Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Praeterea longa saeculorum omnium te-

statur experientia, Deum non nisi Sanctissimos viros excitasse, qui veram fidem in provincias infidelium inveherent, aut collapsam Ecclesiae disciplinam, moresque fidelium instaurarent.

XCVII. Quae de sanctitate verae Ecclesiae diximus, confirmare solent Polemici solidissimo argumento, ex miraculis ducto, sive ex operibus quae totius naturae creatae vires superant. Sic autem illud proponitur. Vera Christi Ecclesia est miraculis conspicua. Atqui talis est sola Ecclesia Catholica. Ergo sola Ecclesia Catholica est vera Christi Ecclesia. Prob. Major. I. Authoritate Scripturarum. *Joan. XIV.* v. 12. ait Christus. *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet, et major horum faciet.* Marci XVI. v. 17. *Signa autem eos, qui crediderunt, haec sequentur. In nomine meo daemonia ejicient: linguis loquentur novis: Serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super aegros manus imponent, et bene habebunt.* II. Authoritate Patrum. *S. Irenaeus* Lib. II. adv. Haer. Cap. LVI. *Non possunt* (haeretici) *caecis donare visum, neque surdis auditum neque omnes daemones effugare, praeter eos qui ab ipsis immittuntur, si tamen et hoc faciunt: neque debiles aut paralyticos, aut claudos restaurare; tantum absunt ab eo ut mortuum excitent, quemadmodum Dominus excitavit, et Apostoli per orationem, et saepissime in fraternitate propter aliquid necessarium, Ecclesia in quoquo loco universa per jejunium, et supplicationem multam postulante, reversus est spiritus mortuo, et donatus est homo orationibus Sanctorum, ut credant esse resurrectionem a mortuis.* Similia habent *Tertullianus* in Apologia adv. Gentes, Cap. XXIII. ad Sca-

pulam, Cap. II. *S. Athanasius* Lib. de Incarnat. Verbi. *Origenes* Lib. I. contra Celsum. *Theodoretus* et *Eusebius* passim in Hist. Eccles. *S. Hieronymus* Epist. XVII. ad Marcellam. *S. Chrysost.* Hom. IV. in Matth. *S. Augustinus* Lib. I. Retract. Cap. XIII. Et Lib. XXII. de Civit. Dei, Cap. VIII. etc. Prob. III. Miracula vere ac proprie talia excedunt vires totius naturae creatae, atque a solo Deo patrantur. Ergo cum Deus non possit in confirmationem erroris miraculum edere, quia alias nos positive in errorem induceret, miracula sunt certissima nota verae Ecclesiae.

XCVIII. Probatur etiam minor propositio. In Ecclesia Catholica non primis tantum saeculis, ut Patres testantur, ac praecipue S. Augustinus de reliquiis S. Stephani, Sanctorumque Martyrum Gervasii et Protasii, verum etiam nostris temporibus multa fiunt miracula ab Historicis summa fide dignis relata, a Pastoribus Ecclesiae post longum ac diligens examen approbata; quae non nisi ab insano homine negari; aut in fraudis suspicionem vocari possunt. Atque hic de miraculis loquimur, quae non incertis rumoribus, credulitate nimia, aut vulgi opinione feruntur; verum de illis, quae praemisso longo ac maturo examine, a viris doctis, prudentibus ac timoratae conscientiae, ab Ecclesiae Praesulibus ut vera atque indubitata agnoscuntur. Certe quanta diligentia Romae examinentur miracula a Sanctis viris patrata, luculenter ostendit Opus *Benedicti* XIV. seu *Prosperi Lambertini* de Servorum Dei Canonizatione. At vero in Ecclesia Protestantica ne unum quidem patratum unquam fuisse miraculum legitime probari potest. Tentavit quidem Lutherus Vittenbergae ex puella obsessa daemonem expellere: at tam infelici successu, ut in

olidas conjectus angustias incoepto desistere coactus fuerit, ut refert *Staphylus* testis oculatus. Protestantes sibi optime conscii, nulla prorsus in Protestantica sua secta haberi miracula, ut notam hanc maxime insignem certissimamque verae Ecclesiae Catholicae ab ea tollant, scurrilibus jocis, contumeliisque miracula irrident, tum ea quae ab antiquissimis Patribus Hieronymo, Ambrosio, Augustino ac Gregorio narrantur; tum ea quae nostris temporibus Sanctorum meritis et intercessione apud nos patrantur. Ajunt Episcopos et Sacerdotes fraudum esse architectos; reliquos vero Catholicos simplices vocant, qui ista credant, vervecum in patria, crassoque sub aere natos: qua in re et Gentiles, et veteres haereticos strenue imitantur. Verum quid his hominibus facias? Doctrinae suae consequentia ad neganda omnia Catholicorum miracula adiguntur; si enim illa admitterent, hoc ipso faterentur, solam Romanam Ecclesiam esse veram Ecclesiam Christi.

OBJECTIONES.

XCIX. *Objicitur I.* contra I. Conclusionem, Ratio. An doctrina aliqua sit sancta, constare nobis potest ex sola Scriptura. Ergo Sanctitas doctrinae non est nota verae Ecclesiae. P. C. Verbum Dei non est nota verae Ecclesiae. Ergo multo minus sanctitas doctrinae, quae fundatur in Verbo Dei. *Confirm.* I. Haec nota est nimis laboriosa; rudis enim homo ad cognoscendam sanctitatem doctrinae deberet omnes articulos illius doctrinae examinare; quod plane illius vires superat. *Confirm.* II. Solus Deus est Sanctus. Ergo Ecclesia non est Sancta. R. N. A. Per sanctitatem doctrinae hic intelligimus do-

ctrinam immunem ab omni errore honestati contrario, aptamqne ad emendandos peccatores, et virtutem promovendam, qualis cognosci potest etiam absque Scripturarum auxilio: alias sequeretur ab Adamo usque ad Moysem, qui primus fuit inter Scriptores sacros, dignosci non potuisse sanctitatem doctrinae. Ad *probat*. C. A. quia antequam constet, illud esse genuinum Verbum Dei, constare debet de veritate Ecclesiae illud proponentis. Et N. C. vel potius suppositum, nos loqui de alia sanctitate, quam de prius memorata. Ad I. *Confirm*. N. A. Rudes satis cognoscunt sanctitatem doctrinae, modo nullam deprehendant maculam in doctrina ipsis proposita, et aliunde vel per experientiam aut famam cognoscant, eos virtutis esse studiosos, qui juxta illius praecepta vivunt. Ad II. *Confirm*. D. A. Deus solus est Sanctus essentialiter et infinite, C. Per participationem et finite, N. A. et C. Ecclesia est Sancta, sed finite, et per participationem.

C. *Dices I.* Corpus in quo plura membra sunt maculata, nequit absolute pulchrum vocari. Ergo etiam Ecclesia, in qua plura membra sunt impia, dici non potest Sancta. R. T. A. N. C. In corpore morali, quale est Ecclesia, denominatio fit a parte nobiliori. Sic civitas aliqua absolute dicitur opulenta, si multos numeret cives pecuniosos, quamvis plures in ea numerentur pauperes. Cum igitur justi sint nobilior Ecclesiae portio, Ecclesia merito dicitur Sancta, licet plures in ea sint peccatores.

CI. *Dices II.* Omnia Ecclesiae membra sunt foeda. Ergo Ecclesia nequit dici pulchra, et Sancta. P. A. I. Joan. Cap. I. v. 8. dicitur: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, et veritas*

in nobis non est. Confirm. Isaias Cap. I. v. 21. de Ecclesia ait: *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis? justitia habitavit in ea, nunc autem homicidae.* Ergo. R. D. A. Omnia Ecclesiae membra sunt foeda, foeditate incompossibili cum pulchritudine, N. A. Quae cum illa componi potest, C. A. N. C. Justi, quamvis in leviora peccata saepe labantur, justitia tamen idcirco non excidunt, charitatem semper habentes, in qua consistit sanctitas substantialis. Ad *confirm.* R. Isaiam loqui de Synagoga, eaque non secundum totum, sed secundum majorem partem. Hinc *S. Hieronymus* in Cap. I. Isaiae scribit: *Nec ambigo in ea fuisse Sanctos, quando Tabernaculum Dei habuit.*

CII. *Dices III.* Sanctitas interna est invisibilis: externa autem saepe tantum simulatur. Ergo sanctitas morum non est nota verae Ecclesiae. R. C. Si certi non sumus, Ecclesiam in omnibus membris a gratia non defecisse, Ecclesia non potest dici Sancta. Sed de hoc certi sumus. Ergo P. m. De nullo habetur, juxta Catholicos, certitudo, quod sit in statu gratiae. Ergo R. C. A. D. C. Ergo sanctitas vitae singulorum fidelium non est nota verae Ecclesiae, C. C. Sanctitas totius collectionis, N. C. Ad *probat.* C. M. N. m. Ad hujus *probat.* D. A. De nullo habetur certitudo probabilitatis, N. A. certitudo positiva et infallibilis, subdist. De nullo determinate, et quoad nos habetur haec certitudo C. Non habetur in genere, quod in Ecclesia semper dentur plura membra a peccatis gravibus munda, N. A. Credere tenemur Sanctam esse Ecclesiam. Ergo semper in Ecclesia dantur justi.

CIII. *Dices IV.* Corrupti mores non indicant doctrinam Ecclesiae esse malam et corruptam. Ergo nec sancti mores Fidelium indicant doctrinam Ecclesiae esse Sanctam. R. C. A. N. C. Sanctitas morum oritur ex con-

formitate cum doctrina, quam Christus et Apostoli verae Ecclesie tradiderunt. Ergo si mores sunt sancti, multo magis sancta erit doctrina. At vero corrupti mores dicuntur ex eo, quia difformes sunt doctrinae a Christo traditae. Ergo quamvis mores sint perversi, sancta nihilominus est doctrina, quae perversis moribus est contraria.

CIV. *Objicitur II.* contra II. Conclusionem perversa Catholicorum doctrina. Doctrina Ecclesiae Catholicae est saepe impia. Ergo non est Sancta. P. A. I. Docet Idolatriam, dum ait Sanctos esse colendos. II. Contemnit Scripturas. III. Sententias tradit Ecclesia Catholica bonis moribus perniciosas, ut patet ex propositionibus damnatis ab *Alexandro VII.* et *Innocentio XI.* IV. Vult Pontificem adorari ut Deum, etc. R. N. A. Ad I. R. Cultus Sanctorum, Imaginum, Reliquiarum, neutiquam est idolatricus, ut adversarii mentiuntur; tum quia cultus noster non refertur ad imagines vel reliquias, sed ad illos quos exhibent: tum praecipue quia Sanctos non colimus ut Deos, sed tanquam Dei amicos, ut suo loco explicabimus. Ad II. Ecclesia Catholica veneratur Scripturas, ut genuinum Dei Verbum: At vero Protestantes eas contemnunt, pessime illas interpretando pro libito suo, contra mentem Patrum et Ecclesiae, pluresque libros vere divinos e Canone expungendo. Ad III. Sententiae illae non ab Ecclesia Catholica, ut imperite aut malitiose nobis objicitur, sed a privatis Doctoribus Catholicis, iisque plerumque paucis admodum, traditae fuerunt. At nemo Catholicorum unquam contendit, doctrinam cujuslibet Catholici Scriptoris, sed Ecclesiae solummodo esse sanctam. Ad IV. Romanum Pontificem non adoramus ut Deum, sed in-

haerentes exemplis, dictisque SS. PP. eum colimus ut Vicarium Christi, et Petri Successorem, cui universi Dominici gregis cura demandata est.

CV. *Dices.* In jure Pontificio seu Canonico reperiuntur flagitiosa quaedam. Sic in Decreto *Gratiani* ex Epistola V. *Clementis Romani* ad Jacobum Fratrem Domini dicitur, *Omnia amicorum communia esse debere in omnibus autem sunt sine dubio et conjuges.* Et Toletani I. Concilii Canon XVII. laudatur: *Caeterum is qui non habet uxorem, et pro uxore concubinam habet, a Communione non repellatur.* R. Decretum Gratiani majorem in Ecclesia Catholica authoritatem non habet, quam fontes, e quibus is doctrinam suam hausit. Fatemur Gratianum saepius lapsum esse, quin Juri Canonico, quo Gratiani Decretum non comprehenditur, aliquid decedat. Epistola illa ad Jacobum fratrem Domini, non est genuinum opus S. Clementis Romani: et verba illa, *In omnibus autem sunt sine dubio et conjuges*, desunt in ea Epistola, quae extat manuscripta in Bibliotheca Vaticana, ut notatum fuit a Romanis Gratiani correctoribus. Toletanum Concilium Can. XVII. pro more illorum temporum concubinae nomine intelligit veram quidem et legitimam uxorem, sed quae sine dotalium tabularum solemnitate ducta fuit.

CVI. *Objicitur III.* Impia Catholicorum vita. Vera Ecclesia Christi non habet maculam, neque rugam, ut Apostolus scribit ad *Ephes.* Cap. V. Atqui talis non est Ecclesia Romana. Ergo P. m. Multi saepe dati sunt, hodieque dantur in illa scelerati, non laici tantum sed etiam Ecclesiastici, ut quotidiana docet experientia, et Ecclesiastica testatur historia. Ergo. R. I. Quamvis Ecclesia Catholica, utpote a Christo et Apostolis fun-

data, longe antiquior sit novitia Protestantium secta, multo pauciores tamen rugas habet quam Ecclesia Protestantica. R. II. cum *S. Augustino* Lib. II. Retractationum, Cap. XVIII. *Ubicunque autem in his libris* (de Baptismo contra Donatistas) *commemoravi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, non sic accipiendum est quasi jam sit, sed quae praeparatur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim propter quasdam ignorantias, et infirmitates membrorum suorum, habet unde quotidie tota dicat: Dimitte nobis debita nostra.* Profecto si vera Ecclesia Christi in hac vita deberet esse absque ruga in omnibus suis membris, nunquam in rerum natura extitisset, aut foret extitura. Ad *probat.* N. C. Dati fuerunt, atque etiamnum dantur laici, atque etiam Ecclesiastici solutioris vitae, non eo tamen numero, quem adeo exaggerant Protestantes. At vero quam plurimi fuere, hodieque existunt Pontifices, Praelati Ecclesiastici, Sacerdotes, Religiosi, ac laici etiam homines sanctitate vitae, ardenti animarum zelo, doctrina, prudentia, vitaque ad omnes Christianae Legis apices exacta illustrissimi, quibus pares certe proferre nequeunt Protestantes.

CVII. *Objicitur IV.* contra III. Conclusionem, Iniquitas accusationis. Ex una parte doctrina Protestantica magis commendat Christum, et humanum fastum meritis suis confisum deprimit: ex altera parte mala prorsus fide in invidiam a Catholicis adducitur, tribuendo Protestantibus multa, quae non docent. Ergo. P. A. Protestantes docent, opera bona, quamvis ad justificationem non disponant, requiri tamen tanquam signa, et effectus fidei. II. Non asserunt, mandata Dei absolute non posse observari, sed tantum non posse

perfecte in hac vita impleri. R. N. A. Christus non indiget fucata et ficta commendatione; sed eo modo commendari debet, quo ipse vult. Dein certe doctrina illa Christum non commendat, quae eum ut tyrannum exhibet, et fautorem peccati: qualis foret juxta doctrinam Protestanticam. Humanus fastus satis a Catholicis deprimitur, cum docent nos viribus nostris relictos nullum elicere posse actum salutarem; atque unice divinae bonitati in acceptis referendum esse, quod gratiam efficacem prae mere sufficiente conferat. Alterum Antecedentis membrum pariter falsum est. Doctrina cujus a nobis insimulantur Protestantes, tradita fuit ab illorum fundatoribus, contineturque in eorum libris symbolicis. Quod si aliter hodiedum doceant, recesserunt a Majorum suorum doctrina; neque tamen idcirco Catholicam veritatem sunt assecuti. Verum ut pateat, quod mentita sit iniquitas sibi, discutiamus quae adversarii ad tegendos errores suos proferunt. Si opera bona tantummodo requiruntur ut signa et effectus fidei, sufficiet simulate illa peragere, adeoque absque veris operibus bonis quis salvabitur. Dein vel absque bonis operibus potest quis simpliciter et absolute salvari, vel non? Si salvari non potest: ergo bona opera sunt simpliciter necessaria ad salutem; ideoque falsa est Protestantium doctrina, hominem per solam fidem justificari. Si salvari potest: ergo bona opera non sunt simpliciter et absolute necessaria ad salutem. Pari modo mandata Dei vel possunt perfecte servari in vita hac, eo modo quo illa tenemur servare, vel non possunt perfecte servari? Si non possunt servari perfecte eo modo quo obligamur: ergo Deus stulte et tyrannice praecepit impossibilia. Si possunt perfecte servari: ergo falsa est adver-

sariorum doctrina. Atqui mandata Dei, atque etiam ipsum dilectionis Dei praeceptum possunt in hac vita perfecte servari, eo scilicet modo quo illa servare tenemur; quia non praecipitur summa dilectionis intensio, quae etiam Sanctis in coelo est impossibilis; sed amor appretiative summus, quo Deus praefertur omni creaturae.

CVIII. *Dices*. Etiam Protestantes suos habent Sanctos, multosque Martyres, qui in odium Religionis Protestanticae fuerunt interfecti. Ergo. *Confirm*. Multi dantur Protestantes virtutis amantes, qui vitam ducunt inculpatam. Ergo. R. N. A. Certe vel ipsi Protestantes, serio ac sine risu, Sanctos vocare nequeunt Progenitores suos, Lutherum, Calvinum, Bezam, Zwinglium, Vermilium etc. Martyres non poena facit, sed causa; alias quaelibet secta veros Martyres haberet, ut Donatistae in Circumcellionibus, Tritheitae in Valentino Gentile, Sociniani in Michaele Serveto etc. Cum igitur Protestantes illi malam causam defenderint, Martyres vocari nequeunt, cum plerumque non tam ob religionem, quam ob alia gravissima crimina fuerint interfecti. Ad *confirm*. R. Etiam Romani Gentiles multa dederunt virtutum moralium specimina, ut referunt Plutarchus, Livius, Valerius Maximus etc. neque tamen propterea Sancti esse, aut dici possunt. Quamvis itaque haud difficulter concedamus, aliquos ex Protestantibus virtutes quasdam morales, saltem exterius, consectari; id tamen non pravae eorum doctrinae, sed ractae educationi Parentum, bonaeque indoli adscribendum est, homines itaque dici poterunt exculti illi quidem et urbani; non tamen Sancti, qui carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixerunt, aut qui Christi consilia Evangelica complexi sunt, juxta illud Matth. Cap. XIX. v. 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende*

quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo: et veni, sequere me.

CIX. *Objicitur V.* contra notam miraculorum, eorum inutilitas. Miracula nullo modo sunt necessaria aut utilia ad probandam veram fidem, aut missionem extraordinariam. Ergo non sunt nota verae Ecclesiae. P. A. I. ex Scripturis ad Cor. Cap. XIV. v. 22. scribit Apostolus: *Linguae in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus.* II. Exemplo S. Joannis Baptistae, qui nullo miraculo doctrinam suam et missionem comprobavit. III. Ratione. Qui enim Scripturis non credit, neque miraculis credet, juxta illud Lucae Cap. XVI. v. 31. *Si Moysen et Prophetas non audiunt: neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* R. N. A. Miracula et maxime utilia sunt, et necessaria, supposita promissione Christi Ecclesiae facta. Neque aliter sensit hac in re ipse Lutherus Tomo II. Jenensi ad Senatum Mulhüsanum scribens in causa Münseri. *Inclytus Senatus vocet Thomam Munzer ad se, et si fieri potest, ad totam communitatem, et quaeret ex eo, quis ipsum ad praedicandum miserit, aut vocaverit? si dicat a Deo, et Spiritu hujus se fuisse missum, sicut olim Apostoli, probet hoc signis et miraculis. Nam quando Deus ordinarium modum immutari vult, semper simul miracula operatur.* At numquid Münzerus in Lutherum retorquere poterat, qui nec doctrinam, nec missionem suam ullo ostento comprobavit? Ad I. Cum doctrina Protestantica diversa sit in multis capitibus a doctrina Catholica, oportet vel Protestantes, vel Catholicos esse infideles! Praeterea Protestantes traducunt Catholicos, ob cultum Sanctorum, et adorationem Eucharistiae; tanquam infideles et idololatras. Ergo nobis infidelibus de-

berent signa dare suae fidei. Ad II. Praecursori suo testimonium perhibuit Christus ore suo: neque doctrinam aliam praedicavit Baptista, quam alii Prophetae; hoc solo discrimine, quod praesentem Christum monstraverit, quem alii venturum praedixerant. Ad III. D. A. Qui non credit Scripturae, et agnitae veritati resistit ex malitia voluntatis, neque miraculis credet, C. A. Qui non credit Scripturae ex ignorantia quadam, eoquod nondum sufficienter convictus sit, non credet miraculis, N. A.

CX. *Dices II.* Miracula sunt communia etiam falsis sectis. Ergo non sunt utilia ad dignoscendam veram Ecclesiam. Ergo non sunt nota verae Ecclesiae P. A. I. Magi Pharaonis miracula patrarunt miraculis Moysis simillima. Pseudo christi, et Pseudo prophetae, ut dicitur Matth. Cap. XXIV. dabunt signa magna, et prodigia, praecipue Antichristus. II. Apollonius Thyanaeus mortuae puellae vitam: Vespasianus Imperator visum caeco restituit. III. Neque miraculis caruerunt Donatistae et Novatiani. Refert enim Socrates Lib. VII. Hist. Eccles. Cap. XVII. cum Paulus Episcopus Novatianus Judaeum quemdam baptizare vellet Baptismo jam initiatum, et sacra Mysteria irrisurum, aquam subito e Baptisterio evanuisse. R. N. A. Miracula vere ac proprie dicta sunt opus Dei, viresque totius naturae creatae superant; adeoque communia esse nequeunt falsis sectis. Ad I. respondimus jam Tractatu II. Num. L. Ad II. Vide dicta eodem Tractatu II. Num. LXXVII. Ad III. Miracula Donatistarum nil aliud erant, quam illusiones daemonum, falsaeque revelationes, ut testatur S. Augustinus Tractatu XIII. in Joannem. Ad id, quod de Paulo Novatianorum Episcopo additur, ajo,

si quidem fides adhibenda sit Socrati homini Novatiano, miraculum illud non fuisse a Deo patratum in confirmationem erroris Novatiani; sed ad ostendendam sanctitatem Sacramenti Baptismi, quod irridere volebat recutitus ille.

CXI. *Dices II.* Sine Scripturis sacris cognosci non potest, an vera sint miracula. Ergo miracula non sunt nota verae Ecclesiae; quia prius cognosci debet vera Ecclesia, quae fidelibus suis dat Scripturas. P. A. S. Augustinus Lib. de Unitate Ecclesiae, Cap. XIX. scribit: *Quaecunque talia in Catholica fiunt, ideo sunt approbanda, quia in Catholica fiunt: non ideo ipsa manifestatur Catholica, quia haec in ea fiunt.* Pluribusque ostendit, litem inter Catholicos et haereticos non ex miraculis esse dirimendam, cum utrobique inveniri possint: neque Ecclesiae sanctitatem probandam esse ex illis, sed ea authoritatem habere ab Ecclesia. R. N. A. Judaei certe cognoverunt miracula a Moyse patrata etiam antequam scripto consignarentur. Ipse Christus Dominus Judaeos saepe ad miracula sua ablegavit, ut ex illis veritatem doctrinae suae agnoscerent. Joannis Cap. V. v. 36. *Ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Ad *probat.* R. S. Augustinus l. c. agit contra Donatistas, qui falsas revelationes, falsaque miracula jactabant. Ne autem de falsitate illorum miraculorum cum illis diutius contendere cogeretur, compendium disputationis facturus provocat ad Scripturas sacras, ex quibus longe apertius Catholica veritas cognosci poterat, quam ex miraculis suspectis saltem, si non aperte falsis. Caeterum quanti fecerit Augustinus argumentum ex veris ac genuinis miraculis petitum, patet exinde,

quia frequentissime illo utitur, praecipue in Libris de Civitate Dei, et Lib. adversus Epistolam fundamenti Cap. IV.

CXII. *Dices III.* Difficillima res est et mille erroribus obnoxia, discernere miracula vera a falsis. Ergo solidum argumentum ex illis duci nequit. R. Si sermo sit de miraculis proprie ac stricte dictis, quae vires totius naturae creatae superant, qualia sunt v. g. suscitatio mortuorum, replicatio in pluribus locis, instantanea gravissimae infirmitatis depulsio etc. res est minime difficilis. Si vero de miraculis in latiore sensu sumptis sit sermo, sive de operibus quae non totius naturae creatae, sed hominum tantum vires superant, D. A. Si adhibeantur cautiones necessariae, N. A. Si illae non adhibeantur, C. A. N. C. Ut vera miracula in latiori sensu sumpta a falsis dignoscantur, consideranda est I. diuturnitas effectus; quae enim ficte fiunt, cito evanescunt. II. Circumstantiae, in quibus illa fiunt, an nimirum per orationem ad Deum, vel per ritus superstitiosos, impios, et Ecclesiae contrarios. III. An operans sit bonae famae; ordinarie enim Deus nisi per homines sanctos miracula patrat, etiam propter aliorum utilitatem tantum. IV. An opus illud ponatur ab operante ad suam gloriam quaerendam, vel Dei.

CXIII. *Objicitur VI.* Mala fides Catholicorum. Miracula Catholicorum sunt ficta, credulae plebis deliramenta, vel praestigiae Daemonis. Ergo P. A. Jam Saeculo IV. hic error erat publice receptus: *Fallere ac mentiri virtus est, si res religionis hoc vitio servari queat.* Ita *Joan. Laurent. Moshemius* Tomo I. Institut. Hist. Christianae, fol 325. additque pro sua erga Patres

Ecclesiae reverentia: *Vereor ego, ne qui curiosus maximorum ac Sanctissimorum hujus Saeculi* (IV.) *Doctorum res gestas et libros exploraverit, omnes fere hac scabie inquinatos inventurus sit. Non excipio Ambrosium, non Hilarium, non Augustinum, non Gregorium Nazianzenum, non Hieronymum. Confirm.* Innumerabilis est miraculorum multitudo, quae a Catholicis circumferuntur, ita ut omnem fidem superent. R. N. A. Quod nostro aevo Protestantes, id olim Christo objiciebant Judaei, Christianis Ethnici, Catholicis haeretici, Ariani, Vigilantiani, Eunomiani etc. Ad *probat.* N. A. quod sine insigni petulantia ac temeritate diei nequaquam potest. Semper enim probi ac prudentes Catholici maximo sibi piaculo duxerunt, malis hujuscemodi artibus gloriam Dei, ac religionem propagare; cum illa minime indigeat adulterina commendatione. Caeterum quae de Sanctissimis doctissimisque Ecclesiae Patribus scribit Moshemius, satis ostendunt infrunitam impudentissimi scriptoris arrogantiam, et incredibilem, quem in sua historia ubique prasefert homo vanissimus Patrum contemptum. Ad *confirm.* R. Nos non omnia quae circumferuntur, miracula admittimus, sed ea tantum, quae post serium ac diligens examen approbat Ecclesia, aut pro quibus ea pugnant testium ac rationum momenta, ut a nullo sanae mentis homine, ac modestiae non omnino immemore in dubium vocari queant.

CXIV. *Dices I.* Patres Ecclesiae, S. Augustinus, S. Chrysostomus, S. Gregorius M. pluribus in locis tradunt, jam suo tempore miracula cessasse. Ergo nova miracula a Catholicis finguntur. R. D. A. Patres illi dicunt miracula cessasse, id est, donum miraculorum, quod in primitiva Ecclesia omnibus fere Christianis

passim a Deo concedebatur, aetate Patrum illorum non ita commune fuisse, C. A. Miracula illa penitus cessasse, N. A. et C. Juvat ipsum *S. Augustinum* audire, optimum sane mentis suae interpretem Lib. I. Retractationum, Cap. XIII. scribit: *Quod dixi, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne anima semper visibilia quaereret, et eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit, verum est quidem: non enim nunc usque, cum manus imponitur baptizatis, sic accipiunt Spiritum Sanctum, ut loquantur linguis omnium Gentium: aut nunc usque ad umbram transeuntium praedicatorum Christi sanantur infirmi; et si qua talia tunc facta sunt, quae postea cessasse manifestum est. Sed non sic accipiendum est quod dixi, ut nunc in Christi nomine fieri miracula nulla credantur. Nam ego ipse quando istum ipsum librum scripsi, ad Mediolanensium corpora Martyrum in eadem civitate caecum illuminatum fuisse jam noveram, et alia non nulla, qualia tam multa etiam istis temporibus fiunt, ut nec omnia cognoscere, nec ea quae cognoscimus enumerare possimus.* Certe ipse *S. Gregorius Magnus* in suis Dialogis, et *S. Augustinus* praecipue Lib. XXII. de Civit. Dei, Cap. VIII. plurima recensent miracula temporibus suis patrata.

CXV. *Dices II.* Quamvis vera forent illa miracula, non tamen fuerunt patrata in commendationem Ecclesiae Papisticae sed tantum in commendationem fidei Christianae. Ergo ex illis non probatur Ecclesiam Catholicam esse veram Ecclesiam Christi. *Confirm.* Miracula per intercessionem alicujus Sancti patrata, quamvis genuina forent, tantum probarent illius gloriam in coelis. Ergo veritas Ecclesiae Catholicae ex illis non

evincitur. R. I. Eodem jure, quo Lutherani, dicere possent Judaei, miraculis a Christo atque ab Apostolis patratis comprobari tantum veritatem eorum dogmatum, in quibus Lex Christiana cum Lege Mosaica, et Synagoga conveniebat. R. II. N. A. et quaero, cur Protestantes, qui in pluribus rebus nobiscum conveniunt, ejusmodi miracula non patrent? Accedit quod saepius, ut ex clarissimae famae authoribus habetur, Deus miracula patraverit in confirmationem eorum dogmatum, in quibus a Protestantibus dissentimus. Ad. *Confirm.* N. A. Nam I. cum nullus falsae religionis cultor veram sanctitatem adipisci possit, hoc ipso miraculis illis indirecte evincitur, veram esse Religionem Catholicam, quam Sanctus ille profitebatur. II. Si invocatio Sanctorum, cultus Imaginum et Reliquiarum Idololatriam saperent, et cultum superstitiosum, ut perpetuo criminantur adversarii nostri, Deus non posset miracula patrare, quin mendacio et superstitioni cooperetur. Ergo cum Deus vera patrarit miracula in commendationem illius cultus, hoc ipso ostendit gratam sibi esse invocationem Sanctorum, cultum Imaginum ac Reliquiarum; adeoque vera doceri ab Ecclesia Catholica.

CXVI. *Objicitur VII.* Miraculum Protestanticum. Ecclesia Protestantica vel miraculis propagata est, vel absque illis? Si primum: ergo falsum est in Ecclesia Protestantica nulla patrari miracula. Si alterum: hoc ipsum maximum est miraculum, quod potentissimi Principes sistere nequiverint cursum Evangelii, quod a Luthero paupere monacho, et Calvino praedicabatur. R. I. Ergo etiam absque miraculo propagari tam late non potuit Mahometis secta? R. II. Ecclesiam Protestanticam absque ullo prorsus miraculo propagatam fuisse;

quia Principibus saecularibus opima Sacerdotia, et praepingues Episcopatus in praedam dabat, Sacerdotibus et Monachis uxores, populo omnem vitae licentiam permittebat. Immo vero mirandum magis est, in illa temporum calamitate Germaniam universam a Catholica fide non defecisse, novamque doctrinam ambabus ulnis non suscepisse, carni, pravisque cupiditatibus adeo blandientem. Quam valide hoc telum a S. Augustino vibratur in adversarios Christianae fidei, tam elumbe et obtusum est, si a Protestantibus in Catholicos intorqueatur, ut fuse ac solide ostendit *Laurentius Forerus* in Libro, cui titulus: *Lutherus Thaumaturgus Lutheranis strenae loco donatus.*

CONTROVERSIA VII.

AN VERA CHRISTI ECCLESIA DEBEAT ESSE APOSTOLICA, ET QUAENAM ILLA SIT?

Contra Protestantes.

CXVII.

Conclusio I. Vera Christi Ecclesia debet esse Apostolica, tum ob antiquissimam doctrinam ab Apostolis derivatam; tum ob perpetuam successionem legitimorum Pastorum ab Apostolicis usque temporibus. Prob. I. pars Conclusionis I. Authoritate Scripturarum. *Matth.* Cap. XVI. v. 18. *Tu es petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non paevalebunt adversus eam.* Ad Ephesios Cap. II. v. 20. *Superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Prob.

II. Authoritate Patrum. *S. Irenaeus* Lib. III. adv. Haer. Cap. III. ait: *Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam, in Ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint audire, et habemus annumerare eas qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt quale ab his* (Haereticis) *deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quae seorsim ac latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea quibus etiam ipsas Ecclesias committebant. Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes, quibus emendate agentibus fieret magna utilitas, lapsis autem summa calamitas.* Tertullianus Lib. de Praescript. Cap. XX. *Apostoli --- primo per Judaeam contestata fide in Jesum Christum et Ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti, eamdem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt, et proinde Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinae, caeterae exinde Ecclesiae mutuatae sunt, et quotidie mutuantur ut Ecclesiae fiant. Ac per hoc et ipsae Apostolicae deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. S. Hieronymus* in Epist. ad Pammachium et Oceanum scribit: *Quisquis assertor es noverum dogmatum, quaeso te, ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, quae Apostolico ore laudata est. Cur post quadrigentos annos docere nos niteris quod ante nescivimus? Cur profers in medium quod Petrus et Paulus edere noluerunt? Usque in hanc diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit.* Prob. III. Ratio-

ne Theologica, Apostoli ab ipso Christo, et Spiritu Sancto docti fuerunt omnem veritatem. Ergo Ecclesia illa, cujus doctrina non est conformis doctrinae Apostolicae, nequit esse vera Ecclesia Christi, cum ille contraria et opposita revelare nequeat. Ergo consensus cum doctrina Apostolica, nota est indubitata verae Ecclesiae.

CXVIII. Prob. II. pars Concl. I. Authoritate Scripturarum. Ad *Ephes.* Cap. IV. v. 11. ait Apostolus: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei.* Prob. II. Authoritate Patrum, qui frequentissime ex ista successione probant contra suorum temporum haereticos, Ecclesiam Catholicam veram esse Christi Ecclesiam. *Tertullianus* Lib. de Praescript. Cap. XXXII. *Edant origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseverarit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae Apostolicae census suos deferunt. Sicut Smyrnaeorum Ecclesia habens Polycarpum a Joanne conlocatum refert; sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit: proinde utique et caeterae exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid haeretici.* S. Irenaeus Lib. III. adv. Haer. Cap. III. *Quoniam valde longum est omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae, et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus*

R

Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes confundimus omnes eos, qui quoquo modo per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per caecitatem et malam sententiam praeter quam oportet colligunt. Et Lib. IV. adv. Haer. Cap. XXVI. olim XLIII. *Eis qui in Ecclesia sunt Presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt. Reliquos vero, qui obsistunt a principali successione, et quocunque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi Haereticos, et malae sententiae, vel quasi scindentes et elatos, et sibi placentes.* S. Optatus Milevitanus Lib. II. contra Parmenianum Donatistam: *Vestrae Cathedrae vos originem reddite, qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vindicare.* S. Augustinus Epistola LIII. alias CLXV. ad Generosum, hunc in finem enumerat Pontifices Romanos omnes, a B. Petro usque ad Anastasium, qui tunc Romae sedebat in Cathedra Petri. In Psalmo contra partem Donati, prope finem, ait: *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, et in ordine illo Patrum quis cui successit videte: Ipsa est Petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.* Et Lib contra Epist. Fundamenti, Cap. IV. *Multa sunt alia, quae in ejus* (Catholicae Ecclesiae) *gremio me justissime teneant. - - - Tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem Episcopatum successio Sacerdotum.*

CXIX. Vides, hanc successionem Episcopatus qualibet aetate visam fuisse notam et tesseram certam Catholicae Ecclesiae: idque non ab uno ex Patribus, sed ab omnibus omnino, qui hac de re disserunt; neque enim ullus est, qui aliter senserit. Et profecto potestas pascendi oves Christi est supernaturalis. Ergo cum ordinarie nemo illam accipiat immediate a Deo, accipi debet ab Episcopis Apostolorum successoribus absque ulla interruptione: Si enim successio ista cessaret, potestas haec a nullo eam habente posset communicari. Illud autem hic observo, necessarium non esse, ut qui ad veram Ecclesiam pertinent, suorum Pastorum particularium successionem continuam ostendant; sed satis esse, si successionem Episcoporum universalium, qui sunt Romani Pontifices, exhibeant. Atque hanc ob causam in una Pontificum Romanorum collectione sistebant veteres Ecclesiae Patres, de illa principali successione solliciti magis quam de sua. Hinc nec S. Irenaeus Lugdunenses Praesules, nec Eusebius Caesarienses decessores suos, nec S. Optatus Milevitanos, nec S. Epiphanius Salaminenses, nec S. Augustinus Hipponenses in medium adducunt: sed communi consensu in una sola Romanorum Pontificum successione enumeranda conspirant.

CXX. *Conclusio II.* Ecclesia Catholica est vere Apostolica, tum ob antiquissimam doctrinam ab Apostolis derivatam, tum ob perpetuam successionem legitimorum Pastorum. Prob. I. pars Conclusionis I. Protestantes non possunt ostendere, Ecclesiam Catholicam in re ad fidem pertinente defecisse aliquando a doctrina Apostolorum. Immo Catholici doctrinam suam ubique communiunt tum authoritate Scripturarum, et an-

tiquissimorum Patrum, tum praxi continua Ecclesiae. Sane sicut authores haeresum, ac perturbatores Ecclesiae nominare possumus: ita etiam Protestantes in medium proferre deberent Authorem hujus immutationis in Ecclesia Catholica, locum, tempus, aliaque rerum adjuncta. Atqui haec omnia proferre adversarii non possunt, nullumque prorsus in tota Ecclesiastica historia vel tenue extat vestigium hujus immutationis. Ergo temere prorsus, atque absque ullo solido fundamento a Protestantibus asseritur, immutatam fuisse in Catholica Ecclesia genuinam Apostolorum doctrinam. II. Temporibus Lutheri et Calvini, ante inchoatam praetensam reformationem, dabatur certe vera Ecclesia Christi, cum illa ob promissiones Christi sit indefectibilis et visibilis. Atqui tunc nulla alia videbatur Ecclesia, quam Romana, Graeca, et Hussitica. Ergo una ex his tribus erat vera Christi Ecclesia. Atqui talis dici non potest fuisse Graeca Ecclesia, ab unitate Catholica tunc divulsa, et haeresi contra processionem Spiritus Sancti polluta: non Hussitica, quia nova, erroresque docens ab ipsis etiam Protestantibus reprobatos. Ergo Romano-Catholica erat tunc vera Christi Ecclesia. Ergo cum nostris temporibus Ecclesia Catholica idem doceat, quod olim paulo ante tempora praetensae reformationis, hodiedum etiam est vera Ecclesia Christi, et possessione sua nunquam fuit dejecta. II. pars Conclusionis invicte ostenditur ex Catalogo Romanorum Pontificum a B. Petro usque ad Clementem XIV. serie non interrupta.

CXXI. *Conclusio III.* Ecclesia Protestantica neque est Apostolica ob antiquitatem doctrinae ab Apostolis derivatae, neque ob perpetuam successionem legitimorum Pastorum. Prob. I. pars Conclusionis. Protestantes

a temporibus Apostolorum ad Lutherum usque et Calvinum, per annos 1500. ne unicam quidem urbem aut pagum proferre possunt, in quo homines idem doctrinae systema, seu eandem quoad omnia, in quibus a nobis dissentiunt, doctrinam cum Protestantibus professi fuerint. Ergo doctrina Protestantica non est Apostolica, sed novitium Lutheri et Calvini commentum, et pallium quoddam ex variis centonibus veterum haereticorum male consutum, quod facile a nobis ostenditur. Protestantes cum Simone Mago, et Eunomio solam fidem ad salutem sufficere docent: Originale peccatum non tolli per Baptismum, sed tegi tantum cum Messalianis asserunt: Traditiones cum Valentinianis, Gnosticis et Marcionitis impugnant: Sacrificium et orationes pro defunctis cum Aerianis improbant: Coelibatum cum Joviniano insectantur: liberum arbitrium cum Manichaeis negant: Sanctarum Imaginum, et Reliquiarum cultum cum Manichaeis, Eunomianis, Vigilantianis, Iconomachis, damnant.

CXXII. Prob. II. pars Conclusionis. Protestantes non habent successionem Apostolicam in suis ministris: Calvinus enim Sacerdos non fuit, gloriaturque manus suas foetido oleo pollutas non fuisse, quo manus Sacerdotum apud Catholicos inungi solent. Lutherus quamvis Sacerdos, quia tamen non erat Episcopus, Episcopalem potestatem, aut Sacerdotium nemini conferre potuit. Praeterea per sententiam excommunicationis a Romano Pontifice in ipsum lata privatus fuit potestate jurisdictionis Sacerdotalis, quam ab Episcopo acceperat. Ergo in Ecclesia Protestantica nulla datur successio Episcoporum, nullusque datur Sacerdos, qui Verbum Dei legitime praedicet, aut qui Sacramenta valide conferat,

excepto Baptismo. Etenim hanc potestatem non habent a Deo immediate; qua enim ratione id probabunt? Neque ab Episcopis Apostolorum successoribus; sed a Magistratu civili, aut Ministerio ipsorum Ecclesiastico, quod dare non potuit quod non habuit. Ex quo sequitur Ecclesiam Protestanticam non esse veram Ecclesiam. Ut enim scribit *S. Cyprianus* Epist. LXIX. ad Florentium Pupianum: *Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata, et Pastori suo grex adhaerens. Unde scire debes Ecclesiam esse in Episcopo, et Episcopum in Ecclesia: et si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse.* Et *S. Hieronymus* in Dial. adv. Luciferianos: *Ecclesia autem non est, quae non habet Sacerdotem.*

CXXIII. Praeterea Protestantes non habent legitimam missionem ordinariam vel extraordinariam. Non extraordinariam: haec enim miraculis confirmari deberet, sicut missio Moysis, Prophetarum, et Apostolorum: non ordinariam; quia eam acceperunt ab Ecclesia Catholica, vel ab aliqua alia? Si ab alia, quaenam fuit illa? Si dicant ab Ecclesia Catholica, quaero fuit ne tunc Ecclesia Catholica haeretica, nec ne? Si haeretica: ergo non fuit vera Christi Ecclesia, adeoque non habuit legitimam potestatem mittendo ministros, nec potuit illam in alios transferre; certum est enim haereticos omni potestate jurisdictionis in Ecclesia Dei semper privatos fuisse. Si non fuit tunc haeretica Ecclesia Catholica: ipsi Protestantes in errores fidei adversantes lapsi sunt, quia dogmata tuentur Catholicae professioni contraria, authoresque fuere schismatis, dividendo se ab unitate Catholica: ideoque hoc ipso amiserunt potestatem jurisdictionis regendi et gubernandi Ecclesias.

OBJECTIONES.

CXXIV. *Objicitur I.* contra I. Conclusionem, Obscuritas hujus notae. Pura verbi divini praedicatio est prorsus idem cum doctrina Apostolica. Ergo si prior non est nota verae Ecclesiae Christi, neque posterior erit. *Cofirm.* Facilius cognoscimus dari Ecclesiam, quam doctrinam illius esse Apostolicam. Ergo doctrina Apostolica non est nota verae Ecclesiae. R. D. A. Est prorsus idem cum doctrina Apostolica quoad se, C. A. Quoad nos, id est, tam facile cognoscimus puram verbi divini praedicationem, ac doctrinam Apostolicam, N. A. Quamvis absque dubio illa sit vera Ecclesia Christi, in qua purum Dei Verbum praedicatur, indagandum tamen superest, qua arte, et quibus criteriis discerni debeat Verbum Dei purum a non puro et corrupto: quod maturo indiget, et longo examine. At vero conformitas doctrinae cum doctrina Christi et Apostolorum facilius nobis innotescere potest per externam professionem Apostolorum, et Fidelium nostri temporis, quod ad quaestionem facti pertinet. Ad *confirm.* D. A. Facilius cognoscimus dari Ecclesiam Dei in genere, et indeterminate, C. A. Hanc determinate, et non aliam, esse veram Ecclesiam, N. A.

CXXV. *Dices I.* Apostoli sunt tantum fundamentum ministeriale Ecclesiae. Ergo nequit ab Apostolis desumi denominatio. P. C. Apostolus I. ad Cor. Cap. I. v. 12. prohibet dicere, *Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephae.* Ergo Ecclesia non debet dici Apostolica. R. C. A. N. C. Apostoli non diversam a Christo tradiderunt doctrinam: Apostolica au-

tem dicitur Ecclesia, quia Apostoli doctrinam Christi nobis tradiderunt, fideles ejus depositarii et custodes. Ad *probat*. N. C. Corinthii denominationes illas desumebant a persona, adstruebantque differentiam aliquam inter baptismum collatum a Paulo, et collatum a Petro etc. At vero denominatio Ecclesiae Apostolicae non desumitur a persona, sed ab officio, omnemque virtutem, vim ac praerogativam a Christo collatam fuisse Apostolis fatemur, utpote qui Ministri tantum sint Christi, et fideles dispensatores Mysteriorum Dei.

CXXVI. *Dices II.* Ecclesia non minus fundatur supra ministerium Propheticum, quam Apostolicum, ut patet ex Apostolo ad Ephes. Cap. II. v. 20. *Superaedificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum.* Ergo nulla datur ratio, cur Ecclesia potius Apostolica, quam Prophetica dicatur. R. C. A. N. C. Prophetae clausa continebant Sacramenta, Apostoli autem, Christo Domino aperiente, aperta tradiderunt Ecclesiae. Hinc a manifesto desumitur denominatio, et Ecclesia Apostolica vocatur.

CXXVII. *Dices III.* Si antiquitas doctrinae esset signum verae Ecclesiae, sequeretur, Judaeos praeferendos esse Christianis; possunt enim illi Sacerdotes suos ostendere ab Aarone usque ad eversionem Templi Jeresolymitani. II. Religionem Paganorum fuisse veram, eoquod viginti saltem saeculis antiquior sit Christiana. R. D. A. Si antiquitas qualiscunque foret signum verae Ecclesia, C. A. Si antiquitas, seu conspiratio tantum cum doctrina Apostolica sit signum verae Ecclesiae, N. A.

CXXVIII. *Objicitur II.* Fallibilitas hujus notae. Haec nota neque convenit omni verae Christi Ecclesiae, neque convenit soli. Ergo haec nota non est legitima. P.

I. membr. Antec. Ecclesia Christiana primis statim annis erat vera Christi Ecclesia; et tamen non habebat successionem Pastorum. Ergo non convenit omni. Prob. alt. membrum. Haec nota convenit etiamnum Ecclesiae Graecae, quamvis illa sit Schismatica, immo in haeresin lapsa. Ergo non convenit soli. R. N. A. Ad I. *probat*. D. A. Et tamen nondum habebat successionem Pastorum in actu primo, et radicaliter, N. A. In actu secundo, et formaliter, C. A. N. C. alias dici etiam posset, non bene definiri hominem per *το animal rationale*; quia infans est homo, licet in actu secundo sit incapax ratiocinii. Ad II. *probat*. D. A. Graeca Ecclesia Schismatica habet successionem Pastorum qualemcunque, vi cujus valide potest ministros suos ordinare, C. A. Habet legitimam successionem Pastorum, N. A. et D. C. Ergo successio Pastorum non interrupta non est signum negativum verae Ecclesiae, N. C. Non est signum affirmativum, subdist. Si sit legitima successio, N. C. Si sit illegitima C. C. Ut Successio Pastorum sit nota affirmativa verae Ecclesiae, debet esse legitima, id est, Pastores debent Apostolicam sequi doctrinam; alias fures et latrones sunt, qui per ostium non intraverunt in Ecclesiam Dei, quales sunt Graeci Schismatici, et Episcopi haeretici, quamcunque haeresin exterius profitentes. Hinc illorum acta omnia sunt invalida, ex defectu amissae jurisdictionis ob notoriam haeresin, praeter collationem eorum Sacramentorum, quorum valor solam potestatem Ordinis in conferente exigit.

CXXIX. *Dices*. De legitima successione Pastorum nunquam interrupta constare nobis solummodo potest ex historiis. Ergo legitima successio Pastorum non

potest esse nota verae Ecclesiae. P. C. Fides nititur sola authoritate divina, non humana. Ergo legitima successio non potest esse nota verae Ecclesiae. R. T. A. N. C. Ad *probat.* C. A. N. C. Nota dicitur character quidam, qui evidenter credibilem reddit religionem illam, in qua deprehenditur. Quando igitur sufficienter constat de legitima successione Pastorum in Ecclesia aliqua, prudenter dubitari non potest eam esse veram Christi Ecclesiam. Ut vero hoc fide divina credatur, requiritur illustratio supernaturalis, seu lumen fidei, vi cujus firmiter propter solam revelationem divinam credimus, quae per motiva extrinseca, seu per notas verae Ecclesiae sufficienter nobis fuerunt proposita.

CXXX. *Objicitur III.* contra II. Conclusionem, Immutatio doctrinae Apostolicae. Ecclesia Catholica abjecit doctrinam Apostolicam. Ergo non potest dici Ecclesia Apostolica. P. A. Doctrina Apostolica fuit trina in Baptismo immersio, oratio versus Orientem, Eucharistiae administratio sub utraque specie, abstinentia a sanguine et suffocato etc. quae omnia in Ecclesia Catholica non amplius observantur. Ergo. *Confirm.* I. Pontifices multas invexerunt novitates, non tantum in ritibus, sed etiam, in dogmatibus, de quibus nihil sciebant veteres, v. g. de Purgatorio, Invocatione Sanctorum etc. Et Concilium Tridentinum multa definivit, ad quae fide divina credenda fideles prius non tenebantur. *Confirmat.* II. Quamvis Protestantes non possint assignare tempus, locum, authorem, a quo depravata fuit doctrina Apostolica, potuit tamen depravari oscitantia Pastorum Catholicorum. Immo neque ipsi Catholici probare possunt, olim in veteri Ecclesia Catholica ita creditum fuisse, ut modo creditur in Romana. R. N. A. Ad *probat.* R.

I. Ergo neque Ecclesia Protestantica, in qua pleraque ista non observantur, dici poterit Apostolica. R. II. D. A. Et haec doctrina pertinet ad fidem', N. A. Pertinet ad disciplinam, et ritus accidentales, qui ab Ecclesia justis de causis mutari possunt, C. A. N. A. Ad I. *confirm.* N. A. Falsitas accusationis demonstrabitur, ubi peculiariter ac singillatim materias illas examinabimus Articulo IV. et V. Quod ultimo loco additur, Dist. Tridentinum multa definivit, quae antea fideles non tenebantur credere explicite, C. Implicite, N. Ad *confirm.* N. A. Actore non probante reus absolvitur. Est evidenter incredibile, doctrinam Ecclesiae Romanae ab aliquo corruptam fuisse, quin tamen vestigium aliquod existat, aut mentio ulla facta fuerit a Scriptoribus, qui tam diligenter Novatorum nomina, errores, aetatem ac locum notarunt, quo novae haereses sparsae sunt. Ad id quod de Catholicis dicitur, ajo, Catholicos ex scriptis Patrum luculenter ostendere posse id ipsum in veteri etiam Ecclesia creditum semper fuisse, quod modo creditur in Ecclesia Romano-Catholica. Et quamquam id ostendere non possent, quamdiu Protestantes soli lis argumentis contrarium non evincunt, permanent Catholici in pacifica possessione doctrinae suae.

CXXXI. *Objicitur IV.* Interruptio Successionis. In Ecclesia Catholica successio Pastorum saepius interrupta est. Ergo. P. A. I. Multa facta sunt Schismata, praecipue diuturnum illud, ab Anno 1378. usque ad Annum 1417. quo tempore tres inter se Pontifices decertabant, Joannes XXIII. Benedictus XIII. et Gregorius XII. II. Aliqui violenter, alii fraudibus et Simoniace Pontificatum adepti sunt. III. Sedes Romana annis LXX. vacavit, Pontificibus Avenione in Galliis de-

gentibus R. N. A. Ad I. R. Unus ex litigantibus, qui nempe legitime electus erat, semper fuit verus Pontifex Romanus, quamvis a contraria factione agnitus non fuerit. Temporibus diuturni illius Schismatis pro veris atque legitimis Pontificibus, quamquam diversa sint Scriptorum Catholicorum judicia, longe probabilius habendos esse censeo Urbanum VI. ejusque successores, Bonifacium IX. Innocentium VII, ac Gregorium XII. quo ob bonum Ecclesiae juribus suis cedente coram Patribus Concilii Constantiensis, canonice electus est Martinus V. Clemens VII, seu Robertus Gebennensis, et Benedictus XIII, seu Petrus de Luna, invasores fuere Sedis Apostolicae. Alexander V, seu Petrus Philargus Pisis, et Joannes XXIII, seu Balthasar Cossa Bononiae a refractariis Cardinalibus contra fas et jus electi sunt, invito semper Gregorio XII. legitimo Pontifice. Ad II. Quamvis electio ob vitium aliquod sive occultum sive publicum fuisset nulla; subsequens tamen ratihabitio Ecclesiae omnes defectus humani juris supplevit, et per acceptationem Ecclesiae facti sunt legitimi Pontifices. Neque scelera paucorum Pontificum potuere eorum authoritatem infringere; siquidem super Cathedram Moysi sederunt Scribae, et Pharisaei, quorum doctrinam sequendam Christus docuit, opera autem vitanda. Ad III. R. Quamvis Pontifices illi Roma abfuerint, fuere tamen veri Pontifices Romani, B. Petri in Cathedra Romana successores; omnium enim judicio absentia Principis a Regno eum provinciis suis jureque supremo non spoliat.

CXXXII. *Dices*. Saeculo IX. circa A. 855. Leoni IV. demortuo successit in Pontificatu foemina, *Johanna Papissa* dicta, ut testantur Sigebertus Gemblacensis,

Marianus Scotus, et Martinus Polonus in Chronico. Ergo interrupta fuit legitima Pontificum successio. R. putidissimam hanc fabulam, nulla ratione, nulloque idoneo authore fundatam, atque ab ipsis etiam Protestantibus paulo doctoribus explosam, nempe Davide Blondello, Calixto, Burneto, Setho Calvisio, et Guilielmo Cavaeo etc. Nam I. Leoni IV. demortuo statim ac immediate successisse Benedictum III. unanimi consensu referunt Authores synchroni, *Lupus Ferrariensis* Epist. CIII. *Ado Viennensis* in Chronico, *Anastasius Bibliothecarius* in Vita Benedicti III. *Annales Bertiniani* ad annum 855. *Regino Prumiensis* in Chronico ad eundem annum, *Hincmarus Rhemensis* Epist. XXVI. *Flodoardus* in libro metrico de Rom. Pontificibus. II. Graeci Romanae Ecclesiae hostes jurati, ut v. g. Photius, et Metrophanes Smyrnaeus Saeculo IX. ac posterioribus, ut v. g. Michaël Cerularius nunquam id Latinis exprobrarunt, quamvis illis objecisset S. Leo IX, foeminam aliquam in sedem CPolitanam irrepsisse. III. Apud Latinos omnes a saeculo IX. saltem usque ad XIII. altum est hac de re silentium. IV. Authores posteriores, qui fabulam hanc male adornatam adoptarunt, maxime inter se discordes sunt circa nomen, patriam, tempus, personam complicem, annos Pontificatus Joannae Papissae etc. multaque narrant omnino ab omni verisimilitudine aliena, atque inter se pugnantia. Caeterum fabula haec a posterioris aevi Sycophantis assuta fuit Anastasii Vitis Pontificum, et Chronico Sigeberti, ac Mariani Scoti, ut patet ex illorum codicibus manuscriptis vetustissimis, qui in Gemblacensi Monasterio, et alibi asservantur, in quibus ne vestigium quidem Joannae Papissae deprehenditur. *Petrus Lambecius* Tomo

II. Comment. Bibliothecae Vindobonensis testatur, in eadem asservari quatuor MSS. Codices Martini Poloni, qui narratione illa omnino carent. Quod si etiam Martinus Polonus rem hanc omnium primus litteris consignasset, idoneus tamen testis minime habendus est, tum quia V. saeculis posterior est; tum quia multas alias fabulas venando fidem apud eruditos amisit. Caeterum undenam ortum habuerit haec fabula, an a Joanne XII. solutioris vitae Pontifice, an a Joanne VIII. qui Episcopatum Photio restituit, an a Thiota muliere Pseudoprophetissa, quae Leonis IV. temporibus Synodali judicio in Germania damnata est, id liquidum omnino, et exploratum non est. At satis multa de hac fabula. Vide *Natalem Alexandrum* Dissertatione III. in Hist. Ecclesiasticam Saeculi IX. Et *Gerardum Casteel* in Controversiis Ecclesiastico - Historicis, Controversia XXXVII.

ARTICULUS II.

DE POTESTATE ECCLESIAE PRAECIPUE JUDICIARIA.

CONTROVERSIA I.

AN DEBEAT DARI JUDEX CONTROVERSIARUM FIDEI ET MORUM, ET AN IS SIT SCRIPTURA, SPIRITUS PRIVATUS, POPULUS, CONSISTORIUM SENIORUM, AUT PRINCEPS SAECULARIS?

Contra Protestantes.

CXXXII.

Conclusio I. Debet in Ecclesia dari supremus aliquis Judex Controversiarum fidei et morum. Conclusio sic proposita a nullo Sectariorum negatur, cum ipsa sana ratio id cuilibet dictet: quod breviter hac argumentatione ostenditur. In qualibet Republica bene ordinata debet dari supremus Judex, qui insurgentes lites componat, et concordiam civium conservet. Atqui Ecclesia est Respublica optime a Christo ordinata. Ergo in Ecclesia debet dari supremus aliquis Judex Controversiarum fidei et morum. Neque dici potest, quod ad conservandam unitatem fidei in Ecclesia sufficiant revelationes divinae per motiva credibilitatis sufficienter propositae. Cum enim non omnia credenda clare, sed multa obscure et confuse per illas exprimantur, ita ut fa-

sile relinquatur locus dubitationi et controversiae de genuino illarum revelationum sensu; requiritur sententia supremi alicujus Judicis, qua tollatur dubitatio, et controversia finiatur; alias privatus quisque revelationes illas aliter interpretaretur; sicque sublata foret unitas fidei.

CXXXIV. *Conclusio II.* Scriptura Sacra non est Judex supremus Controversiarum fidei et morum. Prob, I. Scriptura non potest esse Judex controversiarum secundum litteram spectata; quia omnes haeretici errores suos confirmant ex Scriptura non bene intellecta, ut observat. S. Augustinus Tract. XVIII. in Joan. *Non enim natae sunt haereses, nisi dum Scripturae bonae intelliguntur non bene.* Neque potest esse Judex secundum sensum spectata; sensus enim saepe dubius et obscurus est, nisi recurratur ad authoritatem Ecclesiae, ut ostendimus Tract. II. Num. CXCI. et seq. II. In qualibet republica bene ordinata debet dari supremus Judex, qui lites omnes dirimat. Atqui Scriptura non potest lites omnes dirimere. P. m. Ex solis Scripturis non possunt dirimi lites, quae exurgunt circa existentiam ipsarum Scripturarum, Canonem divinorum librorum, versionem genuinam, illarumque sensum legitimum etc. Vide dicta Tract. II. Num. CCVI. CCVII. CCVIII. III. In omni Republica bene ordinata Lex et Judex duae sunt res distinctae. Lex, qua dirigit subditos declarando ipsis quae sint facienda aut omittenda; Judex animatus et visibilis, qui juxta legem fert sententiam. Ergo etiam in Ecclesia, praeter legem, sive Scripturas sacras, Judex dari debet a Scripturis distinctus, animatus et visibilis, qui sententiam ita pronuntiet, ut uterque litigantium clare illam percipiat.

CXXXV. Confirmatur haec veritas ex praxi Synagogae. Controversiae, quae apud Judaeos excitabantur circa Legem, praecepta, et caeremonias, non una Scriptura, sed judicio atque sententia Sacerdotum, qui erant ad hoc ministerium instituti, dissolvebantur. Duplex vero apud ipsos Tribunal, seu Concilium fuit: unum minus, quod Moyses suadente Jethro instituit, in quo faciliores causae dijudicabantur in singulis civitatibus: Alterum majus, quod Synedrium vocabatur, seu Consilium Seniorum LXX. quod Deus institui jussit *Numer.* Cap. XI. v. 16. Atque ad hoc tribunal deferendae erant controversiae omnes majoris momenti, de Lege, de mandato, de caeremoniis, et justificationibus, juxta illud *Deuteron.* Cap. XVII. *Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram: et judicum intra portas tuas videris verba variari: surge, et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, et ad Judicem, qui fuerit illo tempore: quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcunque dixerint qui praesunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus; sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel.* Porro hoc judicium non in qualibet urbe, sed Hierosolymis tantum exercebatur. Neque est, quod novatores excipiant, Judices illos civilibus tantum de causis, aut mere caeremonialibus, non de iis quae ad fidem pertinent judicasse.

Constat enim ex Lib. II. *Paralip.* Cap. XIX. v. 10. delatas ad eos fuisse causas *de Lege*, *de mandato*, *de caeremoniis*, *de justificationibus*. Inter mandata autem et justificationes certe fides in venturum Messiam includebatur. Praeterea ibidem v. 11. dicitur: *Amarias autem Sacerdos et Pontifex vester in his quae ad Deum pertinent*, *praesidebit*. Confirmari haec possunt ex eo, quia temporibus Herodis dubitatio de loco, in quo Messias esset nasciturus, delata fuit ad ordinarium Concilium Sacerdotum, a quibus ex Scripturis tanquam ex norma et regula dissoluta est, ut patet ex Evangelio *S. Matthaei*, Cap. II.

CXXXVI. *Conclusio III.* Spiritus privatus non est Judex supremus Controversiarum fidei et morum. Prob. I. In societate civili maxima oriretur confusio et perturbatio, si quilibet subditorum legem Principis pro libito suo interpretaretur, ac decretoriam ferret sententiam. Ergo multo major ac perniciosior oriretur in Ecclesia perturbatio, nullusque foret controversiarum ac discordiarum finis. II. Judex Controversiarum fidei ac morum debet esse visibilis, animatus, qui ita sententiam ferat, ut altera pars litigans evidenter sciat, se causa cecidisse, quantum est ex parte Judicis. Atqui talis non est Spiritus privatus. Ergo. Vide dicta Tract. II. Num. CCXX. et CCXXI.

CXXXVII. *Conclusio IV.* Populus non est Judex supremus Controversiarum in materia fidei et morum. Prob. I. illis non convenit potestas Judiciaria in materiis Religionem spectantibus, qui ad hoc munus non sunt vocati, neque Mysteria sufficienter cognoscunt, ita ut possint fungi munere Judicis et Doctoris. Atqui Populus non est vocatus ad hoc munus, neque necessariam habet ad Judicis officium Mysteriorum cogni-

tionem, sed soli praelati Ecclesiae. Ergo. II. Judicare de his, quae credenda sunt, est munus Pastorum. Sed Laici non sunt Pastores: neque dictum est illis Act. XX. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ergo Laicis non est datum judicare de rebus fidei. III. Illorum non est judicare de fide, qui audire debent et obedire: Tales sunt Laici, vel populus. P. m. *Matth. XXIII. Quaecunque dixerint vobis, servate et facite.* Ad Hebr. XIII. *Obedite Praepositis vestris et subjacete eis.* IV. Probatur ex antiquissima et constanti Ecclesiae praxi, quae semper laicos a ferenda sententia etiam in Conciliis Generalibus exclusit.

CXXXVIII. *Conclusio V.* Consistorium constans ex Ministris et Senioribus laicis, non est supremus Judex Controversiarum fidei et morum, ut fabulantur Puritani cum Calvino et Beza. Prob. I. Potestas Judiciaria in materiis fidei ac morum concessa tantum fuit Praelatis Ecclesiae. Ergo cum Ministri Sectariorum ac laici non sint veri Sacerdotes, nec legitimi Praelati, hoc ipso Judices esse nequeunt in his materiis. P. A. Ezechielis Cap. XLIV. ait Deus: *Sacerdotes autem et Levitae -- ipsi accedent ad me, ut ministrent mihi. --- Et cum fuerit controversia, stabunt in judiciis meis, et judicabunt.* Matth. V. ad solos Apostolos, eorumque Successores ait Christus: *Vos estis sal terrae. Vos estis lux mundi.* Lucae X. *Qui vos audit, me audit.* Joan. XVII. *Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum.* II. Authoritate Patrum. S. Irenaeus Lib. IV. adv. Haer. Cap. XXVI. alias XLIII. scribit: *Eis qui in Ecclesia sunt Presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut osten-*

dimus. S. Chrysost. Lib. III. de Sacerdotio ait, Christum potestatem quam a Patre acceperat in coelo et in terra, totam contulisse Sacerdotibus. S. Augustinus Lib. XX. de Civit. Dei, Cap. IX. explicans illud Apocalypsis Cap. XX. *Vidi sedes, et sederunt super eas etc.* ait: *Non hoc putandum est de ultimo judicio dici: sed Praepositorum sedes, et ipsi Praepositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur.* III. Ex praxi antiquissima Ecclesiae, quae non ab aliis, quam a Praelatis hoc judicium umquam exerceri permisit.

CXXXIX. *Conclusio VI.* Principes Saeculares, Reges, et Imperatores, non sunt supremi Judices Controversiarum fidei et morum. Prob. Conclusio haec contra Brentium, et Jacobum Angliae Regem I. Ad illos pertinent judiciaria potestas in materia fidei et morum, super quos aedificavit Christus Ecclesiam. Atqui Christus non aedificavit Ecclesiam super reges et Principes Saeculares, sed super Apostolos. Ad Ephes. II. v. 20. *Superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Ergo potestas judiciaria pertinet ad successores Apostolorum, illius praecipue, cui dictum est Math. Cap. XVI. *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Praeterea illis convenit potestas directiva Religionis, quibus Christus dedit claves, auctoritatem ligandi et solvendi: quibus suas commisit oves. Atqui haec non concessit Regibus, sed Apostolis, eorumque successoribus. Matth. XVI. *Tibi dabo claves Regni coelorum.* Matth. XVIII. *Quaecunque alligaveritis super terram etc.* Joan. Cap. XXI. *Pasce oves meas.* Act. XX. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ergo.

CXL. Prob. II. Authoritate Patrum. *Osius* Cordubensis, teste *S. Athanasio* in Epist. ad solitariam vitam agentes, Christiana et Episcopali libertate scripsit ad Constantium Imperat. *Quid tale a Constante actum est, aut quando Judiciis Ecclesiasticis interfuit? Nec te rebus misceas Ecclesiasticis, nec nobis his de rebus praecepta mandes, sed a nobis potius haec addiscas. Tibi Deus Imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concredidit. Ac quemadmodum qui tibi Imperium subripit, Deo ordinanti repugnat: ita metue, ne si ad te Ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias. Reddite, scriptum est, quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo. Neque igitur fas est nobis in terris Imperium tenere, neque tu thymiamatum et Sacrorum potestatem habes.* S. Athanasius in eadem Epist. ad Solitarios de Constantio Imp. scribit: *Quis videns illum iis, qui Episcopi putantur, praefici, in Ecclesiasticisque judiciis praesidere, non jure dicat, hanc esse illam a Daniele praedictam abominationem desolationis?* S. Ambrosius Epist. XXI. ad Valentinianum II. Imp. *Quando audisti, Clementissime Imperator, in causa fidei laicos de Episcopis judicasse? Ita ergo quadam adulatione curvamur, ut Sacerdotalis juris immemores, et quod Deus donavit mihi, hoc ipse aliis putem esse credendum? Si docendus est Episcopus a laico, quid sequetur? Laicus ergo disputet, et Episcopus audiat, Episcopus discat a laico. At certe si vel Scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat in causa fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare? Eris, Deo favente, etiam senectutis maturitate provectior, et tunc de hoc cense-*

bis, qualis Episcopus sit, qui laicis jus Sacerdotale substernit. Pater tuus, (Valentinianus I. Imp.) *Vir maturioris aevi, dicebat: Non est meum judicare inter Episcopos; tua nunc dicit Clementia: Ego debeo judicare*: S. Gregorius Nazianz. Orat. XVII. ad Imperatorem perorat: *Vos quoque Imperio meo ac throno Lex Christi subjicit: Imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam praestantius ac perfectius*. S. Chrysostomus Hom. LXXXII. in Matth. scribit. *Quamvis Dux quispiam sit, quamvis Praefectus, sive ipse qui diademate redimitur; si indigne accedat* (ad Sacra Mysteria) *cohibe. Majorem tu quam ille potestatem habes*. S. Joan. Damasc. Orat. II. de Imagin. *Penes Imperatores potestas non est, ut Ecclesiis leges sanciant. Attende, quid dicat Apostolus: Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Pastores et Doctores ad perfectionem Ecclesiae; non adecit Imperatores. Verbum locuti non sunt vobis Reges, sed Apostoli et Prophetae, Pastoresque et Doctores*. Plures selectissimos Patrum textus suppeditat illustrissimus Archiepiscopus Parisinus *Christophorus Beaumont* in Instructione sua Pastorali Anni 1756.

CXLI. Prob. III. ex ipsorum Imperatorum confessione, qui ultro agnoverunt nullum sibi jus esse de rebus fidei atque Ecclesiasticis negotiis decernendi. *Rufinus* Lib. I. Hist. Cap. I. refert, *Constantinum* Magnum Episcopis judicium Imperiale postulantibus in causis Episcoporum, quos accusaverant, respondisse: *Deus vos constituit Sacerdotes, et potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi: et ideo nos a vobis rite judicamur, vos autem non potestis ab hominibus judicari.*

Valentinianus I. teste *Sozomeno* Lib. VI. Hist. Eccles. Cap. VII. noluit se immiscere negotiis Ecclesiasticis, dicens: *Mihi quidem in Laicorum ordine constituto fas non est hujusmodi negotia curiosius scrutari: Sacerdotes vero quibus id curae est, seorsum, ubicunque voluerint conveniant.* Theodosius Junior, et Valentinianus Impp. Augg. ad Patres *Ephesini* Concilii scripsere: *Candidianum praeclarissimum sacrorum Domesticorum Comitem ad sacram vestram Synodum abire jussimus; sed ea lege, ut cum quaestionibus et controversiis, quae circa fidei dogmata incidunt, nil quidquam commune habeat: nefas est enim, qui Sanctissimorum Episcoporum Catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis, et consultationibus sese immiscere.* Marcianus Imp. in Oratione, quam Act. VI. habuit ad Patres Concilii Chalcedonensis, inter alia dixit, *se cum uxore piissima Pulcheria ad Concilium venisse ad fidem roborandam, non ad aliquam potentiam ostendendam, sive exercendam, exemplo religiosissimi Principis Constantini.* Justinianus Imp. Novella LXXXIII. *Si vero Ecclesiasticum sit delictum egens castigatione Ecclesiastica et mulcta, Deo amabilis Episcopus hoc discernat, nihil communicantibus clarissimis Provinciae Judicibus. Neque enim volumus talia negotia omnino scire civiles Judices, cum oporteat talia Ecclesiastica examinari, et emendari animas delinquentium per Ecclesiasticam mulctam secundum sacras et divinas regulas, quas etiam nostrae sequi non dedignantur leges.* Basilius Imp. in ea Oratione, quam habuit ad Patres VIII. Synodi Generalis, seu CPolitanae IV. ait: *De vobis autem Laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute conservamini, quid amplius dicam non habeo, quam quia nullo modo vobis li-*

cet de Ecclesiasticis causis sermonem movere neque penitus resistere integritati Ecclesiae, et universali Synodo adversari. Hoc enim investigare et quaerere Patriarcharum, Pontificum, et Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui ligandi et solvendi potestatem habent; qui Ecclesiasticas et coelestes adepti sunt claves: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel a ligamento solvi egemus. Confessioni Imperatorum suffragatur manifesto praxis Ecclesiae, quae nunquam in fidei controversiis judicium detulit Principibus saecularibus sed ipsa exercuit per Pontifices et Episcopos, qui ea aetate Ecclesiam Dei regebant.

OBJIECTIONES.

CXLII. *Objicitur. I.* contra IV. Conclusionem, Ratio. His convenit judicare de fide, qui ex officio tenentur distinguere falsam doctrinam a vera. Sed Laici ex officio tenentur distinguere falsam doctrinam a vera, juxta illud Matth. VII. *Attendite a falsis Prophetis*; ab his enim cavere sibi satis non possunt, nisi judicium ferant de eorum doctrina. *Confirm.* Causa fidei est communis omnibus fidelibus. Ergo ad unumquemque Laicum pertinet judicare de fide. R. C. M. D. m. Laici tenentur distinguere doctrinam veram a falsa per judicium discretivum, quo unum ab alio discernitur, C. m. per judicium authoritativum, et potestativum, quo judiciali sententia determinatur quid sit credendum vel non credendum, N. m. Ad *confirm.* D. A. Causa fidei est communis omnibus fidelibus, diverso tamen modo ab omnibus pertractanda, C. Aequali modo ab omni-

bus pertractanda, N. A. et Cons. Etiam tranquillitas Reipublicae est bonum commune, quod tamen non ab omnibus aequali modo promovetur: Superiores praecipiendo et puniendo conservant illud et promovent; subditi vero obediendo, et mandata exequendo.

CXLIII. *Dices. I.* Laici quandoque uberiori doctrina sunt instructi, quam Ecclesiastici quidam. Ergo saltem illi judicium ferre poterunt de rebus fidei. II. In primitiva Ecclesia frequenter coram populo disputabatur de religione. Ergo populus admittebatur tanquam Judex. R. ad I. in casu aliquo particulari, C. A. N. C. Ad ferendum judicium publicum authoritativum non sufficit sola scientia; sed requiritur etiam potestas et superioritas, quam Laici non habent. Praeterea Spiritus Sanctus specialiter dirigit Ecclesiae Praelatos, sicque qualemcunque scientiae defectum in illis supplet. Ad II. D. A. Disputabatur publice coram Laicis, ut illi perciperent motiva fidei nostrae, perspicerentque quam inania sint adversariorum argumenta, aut etiam ut judicium ferrent privatum, C. A. Ut ipsi judicium publicum ferrent, atque authoritativum, cui caeteri deberent acquiescere, N. A. et Conseq.

CXLIV. *Objicitur II.* contra V. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Quando Christus *Matth. XVIII.* scandalosum praecipit Ecclesiae denuntiari, *Dic Ecclesiae*, intellexit Judaicam Synagogam tempore Christi existentem. Atqui Synagoga componebatur ex senioribus laicis. Ergo. II. In primo Concilio Apostolico Hierosolymis habito in causa legalium Act. Cap. XV. *Convenerunt Apostoli, et Seniores videre de verbo hoc.* Ergo Seniores habent potestatem judicandi de rebus fidei. R. N. M. quia ut observat *S. Augustin.* in Psalm. LXXXI.

S

Christus congregationem fidelium ad novum foedus pertinentium nunquam vocavit Synagogam, sed Ecclesiam. Verum transmissa etiam majore, D. min. Sinagoga componebatur ex senioribus laicis, qui judicabant de causis minoribus, et temporalibus, C. m. De causis fidei, N. m. Causae fidei etiam in veteri Testamento reservatae erant Sacerdotio. Vide dicta Num. CXXXV. Ad II. R. I. Nomine Seniorum intelliguntur Praesbyteri, sive Sacerdotes, ut S. Hieronymus scribit Comment. in Cap. III. Isaiae: *Et nos habemus in Ecclesia nostrum coetum Presbyterorum, id est, Seniorum.* R. II. Quamvis etiam daretur Laicos Concilio Apostolico interfuisse, ut insinuare videntur illa verba: *Tunc placuit Apostolis et Senioribus cum omni Ecclesia*; interfuerunt tamen illi modo diverso: Apostoli quidem ut Judices, juxta illud Jacobi, ibidem dicentis, *Propter hoc ego judico*: Seniores, vel Presbyteri, ut consultarent, et inquirerent, juxta illud, *Et cum magna disquisitio fieret*: Laici vero ut tacerent, et aquiescerent, juxta illud, *Et tacuit omnis multitudo.*

CXLV. *Objicitur III.* contra VI. Conclusionem, Exemplum Regum in veteri Lege. Reges et Principes erant Judices Controversiarum in veteri Testamento. Ergo etiam sunt Judices in nova lege. P. A. I. Moyses Princeps erat laicus, et Judex in materia Religionis. II. Josue exercuit actus Religionis, circumcidit filios Israel, aedificavit altare Domino. III. Salomon Templum aedificavit, et dedicavit, atque Abiathar Summum Sacerdotem deposuit. IV. Josaphat Rex revocavit populum ad cultum Dei, Levitas et Sacerdotes constituit. V. Ezechias confregit serpentem aeneum, quia Judaei illi offerebant sacrificia. R. I. Etiamsi in veteri Testamento

Principes saeculares fuissent Judices Controversiarum fidei; hoc tamen officio fungi non possent in lege nova: cum certum sit id muneris a Christo Apostolis, eorumque Successoribus fuisse demandatum. R. II. N. A. Ad I. R. Moyses Sacerdos fuit, juxta illud Psal. XCVIII. *Moyses et Aaron in Sacerdotibus ejus.* Atque ita docent S. Augustinus, S. Gregor. Nazianz. S. Hieronymus etc. Qui vero negant Moysem fuisse Sacerdotem, intelligunt eum non fuisse Sacerdotem ordinarium, quamvis fuerit extraordinarius. Et profecto Exodi XXVIII. et XXIX. Moyses omnia munia Sacerdotalia exercuit, ut sacrificare, docere, consecrare vestes Pontificis, et Sacerdotes inungere. Ad II. Josue per hoc non exercuit actus Religionis, nec egit aliquid sine dependentia et consilio Summi Sacerdotis Eleazar, ut illi a Moyse praeceptum fuerat Num. Cap. XXVII. v. 21. Ad III. aedificatio et dedicatio Templi nullam potestatem dicunt in sacra: neque Salomon immediate per se, sed mediate per Sacerdotes sacrificium obtulit: Summum Sacerdotem Abiathar deposuit probabilius ex instinctu Dei, ut dicitur III. Reg. Cap. II. v. 27. *Ut impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo.* Quod si propria authoritate id egisset, potestatis suae limites transgressus fuisset, neque commendandus idcirco foret. Ad IV. Rex Josaphat nullum munus, quod judicium et sententiam in rebus sacris importat, unquam exercuit: neque Levitas aut Sacerdotes ipse consecravit, aut consecrari jussit; sed ex iis qui antea creati et consecrati jam erant, in diversis locis constituit, ubi defecerant, ut in aliis etiam Judaeae civitatibus populum docerent legem Dei; sicque authoritatem et potentiam suam impendit ad protegendam

religionem. Ad V. Ezechias id egit authoritate Dei, qui generaliter cuilibet e populo mandaverat, ut auferret omnem cultum Idololatriae.

CXLVI. *Dices.* In lege naturae Principes erant Judices etiam in materia Religionis, ut Melchisedech Rex Salem, Abraham, Isaac, Jacob: item in Lege scripta Heli, Machabaei etc. Ergo etiam in Lege nova Principes sunt Judices Controversiarum fidei. R. D. A. Erant Judices in materia Religionis, quia erant Principes, N. A. Vi juris humani, et consuetudine populi, vel ordinatione Dei, C. A. N. C. Ex eo quod aliquando ex speciali Dei ordinatione conjuncta fuerit potestas Sacerdotalis cum potestate Regia, non sequitur eandem esse semper conjunctam; alias sequeretur pariter, Sacerdotes hoc ipso esse etiam Reges vel Principes.

CXLVII. *Objicitur IV.* Authoritas Scripturarum. Ipsa Scriptura tribuit Regibus potestatem spiritualem. Ergo Reges sunt Judices in materia Religionis. P. A. Ad Rom. XIII. dicitur: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* I. ad Timoth. Cap. II. *Obsecro igitur primum omnium fieri obecrationes, orationes --- pro Regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt. Confirm.* Reges sunt Patres et nutritii Religionis: in Scripturis laudantur ob excultam Religionem, vituperantur ob neglectam. Ergo habent potestatem spiritualem. R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Scriptura tantum praecipit, ut quilibet suo Superiori obtemperet iis in rebus, in quibus superior est: at vero nullibi affirmat Reges superiores esse in rebus Ecclesiasticis. Alter locus ex Epist. I. ad Timoth. vel nihil evincit pro potestate Regum spirituali; vel si quid probaret, evinceret etiam Principes Idololatras, de quibus

ibi Apostolus loquitur, spiritualem habere potestatem in Ecclesia Dei. Ad *confirm.* R. Reges ita vocari, quia sunt Advocati et Protectores Ecclesiae: laudari a Deo custodes ac protectores Religionis, quia officio suo sunt functi; vituperari autem desides ob neglectum officium. At nullam haec potestatem spiritualem in Regibus arguunt.

CXLVII. *Objiciuntur V.* facta Imperatorum. Imperatores saepius officio judicis functi sunt in materia Religionis, Episcopis non invitis. Ergo. P. A. *I. Constantinus M.* Judices destinavit, qui Caeciliani et Donatistarum causam discuterent, quamvis Donatistae prius jam damnati fuerint in Concilio Romano ab XVIII. Episcopis, atque ipso Melchiade Rom. Pontifice, eosque remisit ad Concilium Arelatense jussu suo congregatum. Cumque Donatistae, etiam post hoc Concilium, ad ipsum Imperatorem provocassent, ultimum ille hac in causa tulit judicium. II. Imperatores praesederunt Conciliis Oecumenicis, Marcianus et Pulcheria Chalcedonensi, Constantinus Pogonatus CPolitano III. Irene et Constantinus Nicaeno II. Basilius CPolitano IV. III Ipsi Imperatores subscripserunt Conciliis. IV. Justinianus Imperator de Sacris Liturgiae ritibus constitutionem edidit, qua mystica verba consecrationis Eucharistiae non demissa, sed elata voce proferri jussit, pluraque quae Ecclesiam tangunt, in Legibus Caesareis constituit. V. Capitularia Caroli M. multa continent de Ecclesiis et Religione. VI. Multi Pontifices in ordinem redacti fuerunt ab Imperatoribus, ut Liberius a Constantio, Sylverius a Theodora, Martinus a Constante, Gregorius VII. ab Enrico IV. R. I. Multa saepe fiunt Juri naturali, ac divino positivo contraria. R.

II. N. A. Ad I. Ipse *Constantinus* agnovit, et saepius professus est eam causam ad suum forum non pertinere, ut manifestum est ex ejus Epistola ad PP. Concilii *Arelatensis*, in qua scribit Imperator: *Quoties a me ipso improbissimis aditionibus suis sunt condigna responsione oppressi? Qui utique si hoc ante oculos habere voluissent, minime hoc ipsum interposuissent. Meum judicium expostulant, qui ipse judicium Christi expecto. Dico enim ut veritas habet; Sacerdotum judicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens judicet. - - Perquirunt saecularia, reliquentes coelestia. O rabida furoris audacia! sicut in causis Gentium fieri solet, appellationem interposuerunt. - - Quid hi detractores Legis, qui renuentes coeleste judicium, meum putaverunt postulandum, sic sentire de Christo Salvatore?* Ut tamen Donatistis praetextum omnem adimeret, eos consentiente Sylvestro Rom. Pontifice, ad aliud Concilium plenius, nempe Arelatense CC. Episcoporum remisit. Cum autem ne sic quidem illi cederent, ut scribit S. Augustinus Epist. XLV. alias CLXII. ad Glorium et Eleusium, Cap. VII. *Eis ipse cessit, ut de illa causa post Episcopos judicaret, a sanctis Antistitibus postea veniam petiturus, dum tamen illi quod ulterius dicerent, non haberent, si ejus sententiae non obtemperarent, ad quem ipsi provocaverunt, sic et illi aliquando cederent veritati.* Ad II. Imperatores Conciliis praesederunt, non ut fidei Judices, sed ut Concilii Protectores, et pacis defensores. Caeterum verbum *praesidere* denotat hic sessionem tantum honorariam; scimus enim Conciliis illis authoritative praesedisse Romani Pontificis Legatos. Ad III. Imperatores subscripsere quidem, sed modo diverso ab Episcopis, veris in

materia Religionis Judicibus. Subscripsere illi Synodo, non ut Episcopi *definientes*, sed ut *consentientes*, ut patet ex subscriptione Constantini Pogonati in VI. Synodo: *Constantinus in Christo Deo Rex atque Imperator Romanorum, legimus, et consensimus.* Ad IV. Justinianus Imp. saepius limites potestatis suae transgressus fuit. Et quamvis quaedam, quae in Jure Civili continentur, et a Justiniano decreta sunt, in Ecclesia adhuc observentur; id tamen non oritur ex vi legum civilium, sed ex acceptatione Ecclesiae, ut S. Agapetus I. Papa scribit Justiniano, qui edictum aliquod de fide Orthodoxa promulgarat. *Firmamus*, inquit, *laudamus, amplectimur: Non quia Laicis authoritatem praedicationis admittimus; sed quia studium fidei vestrae Patrum nostrorum regulis conveniens confirmamus, atque roboramus.* Graeci Imperatores praecipue post saeculum IX. eo usque propriam potestatem extenderunt, ut non solum leges ad Ecclesiam ejusque ministros pertinentes publicarent, nulla omnino habita Sacrorum Canonum ratione; verum etiam ulterius progressi potestatem sibi vindicarent Episcopatus, Metropolesque novas creandi, Ecclesiis vacantibus Episcopos concedendi, priscis Metropolitanis suffraganeos subducendi, ac tribuendi Episcopis facultatem, ut in alieno territorio Pontificalia exercerent. Vide *Ludov. Thomassinum* de veteri et nova disciplina Ecclesiae, Parte I. Lib. I. Cap. XLIII. Ad V. Capitularia Caroli Magni nil aliud continent, quam Canones Conciliorum, quibus Carolus in unum codicem collectis, rogantibus Episcopis, nomen suum praefixit, ut sic illi diligentius observarentur a fidelibus, cum cernerent idem ab utraque potestate, spirituali et politica praecipi. Ad VI.

R. hunc sacrilegum fuisse laicae potestatis abusum, quem nemo sanus probaverit.

CXLIX. *Dices. Carolus Magnus* religiosissimus Princeps Judicem egit circa materiam Religionis in Concilio Francofordiensi. Ergo. P. A. In Epistola ad Elipandum Toletanum scribit: *Congregationi Sacerdotum auditor et arbiter assedi. Discrevimus, et Deo donante decrevimus etc.* II. Pipinus Rex Francorum ejusque Filius *Carolus Magnus* jus habuere nominandi Episcopos in Germania, et Galliis, hocque jure utuntur multi Reges etiam nostris temporibus. R. ad I. Has similesque voces non esse stricte sumendas in sensu juridico, patet ex eadem allegata Epistola, in qua Carolus ait se rescripsisse Elipando, quid Pontifex sentiret, quid Episcopi statuissent, ac demum subjungit: *Cum his sanctissimis Patrum decretis meum consensum subnexui.* Quibus verbis Episcopis tribuit sententiam definitivam, eorumque responsa vocat *decreta* et *statuta*, quod est judicum: sibi vero non nisi consensum; quod sane non est Praesidis aut Directoris, et Judicis supremi, sed ejus, qui judicium suum obsequio fidei per Concilium dictatae submittit. Ad II. R. Pipinum hoc jus habuisse, non vi dignitatis regiae, sed ex concessione Zachariae Pontificis, facta ipsi dum adhuc Major domus esset Franciae, et in posteros suos derivata, ut constat ex Epistola LXXXI. *Lupi* Abbatis Ferrariensis, in qua scribit, quod Pipinus *exposita necessitate hujus Regni Zachariae Romano Papae in Synodo, cui Martyr Bonifacius interfuit, ejus acceperit consensum, ut acerbitati temporis, industria sibi probatissimorum, decedentibus Episcopis mederetur.* Sic Carolus M. Bremensem Episcopatum erexit, illique praefecit Wileha-

dum : sed qua authoritate id fecerit, docet ipse in praecepto de Institutione Episcopatuum per Saxoniam, dum ait : *Summi Pontificis Hadriani praecepto, nec non Moguntiacensis Episcopi Lullonis, omniumque qui adfuere Pontificum consilio Bremensem Ecclesiam Wilehado commisimus.* Sic deinde Ludovicus Pius Hamburgensem Archiepiscopatum erexit, eique praefecit Anscharium Septemtrionalium regionum Apostolum, *sed habito Sacerdotum generali Concilio, et roborante Papa Gregorio IV. Apostolica authoritate*, et *Palliidatione*, ut testatur *Adamus Bremensis* Lib. I. Cap. XIV. Pari ratione, id est, ex privilegio Apostolico, nostris etiam temporibus, Reges aliqui solent nominare promovendos ad Episcopatum.

CL. *Objicitur VI.* Authoritas Conciliorum. Ipsa Concilia Oecumenica petierunt ab Imperatoribus confirmationem. Sic Synodus Ephesina ad Theodosium Imperatorem scribit : *Rogamus quoque tuam clementiam, ut per litteras quoque tuae pietatis confirmetur Concilii decretum : ut sicut litteris, quibus nos convocasti, Ecclesiam honore prosecutus es, ita etiam finem eorum, quae decreta sunt, obsignes.* Pariter *Marcianus* Imperator tribus Edictis confirmavit decreta Concilii Chalcedonensis : et ipse *Constantinus Pogonatus* ad *Leonem II.* scribens, confirmatam a se fuisse ait VI. Synodum contra Monothelitas celebratam. Quod adeo gratum fuit *Leoni II.* Pontifici, ut in haec verba gratulabundus Constantino rescripserit : *Synodali igitur sententia, et Imperialis Edicti censura, tanquam ancipiti Spiritus gladio, cum priscis haeresibus etiam novae pravitatis error expunctus est* Ergo agnovit Ecclesia potestatem judicialem etiam in materia fidei esse pe-

nes Imperatores et Principes saeculares. *Confirm.* Concilium *Arelatense VI.* temporibus Caroli M. A. C. 813. celebratum, Canones suos Imperatori obtulit his verbis: *Haec, quae emendatione digna perspeximus, quam brevissime annotavimus, et Domino Imperatori praesentanda decrevimus: poscentes ejus clementiam, ut siquid hic minus est, ejus prudentia suppleatur: si quid secus quam se ratio habet, ejus judicio emendetur: si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio divina opitulante clementia perficiatur.* Simili modo loquuntur Patres Concilii Moguntini, Turonensis III. et Cabilonensis II. quae eodem anno 813. celebrata sunt. R. N. C. Concilia, non particularia modo, sed etiam Oecumenica confirmationem saepe petierunt ab Imperatoribus, non tanquam Judicibus controversiarum fidei et morum, sed tanquam Advocatis et defensoribus Ecclesiae, ut sic Canones Conciliorum gladio Principum armati executioni promptius mandarentur, et metu deportationis, exilii, infamiae, mulctae pecuniariae, aut capitalis etiam supplicii, haereticorum et contra Ecclesiastica decreta tumultuantium furor coerceretur; cum sic Conciliorum Canones ab Imperatoribus confirmati vim publicae Legis nanciscerentur. Ad *confirm.* R. Verba illa censenda esse potius officia verborum, quam verae in rebus ad fidei et Ecclesiae forum pertinentibus subjectionis aut jurisdictionis regiae argumenta; norant enim Episcopi illi, nullum sibi a pientissimo Principe praejudicium metuendum esse, cujus Sacerdotalem animum, ut de Marciano S. Leo M. loquitur, exploratum habebant. Adde quod haec Canonum censura verbotenus quidem Carolo officiose delata sit, reipsa autem Legatis Apostolicis et Episcopis permissa, qui Caro-

lum constanter comitabantur, et quorum consilio et consensu cuncta gerebat, eorumque auxilio deinde Capitularia sua ad reformationem Ecclesiarum ex Canonum decretis desumebat Imperator vere Christianissimus.

CONTROVERSIA II.

AN, ET QUAENAM ECCLESIA SIT INFALLIBILIS JUDEX CONTROVERSIARUM FIDEI ET MORUM?

Contra omnes Haereticos.

CLI.

Maximi momenti est praesens quaestio, non solum brevis et expedita, sed etiam necessaria prorsus ad omnem de Religione disputationem decidendam. Hac una Ecclesiae loquentis auctoritate omnem de fide quaestionem finiri posse ac debere asserebat *S. Hieronymus* in Dialogo contra Luciferianos: *Poteram omnes propositionum rivulos uno Ecclesiae Sole siccare.* Et *S. Augustin.* Lib. de Quantitate animae, Cap. VII. *Auctoritati credere magnum compendium est, et nullus labor.* Protestantibus displicuit semper suprema haec ac decretoria, quam nos Catholici in Ecclesia agnoscimus, de rebus fidei pronuntiandi potestas: ex qua una plane conclamatam esse intellexerunt suam, et quorumcunque aliorum Novatorum sectam, certamque novarum opinionum ruinam ac perniciem; quod illa authoritate, uno quasi ictu, omnes errores simul corruerent, ac funditus convellerentur. Quapropter omnes, quasi manu

facta, ad eam auctoritatem impugnandam, quidquid ipsis virium erat, converterunt, falso non minus quam invidiose Catholicis objectando, malle illos hominibus auscultare quam Deo ipsi, ac humanas conjecturas sequi, quam Verbum divinum: ac si Ecclesia Catholica non ad Scripturas et Traditiones divinas tanquam certissimam regulam, sed ad commenta humana sanctiones suas sententiasque exigeret. Porro hic de infallibilitate Ecclesiae universalis agemus, prout haec omnes fideles toto mundo dispersos una cum suo Capite complectitur: quomodo autem, et per quos hoc infallibile judicium exerceat: postea suo loco examinabitur a nobis.

CLII. *Conclusio I.* Vera Ecclesia Christi est infallibilis Judex Controversiarum fidei et morum. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Christus infallibilitatem hanc Ecclesiae suae promisit, eamque Apostoli commendarunt. Ergo Ecclesia vera est infallibilis Judex in causa fidei et morum. P. A. Matth. XVI. v. 18. *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Atqui si Ecclesia vel semel tantum induceretur in errorem fidei contrarium, praevalerent saltem pro illo tempore portae inferi, quod promissionibus Christi omnino contrarium est. Matth. Cap. ult. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Joan. Cap. XVI. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Joan. Cap. XIV. *Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis.* Quae promissio, cum Apostoli per se non fuerint in terris perpetuo victuri, necessario usque ad finem mundi ad eorum successores debet extendi. Matth. Cap. XVIII. *Si Ec-*

clesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus. Quamquam hic Christus de injuriis loquatur, quas unus ab alio patitur, multo magis tamen haec verba intelligenda sunt de injuriis, quae fiunt in totam Ecclesiam et in Deum, qualis est haeresis. Si enim Ecclesia in causa injuriae politicae et particularis inter te et proximum tuum est necessario audienda; quanto magis audienda est, quando oritur controversia de fide, re omnium gravissima, quae ipsum Deum, et universum corpus fidelium offendit? Et si singulares Praelati Ecclesiarum particularium indistincte sumpti in causis moralibus tanta pollent authoritate, ut qui illorum judicio stare recusat, sit sicut Ethnicus habendus, multo magis in Religionis dissidio obsequendum est judicio Pastoris universalis, et Ecclesiae totius. Apostolus I. ad Timoth. Cap. III. v. 15. ait: *Ut scias quomodo te oporteat in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.* Quae verba non de Ecclesia particulari Ephesina, cui praeerat Timotheus, sed de universali Ecclesia juxta obvium sensum intelligenda sunt. At si universa Ecclesia in errorem contra fidem laberetur, non veritatis, sed falsitatis foret columna.

CLIII. Prob. II. Authoritate Patrum Graecorum. S. Irenaeus Lib. III. adv. Haer. Cap. IV. ait: *Non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum Apostoli quasi in depositorium dives plenissime contulerint omnia, quae sunt veritatis, ut omnis quicunque velit, sumat ex ea potum vitae.* Eusebius Lib. I. de Praeparatione Evangelica, Cap. III. *Certum est Salvatorem nostrum praedixisse, doctrinam suam in testimonium omnium Gentium per uni-*

versum terrarum orbem praedicatum iri, et Ecclesiam, quae postea virtute sua constituta est, invictam atque inexpugnabilem fore, nec unquam futurum ut a morte superetur, sed firmam fore semper et immobilem, tanquam in petra stabilitam atque fundatam. S. Alexander Episcopus Alexandrinus in Epist. ad Alexandrum CPolitanum: *Ecclesiam unam solam, Catholicam et Apostolicam agnoscimus, quae sicut nunquam expugnari potest, etiamsi totus mundus eam oppugnare instituat; sic omnem impiam haereticorum incursionem evincit ac profligat.* S. Athanasius in Epist. ad Epictetum. *Hoc solummodo ad ea respondere sufficit, quod ista non sunt Catholicae Ecclesiae, neque ista Patres nostri senserunt.* S. Cyrillus Hierosol. Catech. XVIII. *Catholica vocatur Ecclesia, quia per universum sit terrarum orbem diffusa; et quia docet Catholice, id est, universaliter, et sine ullo defectu vel differentia omnia dogmata, quae deberent venire in cognitionem.* S. Joann. Chrisostom. Serm. de Pentecoste ait de Ecclesia: *Non tenetur temporum qualitate, sed Spiritus eam Sancti gratia gubernat, et ideo non senescit, nec contrahitur, et multis impugnantibus non opprimitur.* Et Homilia, cum de sua expulsione ageretur. *Christi Ecclesia nihil fortius; siquis eam impugnare proponit, vires atterat necesse est, velut si coelo bellum meditetur inferre. Ecclesiam vincere nulla vis potest; Deus est in Ecclesia, qui est omnibus fortior.* S. Isidorus Pelusiota Lib. I. Epist. CCXXXVIII. *Per inferi portas divinus sermo impiorum hominum coetus, atque haeresum blasphemias intelligit, quibus omnibus obsistens Dei Ecclesia eas quidem frangit et expugnat, ab iis autem vinci non potest.*

CLIV. Prob. III. Authoritate Patrum Latinorum. *Tertullianus* Lib. de Praescript. Cap. XXI. *Quid autem* (Apostoli) *praedicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, et hic praescribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis praedicando tam viva quod ajunt voce, quam per Epistolas postea. Si haec ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quae cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit: omnem vero doctrinam de mendacio praejudicandam, quae sapiat contra veritatem Ecclesiarum, et Apostolorum, et Christi, et Dei.* S. Cyprianus Lib. de Unitate Ecclesiae, Cap. V. *Adulterari non potest Sponsa Christi: incorrupta est, et pudica: unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit.* S. Hilarius de Trinit. Lib. VII. *Hoc enim Ecclesiae proprium est, ut tum vincat, cum laeditur; tum intelligatur, cum arguitur; tum obtineat, cum deseritur.* S. Hieronymus in Dial. adv. Luciferianos. *Etiamsi Scripturae authoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar praecepti obtineret.* Et in Comment. ad Cap. LX. Isaiae: *Ecclesiae dicitur, Surge, illuminare, ut quae cecidit in incredulis* (id est, in Synagoga) *surgat in fidelibus; et postquam surrexerit, illuminetur, ut nequaquam habeat erroris tenebras.* S. Augustinus Lib. contra Epist. Fundamenti, Cap. V. *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicae Ecclesiae commoveret authoritas.* Lib. de Utilitate credendi, Cap. XVII. *Ecclesiae nolle primas dare, vel summae profecto impietatis est, vel praecipitis ar-*

rogantiae. De Symbolo ad Catechum. Serm. I. Cap. VI. *Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica contra omnes haereses pugnans. Pugnare potest, expugnari non potest. Haereses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite praecisa. Ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in caritate sua. Portae inferorum non vincent eam.* S. Petrus Chrysologus Serm. LXI. *Confitearis Ecclesiam Christi sponsam in perpetua Christi societate mansuram.* S. Fulgentius Epist. ad Probam, Cap. V. *Ecclesia Virgo in fide et charitate persistens, et sapientiam possidet, et virtutem: ideo nec seductione decipitur, nec violentia vincitur, quae internae Virginitatis integritate fulcitur.* S. Gregorius M. Lib. IX. in Job, Cap. VI. *Arcturus semper versatur, et nunquam mergitur: et Sancta Ecclesia persecutiones iniquorum sine cessatione tolerat, sed tamen usque ad mundi terminum sine defectu perdurat; quia tunc Sancta Ecclesia valentius in veritate reficitur, cum ardentius pro veritate fatigatur.*

CLV. Prob. IV. Argumento Praescriptionis. Ab Apostolis ad nostra usque tempora pro Haereticis semper habiti fuerunt omnes illi, qui errores contra fidem ab Ecclesia clare et perspicue damnatos pertinaciter defenderunt. Hinc inter Haereticos semper numerati sunt Simoniani, Gnostici, Valentiniani, Marcionitae, Montanistae, Manichei, Novatiani, Donatistae, Ariani, Macedoniani, Nestoriani, Eutychiani, Monothelitae etc. Ergo constans fuit omnium Catholicorum persuasio, Ecclesiam Christi in materia fidei et morum Judicem esse infallibilem, adeo ut plurimi Martyres pro defensione dogmatis ab Ecclesia clare decisi minime dubitaverint sanguinem et vitam profundere. Et quamvis Ec-

clesia nullo Canone suam infallibilitatem definiverit, luculentum tamen eidem testimonium perhibent Scripturae; et ipsa Ecclesia inerrantiam suam continua praxi demonstravit, hostes suos anathemate percutiendo: iniquum autem foret sub poena tam gravi obligare fideles ad assentiendum decretis, quibus falsum subesse posset.

CLVI. Prob. V. Ratione Theologica. I. est. Vera Ecclesia Christi debet esse Sancta. Ergo debet esse infallibilis. P. C. Si Ecclesia in materia fidei et morum falleretur, desineret esse Sancta; quia illius doctrina non amplius foret doctrina Christi: neque conformis foret voluntati Dei, quae est norma omnis sanctitatis; Deus enim nunquam vult, ut falsa, sed ut sana tradatur doctrina. II. Si Ecclesia in errorem fidei contrarium laberetur, non amplius foret Sponsa Christi, sed potius meretrix et adultera: non esset haereditas Christi, nec corpus Christi, nec civitas Dei, nec ovile Christi, quae sunt proprietates Ecclesiae respectu Dei. Cessarent quoque omnia officia verae Ecclesia respectu hominum, quibus est spiritualis Mater; nam sine vera fide, et vera fidei doctrina, nec posset Christo filios concipere, nec parere, nec nutrire, nec fideles defendere adversus hostes: quae omnia aperte repugnant manifestis Christi promissionibus in Scriptura contentis. III. Christus veram aliquam Religionem instituit, quam usque ad finem mundi conservabit. Ergo ut finem hunc obtineret, debuit infallibilem quemdam Judicem constituere, qui insurgentes lites suprema et infallibili sententia dirimeret, quem nemo audeat rejicere. Atqui talis Judex non est Scriptura, non Spiritus privatus, non populus, non Consistorium Seniorum, non Princeps saecularis, ut praecedente Controversia ostendimus. Ergo supremus et

infallibilis hic Judex est vera Christi Ecclesia. Veritas hac Conclusione asserta quam vehementer animum *Lutheri* perculerit, ipse testatur in Praefatione Tomi I. suorum Operum, in qua infelix Apostata ita scribit: *Omnibus argumentis superatis, unum vix, et non nisi aegerrime per gratiam Jesu Christi superare potui, audiendam scilicet Ecclesiam.* Gratia nempe velut invita reliquit miserum usque adeo, ut caecus derelictionem gratiae haberet pro adjutorio Jesu Christi.

CLVII. Neque in rebus tantum credendis vera Ecclesia Christi est infallibilis, verum etiam in doctrina morum, qui ad salutem necessarii sunt, et ad omnes pertinent. Deus enim in necessariis nusquam Ecclesiae suae deest: et quibus dedit pascendi oves auctoritatem, iisdem et donum indulsit discernendi bona pascua a malis et venenatis; alias error Ecclesiae suae Pastorum, omnium fidelium error evaderet, cum ex praecepto Christi teneantur suis Pastoribus morem gerere: immo et in Christum ipsum error ille ultimato recideret, qui Pastores tam noxios dedisset, et legem ipsis obsequendi fidelibus simul imposuisset. Hinc certum est I. fieri non posse, ut Ecclesia definiat vitiosum esse, quod honestum est; aut contra honestum, quod est turpe; adeoque sua edita lege quidquam approbet, quod Evangelio et rectae rationi inimicum sit. Si enim Ecclesia expresso judicio, vel lege lata turpia probaret, aut reprobaret honesta, hic jam error non solum fidelibus pestem ac perniciem afferret, sed fidei etiam quodam modo adversaretur, quae omnem virtutem probat, universa vitia condemnat. Certum est II. fieri non posse, ut Ecclesia eam invehat, aut probet generalem disciplinam, quae suorum saluti noxia sit.

CLVIII. *Conclusio II.* Sola Ecclesia Romano-Catholica est infallibilis Judex Controversiarum fidei et morum. Prob. Conclusio. Sola vera Ecclesia Christi est infallibilis in materia fidei et morum. Atqui sola Eclesia Romano-Catholica est vera Ecclesia Christi, cum haec sola sit una, Catholica, Sancta et Apostolica. Ergo haec sola est infallibilis in materia fidei et morum.

OBJECTIONES.

CLIX. *Objicitur I.* Infirmitas argumenti ex Epistola Paulina petiti. Apostolus I. ad *Timoth. III.* Ecclesiam vocat columnam et firmamentum veritatis, non active, quasi ipsa fulciat et sustentet veritatem, sed passive; quia ipsa fundatur et sustentatur a veritate. Ergo P. A. Absurdum est dicere, Ecclesiam esse fulcrum et firmamentum veritatis, cum ipsa veritas sit robur et fortitudo Ecclesiae. II. Ecclesia vocatur columna veritatis, quia Scripturas conservat, quae errare non possunt. III. Quia in ea proponuntur decreta veritatis aeternae, scilicet Sacra Scriptura: sicut in columnis ante Curias positis affiguntur et promulgantur decreta Magistratus. IV. Dicitur firmamentum veritatis, quamdiu nempe a veritate non recedit, sed in ea permanet. R. ad I. N. A. Ecclesia est firmamentum veritatis activum, quia Deus per eam omnes fideles confirmat: et passivum, quia in fide et veritate firmatur a Deo per infallibilem assistentiam Spiritus Sancti a Christo promissam. Ad *probat.* D. A. Absurdum est dicere, Ecclesiam esse fulcrum veritatis spectatae quoad se, C. A. Spectatae quoad nos, N. A. Ecclesia eatenus dicitur columna et firmamentum veritatis, quatenus

eam infallibiliter nobis proponit. Ad II. R. Tali modo sequeretur, etiam nostris temporibus in Lege gratiae, Synagogam esse columnam veritatis, quia Judaei diligenter conservant Scripturas veteris Testamenti, quae aeque infallibiles sunt, ac Scripta Apostolica: immo quemlibet Bibliopolam, qui in officina sua venales habet Scripturas. Ad III. R. Hoc fictitium esse, et menti Apostoli manifeste adversum. Nam talem columnam, in qua tantum affiguntur leges, nemo unquam dixerit Legum firmamentum; quia nec illis robur tribuit, nec ad sustinendas illas chartas magno robore indiget. Ad IV. R. sensum hunc esse aperte nugatorium, ac tali modo Turcas etiam et Judaeos, immo ipsum daemonem dici posse firmamentum veritatis. Vide dicta Numero XXII.

CLX. *Objicitur II.* Authoritas Scripturarum. Isaiae LVI. dicitur: *Speculatores ejus caeci omnes: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes et amantes somnia. – – Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam: omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum.* Ergo tota Ecclesia est fallibilis. *Confirm.* Praelati Ecclesiae sunt saepe flagitiosi. Ergo falli possunt in materia fidei et morum. R. N. C. Verba Prophetae non de omnibus collective intelligenda sunt, sed de plurimis. Praeterea infallibilitatem Ecclesiae non desumimus ex promissionibus Synagogae, sed Ecclesiae a Christo factis. Ad *Confirm.* R. Quamvis pauci quidam Praelati forent flagitiosi, eorundem tamen mores minime praejudicarent infallibilitati Ecclesiae, ut jam olim contra Donatistas observavit S. Augustinus Epist. LIII. alias CLXV. ad Generosum: *In illum autem or-*

dinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro usque ad Anastasium, qui nunc eamdem Cathedram sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil praejudicaret Ecclesiae et innocentibus Christianis, quibus Dominus providens, ait de Praepositis malis: Quae dicunt, facite; quae faciunt, facere nolite.

CLXI. *Objicitur III.* Fallibilitas Synagogae. Synagoga non fuit infallibilis in materia Religionis. Ergo neque Ecclesia Christi. P. A. In passione Christi summus Sacerdos cum Sacerdotibus et Senioribus populi erravit, dicendo, *Reus est mortis.* Ergo. R. Imo. N. C. Synagoga erat typus tantum et figura Ecclesiae Christi. R. II. N. A. Nam I. *Levitici* Cap. X. ait Dominus: *Praeceptum sempiternum est in generationes vestras. Et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum: Doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quae locutus est Dominus ad eos per manus Moysi.* Et *Deuteronomii* Cap. XVII. (Vide Num. CXXXV.) qui Sacerdotis sententia stare noluerit, morte jubetur puniri. Ergo Summus Sacerdos apud Judaeos erat infallibilis in materia Religionis et legalium; alias Deus non praecepisset sub poena mortis, ut omnes acquiescant sententiae falsae, praecipue in materia Religionis et fidei. II. Deus veterem Ecclesiam perpetuo instruxit ac direxit partim per apparitiones, visiones, ac revelationes, partim per oracula ac responsa, partim per varias artes modosque suae sapientiae. Ergo etiam habuit perpetuam curam ac providentiam particularem pro conservanda vera Religione; quia ridiculum foret, si Deus tot operationibus suae bonitatis et sapientiae curasset minima, videlicet negotia perso-

narum particularium, ac neglexisse maxima, videlicet puritatem Religionis. III. Ecclesia veteris Testamenti erat Sancta, a Deo optimis praeceptis instituta; Deumque eo modo colebat, quem ipse Deus praescripserat. Ergo in rebus fidei et morum erat infallibilis. Ad *probat.* R. repudiatam tunc fuisse a Deo Synagogam, eique, saltem inchoative tempore Passionis, perfecte autem die Pentecostes, post promulgationem Christianae Legis Jerosolymis factam ab Apostolis, successisse veram Ecclesiam Christi. Hinc tempore illo infallibile non amplius erat judicium Synagogae, quia praesentibus Christo et Apostolis illius errores parum obesse poterant veritatem sincere quaerentibus.

CLXII. *Objicitur IV.* Ratio. Si Ecclesia esset infallibilis, non opus foret congregari Concilia, et quae credenda sunt, examinare ac discutere. Ergo cum celebrentur Concilia, et examen ac discussio instituatur, hoc ipso Ecclesia non judicat se infallibilem. R. N. A. Concilia a Romano Pontifice congregata et approbata repraesentant Ecclesiam cum suo capite: hinc in Conciliis clarissime cognoscitur mens et doctrina totius Ecclesiae. Examen autem et discussio in Conciliis instituitur, tum quia Ecclesia nulla nova dogmata profert; sed tantum ostendit ea dogmata quae proponit credenda, contineri in Verbo Dei scripto vel tradito, quod fieri nequit absque aliqua discussione: tum ut frangat pertinaciam haereticorum, quos non imperio tantum, sed etiam suasione et doctrina ad fidem adducere nititur.

CLXIII. *Dices I.* Nemo potest esse Judex in propria causa. Ergo Ecclesia non potest in materia religionis sententiam ferre. P. A. Ipse Christus noluit esse

Judex in propria causa; ait enim Joan. Cap. V. v. 31. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum. Alius est qui testimonium perhibet de me.* Ergo multo minus Ecclesia potest esse Judex in propria causa. R. D. A. Nemo, id est, nulla persona privata potest esse Judex in propria causa, C. A. Neque supremus Judex, N. A. Ecclesia est supremus Judex, quia nemo mortalium potest Ecclesiae jus dicere. Ergo eo modo potest esse Judex etiam in propria causa, quo Supremus Princeps, qui alium Dominum non agnoscit, saepe in propria causa temporali judicat. Ex quo patet; quam inepta fuerit excusatio Protestantium, qui stare nolebant authoritate Concilii Tridentini ex eo capite, quod a Papa fuerit congregatum, nullumque jus suffragii datum fuerit Protestantibus. Numquid enim Arius, Nestorius, Eutyches, aliique pari jure dicere potuissent, Concilium Nicaenum, Ephesinum, Chalcedonense habitum fuisse a Catholicis: convocatum fuisse a Papa, qui in propria causa Judex esse nequeat; ideoque contemnendam esse horum Conciliorum authoritatem. Ad *probat.* R. Christus non ait testimonium suum solum non esse verum in se; sed non esse verum respectu Judaeorum, quos alloquebatur, id est, non esse credibile ac firmum sine operibus et miraculis.

CLXIV. *Dices II.* Nullum Ecclesiae membrum est infallibile. Ergo neque tota Ecclesia est infallibilis. P. C. Praedicatum quod nulli parti convenit, neque convenit toti. Sed infallibilitas nulli parti Ecclesiae convenit. Ergo neque convenit toti Ecclesiae. II. Episcopi libere definiunt. Ergo possunt errare. III. Voluntas omnium fidelium potest errare, prolabendo in gravissi-

ma scelera. Ergo etiam intellectus omnium fidelium potest errare circa materiam Religionis. R. I. N. A. Praecipuum membrum, nempe Caput visibile Ecclesiae, Romanus Pontifex, errare nequit in materia fidei et morum, ut Articulo III. ostendemus. R. II. O. A. N. C. Ad *probat.* D. M. Quod nec adaequate nec inadaequate convenit partibus, non convenit toti, C. M. Quod inadaequate tantum convenit partibus, id non convenit toti, N. M. Et sic dist. minore, N. C. Praedicatum infallibilitatis in rebus fidei et morum inadaequate reperitur in singulis, prout partialiter constituunt totam Ecclesiam. Sic singuli testes non faciunt plenam probationem in judicio: eandem tamen faciunt plures simul sumpti. Ad II. D. A. Episcopi libere definiunt, hoc est, possunt definire, vel non definire, C. A. Possunt definire contrarium, subdist. Seorsim ac distributive sumpti, ac potentia antecedente promissiones Christi fundatas in praescientia, qua Deus cognovit Ecclesiam universam ob infallibilem Spiritus Sancti assistentiam nunquam erraturam in materia fidei et morum, C. A. Simul spectati, et collective, potentia consequente promissiones Christi etc. N. A. Ad III. N. A. Ecclesia enim semper debet esse sancta sanctitate doctrinae et morum, sive personarum. Ergo quolibet tempore plures habere debet vera sanctitate conspicuos.

CLXV. *Objicitur V.* Circulus vitiosus. Infallibilitas Ecclesiae probatur a Catholicis ex Scripturis, et vicissim infallibilitas Scripturarum per Ecclesiam. Ergo committitur circulus vitiosus. P. C. Tunc committitur circulus vitiosus, quando hoc probatur per alterum, et vicissim alterum per hoc. Atqui id ipsum agunt Catholici. Ergo. R. C. A. N. C. Ad *probat.* D. M. Quan-

do hoc probatur per alterum, quod ab adversariis non admittitur, C. M. Si illud alterum ab adversaris aliunde admittatur, N. M. Et sic dist. minore, N. C. Duo sunt argumenta, quibus evincimus infallibilitatem Ecclesiae. I. est. Scriptura, quam vos Protestantes admittitis, testatur Ecclesiam esse infallibilem. Ergo cum Scriptura mentiri nequeat, dicendum est Ecclesiam esse infallibilem. In hac argumentatione nullus fit circulus vitiosus, quia procedimus ex concessis ad non concessa. Atque hoc probandi genere usus est Christus, ut convinceret Pharisaeos, qui Moysem admittebant, et Christum rejiciebant; ait enim Joan. Cap. V. v. 46. *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit.* Alterum argumentum est istud: Datur vera Ecclesia a Christo fundata, haecque alia non est, quam Ecclesia Romano-Catholica, quae sola notas habet verae Ecclesiae, cum haec sola sit una, Sancta, Catholica, et Apostolica, miraculis conspicua, atque evidenter credibilis. Ergo pariter ejus dogmata sunt evidenter credibilia. Atqui inter illa hoc ferme praecipuum est, dari Verbum Dei scriptum infallibilis authoritatis, quod Scriptura sacra dicitur. Ergo cum haec ipsa Scriptura sacra pluribus in locis saepius asserat, veram Ecclesiam Christi in materia fidei et morum esse infallibilem, tenendum omnino est, Ecclesiam Romano-Catholicam in his rebus decidendis errare non posse. Ubi vides in hac argumentatione nullum prorsus vitiosi circuli vestigium apparere. At vero quam infeliciter Protestantes vitiosum circulum declinent, dum ex Scripturis infallibilitatem Spiritus privati, atque ex illo infallibilitatem atque existentiam Scripturarum evincere

conantur, vide dicta Tract. II. Num. CCXXI. et CCXXIX.

CONTROVERSIA III.

AN CONCILIA OECUMENICA A ROMANO PONTIFICE APPROBATA, SINT INFALLIBILIA IN MATERIA FIDEI ET MORUM?

Contra Protestantes.

CLXVI.

Ecclesia judicium suum exercere solet vel per Episcopos in Generali Synodo congregatos, vel per eosdem extra Concilium, vel denique per solum Romanum Pontificem. *Concilium* in genere, est Praelatorum Ecclesiae congregatio vel ad fidei controversias decidendas, vel ad tollenda schismata, vel ad fidelium mores reformandos et restaurandam Ecclesiasticam disciplinam a legitimo Superiore convocata, aut saltem confirmata. Alia sunt *Generalia*, vel Oecumenica, quae authoritate Summi Pontificis per majores saltem Orbis Catholici provincias indicuntur, aut saltem postea confirmantur; quibusque interesse possunt omnes Episcopi dioecesin habentes, cum jure suffragii. Alia sunt *Particularia*; eaque vel *Nationalia*, ad quae Praelati integrae Nationis confluunt, praesidente Primate, vel Patriarcha: vel *Provincialia* ex Episcopis suffraganeis Metropolitae, vel Archiepiscopis collecta: vel *Dioecesana* ab Episcopo cum Clero suo instituta.

CLXVII. *Quaeres I.* Quinam ad Concilium Oecumenicum vocandi sint? R. de Jure vocandi sunt omnes totius orbis Episcopi, qui actualem habent jurisdictionem in Dioecesin sibi subjectam; ita ut nullus illorum possit excludi, nisi sit excommunicatus, vel aperte haereticus; sufficit tamen, si ex diversis provinciis multi compareant, et absolute multi intersint. Ex privilegio, vel consuetudine vocantur etiam Cardinales, Generales Ordinum, et Abbates habentes jurisdictionem ab Episcopo exemptam: habentque hi omnes votum decisivum, seu jus suffragii. Praeter hos mitti etiam solent ab Episcopis ad Concilia Generalia Theologi, et Jurisconsulti, quandoque etiam Laici, qui tamen omnes votum dumtaxat habent consultivum. Praeter hos interesse solent Principum Legati et Oratores, ut omnia in Concilio pacate et ex ordine fiant, absque jure tamen suffragii, vel voto consultivo.

CLXVIII. *Quaeres II.* An jus suffragii decisivi habere non debeant Laici, soli Electi, aut demum omnes Parochi, ut Lutherus et Brentius contendunt? R. negative I. quia solis Episcopis concessum est a Deo regimen animarum. Act. XX. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* II. *S. Cyprianus* Epist. ad Jubaianum, *S. Hilarius* Lib. de Synodis, *S. Hieronymus* Lib. II. Apologiae contra Rufinum, *S. Ambrosius* Epist. XXXII. *S. Augustinus* Epist. CXIX. *S. Leo M.* Epist. XVI. docent, ad solos Episcopos pertinere in Conciliis judicare. Accedit celebre effatum Chalcedonensium Patrum: *Mitte foras superfluos, Concilium Episcoporum est.* III. Ut quis in Conciliis potestate ordinaria judicet, condemnet, vel absolvat, requiritur juris-

dictio spiritualis pro foro externo, quam soli Episcopi habent, vel Praelati, qui quasi Episcopalem jurisdictionem exercent. IV. Soli Episcopi cum Romano Pontifice Ecclesiam repraesentant, sicut in Comitiis Imperator cum statibus totum repraesentat Imperium. Sententia Brentii, contendentis solos Electos et Sanctos ad Concilium vocandos esse, prorsus absurda est. Cum enim Electos a reprobis nemo possit discernere, constare nunquam posset habitam esse legitimam synodum.

CLXIX. *Quaeres III.* Quot, et quaenam habita sint Concilia Oecumenica a Pontifice Romano confirmata, et ab universali Ecclesia recepta? Resp. XVIII. fuisse, VIII. prima Orientalia, X. posteriora Occidentalia. Primum inter Oecumenica est *Nicaenum I.* A. 325. sub Sylvestro Papa, et Constantino M. Imp. contra Arium, Meletium Lycopoleos Episcopum, et Quartodecimanos. Nicaeni appendix censetur Synodus *Sardicensis* anno 347. habita sub Julio I. Papa, et Constante Imp. II. *CPolitanum I.* anno 381. sub Damaso Papa, et Theodosio Seniore Imp. contra Macedonianos. III. *Ephesinum* anno 431. sub Coelestino Papa, et Theodosio Juniore Imp. contra Nestorium. IV. *Chalcedonense* anno 451. sub Leone M. Papa, et Marciano Imp. contra Eutychetem et Dioscorum. V. *CPolitanum II.* anno 553. sub Vigilio Papa, et Justiniano Imp. in causa trium Capitulorum, seu contra scripta et personam Theodori Mopsvesteni, contra scripta Theodoreti Episcopi Cyrensis, et Epistolam Ibae Edesseni Episcopi ad Marim Persam. VI. *CPolitanum III.* anno 680. sub Agathone Papa, et Constantino Pogonato Imp. contra Monothelitas. VII. *Nicaenum II.* anno 787. sub Hadriano I. Papa, et Constantino Leonis filio Imp. Matreque ejus

Irene contra Iconomachos. VIII. *CPolitanum IV.* anno 869. sub Hadriano II. Papa, et Basilio Imp. pro restituendo S. Ignatio CPolitano Patriarcha, et ejiciendo Photio ejusdem Sedis invasore. IX. *Lateranense I.* anno 1123. sub. Callisto II. Papa, et Henrico V. Imp. pro recuperatione Palaestinae, et pro jure investiturarum Imperatoribus abjudicando, et Ecclesiae vindicando. X. *Lateranense II.* anno 1139. sub Innocentio II. Papa, et Conrado III. Imp. contra Schismaticos adhaerentes Petro Leonis Antipapae, seu Anacleto II, et Ordinationes ab eo factas: item contra Petrum de Bruis, et Arnaldum Brixiensem. XI. *Lateranense III.* anno 1179. sub Alexandro III. Papa, et Friderico I. Ahenobarbo Imp. contra Albigenses novos Manichaeos, et adversus Schismaticos, ordinatos a Victore IV. Antipapa. XII. *Lateranense IV.* anno 1215. sub Innocentio III. Papa, et Ottone IV. Imp. contra Albigenses, Joachimi Abbatis doctrinam etc. item pro recuperatione Palaestinae, et variis statuendis capitibus Ecclesiasticae disciplinae. XIII. *Lugdunense I.* anno 1245. sub Innocentio IV. Papa et Friderico II. Imp. contra Fridericum II. Imp. Ecclesiae hostem, et pro expeditione in Terram Sanctam, ac disciplina Ecclesiastica restituenda. XIV. *Lugdunense II.* anno 1274. sub Gregorio X. Papa, et Rudolpho I. Imp. pro unione Graecorum cum latinis restauranda, et expeditione in Palaestinam. XV. *Viennense* in Gallis anno 1311. sub Clemente V. Papa, et Henrico VII. Imp. contra Fraticellos, Begardos et Beguinas, contra Equites Templarios, denique pro Terrae Sanctae subsidio, et instauranda Ecclesiae disciplina. XVI. *Florentinum* anno 1438. sub Eugenio IV. Papa, et Alberto II. Imp. pro unione Graecorum cum Latina Ecclesia. XVII. *Lateranense V.*

anno 1512. sub Pontificibus Julio II. et Leone X. ac Maximiliano I. Imp. adversus Conciliabulum Pisanum, pro reformatione morum, pro Bello sacro, et pragmatica Gallorum sanctione abroganda. XVIII. *Tridentinum* inchoatum anno 1545. sub Paulo III. Papa, et Carolo V. Imp. contra Lutherum, Zwinglium, Calvinum etc. continuatum a Julio III, absolutum et confirmatum a Pio IV, imperante Ferdinando I. anno 1563.

CLXX. *Quaeres IV.* an omnia Concilia Generalia fuerint a Romano Pontifice confirmata, et infallibilem habeant authoritatem? R. negative. Plura Concilia Generalia fuerunt a Pontificibus non tantum non confirmata, sed etiam positive reprobata; ideoque illa nullam habent in Ecclesia Dei authoritatem: alia vero fuere ex parte rejecta, et ex parte tantum approbata. Inter reprobata et erratica censentur I. *Mediolanense* Concilium anno 355. sub Liberio Papa, et Constantio Imp. celebratum a CCC. Episcopis, in quo iterum damnatus est S. Athanasius Alexandrinus, et Episcopi subscribere nolentes, ut Liberius Papa, Lucifer Calaritanus. S. Eusebius Vercellensis etc. in exilium pulsi. II. *Ariminense* CCCC. facile Episcoporum anno 359. sub Liberio Papa, et Constantio Imp. in quo vox *Consubstantialis* ex Symbolo Nicaeno expuncta est. III. *Ephesinum II.* anno 449. sub Leone M. Papa, et Theodosio Juniore Imp. contra Flavianum CPolitanum pro tuendo errore Eutychetis. Atque ideo latrocinium Ephesinum dictum est, et Synodus praedatoria. IV. *Trullanum* ad finem VII. Saeculi, quod alii anno 688., alii 692. celebratum volunt sub Justiniano II. Rhinotmeto Imp. ac Quini-Sextum a Graecis dicitur, reprobatum fuit a Sergio I. Papa, ut testantur Anastasius Biblio-

thecarius, Ven. Beda, Paulus Diaconus, Ado Viennensis, Otto Frisingensis etc. V. *CPolitanum* anno 730. sub Leone Isaurico Imp. contra cultum Sacrarum Imaginum. VI. *CPolitanum* anno 754. sub Constantino Copronymo Imp. in eadem causa. VII. CPolitanum anno 879. pro restituendo Photio post mortem S. Ignatii. VIII. *Basileense* anno 1431. sub Eugenio IV. Papa, et Sigismundo Imp. In hoc depositus est temerario ausu Eugenius IV. substituto ei Amadeo Sabaudiae Duce, quem Felicem V. vocarunt, definitumque est, eum esse haereticum, qui negaverit Concilium esse supra Pontificem. Sed erraticam hanc Synodum reprobavit Ecclesia in Florentino Concilio, et Lateranensi V. Inter Concilia partim approbata, partim reprobata numeratur I. Concilium *Francofordiense* anno 794. sub Hadriano I. et Carolo Magno Francorum Rege habitum. Quae enim contra Felicem Urgellitanum, et Elipandum Toletanum ab hoc statuta sunt, rata habuit Ecclesia; quae vero contra Nicaenam II. Synodum errore juris et facti ibi decreta sunt, Ecclesia reprobavit. II. *Constantiense* anno 1414. celebratum, imperante Sigismundo, ad tollendum schisma quo Ecclesia Christi dilacerabatur, cum praeter Gregorium XII. legitimum Pontificem, Balthasar Cossa, et Petrus de Luna, prior assumpto Joannis XXIII, alter Benedicti XIII. nomine pro veris Romanis Pontificibus habri vellent. Ibi, posteaquam Gregorius XII. Sess. XIV. per Carolum Malatestam Arimini Dominum, Legatum suum, Pontificatu se ultro abdicavit, post Sessionem XLI. electus est in legitimum Pontificem Otto Card. Columna, qui nomen Martini V. assumpsit, eaque tantum Constantiensis Concilii decreta confirmavit, quibus damnati fuerant Wickleffitae et Hussitae, et quae *conciliariter* acta fuere.

CLXXI. His praemissis, quaeritur modo, an Concilia Oecumenica, a Romano Pontifice approbata, sint infallibilia in materia fidei et morum? Dixi I. *Concilia Oecumenica*; particularia enim, cum non exhibeant universam Ecclesiam, saepius errarunt, ut patet vel ex solis Synodis particularibus in Asia et Africa celebratis in controversia Stephanum inter et Cyprianum agitata de Baptismo ab haereticis collato. Si tamen doctrina Conciliorum particularium difformis non sit doctrinae Ecclesiae, magnam habent illa authoritatem, quamvis de se absolute fallibilem. II. *A Romano Pontifice approbata.* Quae enim hac approbatione carent, quantumvis plurimos Episcopos numerent, sufficienter tamen Ecclesiam non repraesentant; quia visibile Ecclesiae caput, nempe Romanum Pontificem consentientem non habent: adeoque inerrantiae donum illis tribui minime potest. III. *In materia fidei et morum.* In aliis materiis, ac quaestionibus puri facti non connexi cum jure, Concilia possunt absolute falli, licet etiam in illis non debeant temere alicujus erroris accusari. At vero in materia fidei et morum sunt infallibilia; ita ut toti Ecclesiae nihil possint praecipere, quod per se malum aut inhonestum est, vel fidei contrarium, nihilque tanquam malum prohibere, quod per se bonum, honestum, aut ad salutem necessarium est; alias deficeret sanctitas Ecclesiae, eaque in doctrina erraret. Rationes quibus Concilia articulos definitos communiunt, licet non sint infallibilis authoritatis, sine temeritate tamen rejici non possunt, nisi aut evidens ratio, aut major authoritas contra illas pugnet. Porro Concilia juxta *Melchiorem Canum* Lib. V. de Locis Theol. Cap. V. tunc definire dicuntur aliquid tanquam pertinens ad fidem,

I. Si contrarium asserentes dicantur haeretici. II. Si in contradicentes feratur sententia excommunicationis ipso jure. III. Si quidquam expresse et proprie a fidelibus firmiter credendum, aut tanquam dogma fidei Catholicae accipiendum dicatur.

CLXXII. *Conclusio.* Concilia Oecumenica a Romano Pontifice approbata, sunt infallibilia in materia fidei et morum. Ita omnes Catholici contra Lutherum, Calvinum, aliosque Sectarios. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Christus Apostolis dedit potestatem gubernandi Ecclesiam Dei, ligandi et solvendi. Matth. Cap. ultimo Apostolis, eorumque successoribus promisit peculiarem assistentiam: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.* Joan. Cap. XIV. *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis.* Matth. Cap. XVIII. v. 20. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Quorum verborum haec est sententia: si duo vel tres congregati in nomine meo obtinent semper quod petunt a Deo, nimirum sapientiam et lumen; quod sufficit eis ad cognoscenda ea quae ipsis necessaria sunt: quanto magis Episcopi omnes congregati in nomine meo, semper obtinebunt quod juste petunt, id est, sapientiam et lumen ad judicanda ea, quae ad totam Ecclesiam dirigendam pertinent? Ita hunc locum exponunt S. Coelestinus in Epistola ad Ephesinum Concilium, Concil. Chalcedonense in Epist. ad S. Leonem, CPolitanum III. Act. XVII. Toletanum III. non procul ab initio etc. At vero nullo satis firmo, et in promissione Christi fundato argumento demonstrari potest, Concilia particularia in nomine Christi congregari, quod

indubitatum est de Conciliis Oecumenicis. Nam Concilium Oecumenicum est ipsummet Ecclesiae corpus, quod nusquam est sine suo essentiali, primario et invisibili Capite Christo, alioquin a corpore Ecclesiae separatus aliquando Christus foret, eamque desereret; quod pugnat cum ea fide et promissione, qua testatur se nunquam ab Ecclesia abfuturum.

CLXXIII. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Ambrosius Lib. I. de Fide ad Gratianum, Cap. IX. ait: *Accepisti Sancte Imperator eos qui talia asserunt, jure damnatos, non humana industria, non compositione aliqua; sed trecenti decem et octo Episcopi ad Concilium convenerunt: sed ut in numero eorum Dominus Jesus suo se probaret et adesse concilio, Crux in trecentis, Jesu nomen in decem et octo est Sacerdotibus.* S. Augustinus LIV. Epist. ad Januarium, alias CXVIII. *Illa quae non scripta, sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri.* S. Coelestinus Papa Epist. ad Patres Conc. Ephesini: *Non potest veritas mentiri, cujus in Evangelio ista sententia est: Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi et ego sum in medio eorum. Quod cum ita sit, si nec huic tam brevi numero Spiritus Sanctus deest, quanto magis eum nunc interesse credimus, quando in unum convenit tanta turba Sanctorum?* S. Leo Epist. XCIII. alias LXIII. ad Theodoretum: *Quae Dominus nostro prius ministerio definierat, universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu: ut vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium Sede formatum, totius Christiani or-*

bis judicium recepisset, ut in hoc quoque capiti membra concordent. Et in Epist. CXV. alias LXXIII. ad Leonem Augustum, rogat ne patiatur retractari quae Chalcedone statuta fuerant de incarnatione Christi. *Nulla*, inquit, *permittatis retractatione pulsari; quia in illo Concilio per Spiritum Sanctum congregato, tam plenis atque perfectis definitionibus cuncta firmata sunt: ut nihil regulae, quae ex divina inspiratione plorata est, addi possit aut minui.* S. Gelasius Epist. ad Episcopos Dardaniae: *Patres nostri, Catholici videlicet, doctique Pontifices in unaquaque haeresi quolibet tempore suscitata, quidquid pro veritate, pro communione Catholica secundum Scripturarum tramitem, praedicationemque majorum facta semel congregatione sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps firmumque constare.* Vigilius Papa in Epist. ad Episc. Galliae: *Necesse est, quoties in nomine Domini ejus famuli ad tractanda quae sunt ipsi placita, colligantur, Sancti Spiritus non deesse praesentiam.* S. Gregorius M. Lib. I. Epist. XXV. alias XXIV. ad Joannem Episc. CPolitanum: *Sicut S. Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, et venerari me fateor.*

CLXXIV. Prob. III. ex praxi Ecclesiae, quae semper pro haereticis eos habuit, qui contradicebant dogmati a legitimo Concilio Oecumenico clare deciso, ut patet in Arianis, Macedonianis, Nestorianis, Eutychianis etc. Prob. IV. triplici ratione Theologica. I. est. Ecclesia Christi est in materia fidei et morum infallibilis, ut ostendimus Controversia praecedente. Ergo etiam Concilia Oecumenica a Romano Pontifice approbata; quia illa repraesentant totam Ecclesiam cum suo capite. II. Impossibile est convocari totam Ecclesiam,

omnesque fideles. Ergo judiciaria potestas, eaque infallibilis, tribui debet Concilio Episcoporum. III. Si Concilium Oecumenicum a Pontifice Romano approbatum errare posset in materia fidei et morum, errare pariter posset ac deberet universa Ecclesia. Atqui hoc falsum est, et Christi promissionibus contrarium. Ergo. P. M. Ex una parte Episcopi cum Romano Pontifice repraesentant totam Ecclesiam: ex altera parte oves tenentur sequi doctrinam Pastorum juxta illud Lucae X. *Qui vos audit, me audit.* Neque Ecclesia in rebus fidei et morum aliquid decernit, nisi per Pastores. Ergo si corpus Pastorum erraret, tota pariter erraret Ecclesia.

CLXXV. Calviniani postquam Judiciariam potestatem Conciliorum tanquam intollerandam tyrannidem traducere sunt conati; eamdem ipsi quoque admittere, ac dissensionibus componendis velut certum remedium adhibere coacti sunt, ut refert Illustrissimus Bossuetius in Expositione Doctrinae Catholicae, Cap. XX. cum enim Independentes (Secta Calvinianorum) palam professi essent, unicuique fidelium ex propriae conscientiae praescripto vivendum, nec esse cur judicium privatum alicujus Ordinis aut Collegii, vel Ecclesiastici conventus authoritati subjiciat, Synodus Carentonensis in Gallia a Calvinianis celebrata A. 1644. hanc doctrinam judicavit esse *tam Republicae, quam Ecclesiae perniciosam, absurdis quibuscunque insanisque commentis viam aperire; omnes iis medendi rationes tollere: ac si illi sententiae locus esset, posse tot religiones fingi, quot Paroeciae forent.* Ex quibus verbis apparet voluisse Synodum, eam quam hoc decreto constituit, subjectionem ac dependentiam praecipue ad fidei negotia pertinere, cum maximum incommodum,

quod ex independentia eventurum notat, illud sit, *posse tot religiones fingi, quot forent Paroeciae.* In Synodo Calviniana Victoriacensi A. 1617. conscripta est formula, a Provinciis usurpanda, quoties ad Synodum nationalem legatos mittent, his verbis concepta: *Promittimus coram Deo, iis omnibus nos subjiciendos, quae a Sancto vestro coetu inventa et decreta erunt, iis parituros, et omni nostra facultate executuros, quod nobis persuasum sit fore, ut Deus ei praesideat; vosque Spiritu Sancto suo in omni veritate et aequitate per Verbi sui regulam dirigat.* Similia decreta fuere in Concilio Calviniano nationali ad Sanctae Fidei in Galliis A. 1578.

CLXXVI. Quam frivolae sint Protestantium rationes, ob quas Concilii Tridentini authoritatem rejiciunt, patuit in Synodo *Dordracena* a Calvinianis habita A. 1618. contra Arminianos, seu Remonstrantes. Cum enim illi libello porrecto conquesti essent, damnatos se esse a suis Collegis, qui partes essent, non Judices: se etiam esse Pastores, adeoque sibi etiam in concilio jus esse suffragii; vel si Arminiani excludantur, excludendos pariter fore Gomaristas adversarios suos, quae omnia olim Concilio Tridentino objecerant Protestantes: Gomaristae eadem responderunt Arminianis, quae olim Tridentini Patres Protestantibus. Nimirum dicebant, se esse Pastores legitimos, neque privari posse jure suffragii propter errores, quibus se opponerent: eadem ratione Arianos, Euthychianos, aliosque haereticos eludere potuisse judicium Ecclesiae. Alios non posse esse Judices, neque dari corpus Pastorum indifferens circa Ecclesiae quaestiones. Arminianos esse novatores, partem minorem et recentiorem; ideoque judicandos per partem

majorem antiquiorem, habentem pro se possessionem, et defendentem doctrinam ab annis jam quinquaginta receptam. Verum his rationibus causa adjudicabatur Catholicis contra Calvinianos. Illi enim erant in possessione, non ab annis quinquaginta, sed jam a sexdecim saeculis, erantque et numero, et antiquitate potiores. Ut vero aliquid dicerent Gomaristae, atque aliquam assignarent differentiam inter Synodum Tridentinum, et Dordracenam, reponebant, in Tridentina auditos fuisse homines, Papam et Lutherum, Dordraci vero audiri Deum: ibi illata fuisse ad Concilium praejudicia, hic nullum non esse paratum cedere Verbo Deo: ibi rem fuisse cum inimicis, hic cum fratribus: ibi omnia fuisse coacta, hic omnia libera. Verum haec omnia erant in quaestione, uter sit inimicus vel frater, uter audiat Verbum Dei, uter habeat praejudicia: et quod libertatem attinet, interposita ubique Bataviae Ordinum auctoritas, et Auriaci Principis Arminianis perquam infensi, captivitas Hugonis Grotii, et supplicium Barneveldii satis declarabant, nullam fuisse Dordraci sentiendi et judicandi libertatem.

OBJECTIONES.

CLXXVII. *Objicitur I.* Authoritas Patrum. S. Gregorius Nazianzenus Epist. LV. ad Procopium scribit: *Ego, si vera scribere oportet, hoc animo sum, ut omnem Episcoporum conventum fugiam: quoniam nullius Concilii finem laetum et faustum vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quam accessionem et incrementum habuerit.* II. S. Augustinus Lib. II. contra Maximinum, Cap. XIV. non agnovit infallibilem authoritatem

Concilii Nicaeni; scribit enim: *Nec ego Nicaenum, nec tu debes Ariminense tanquam praejudicaturus proferre Concilium Nec ego hujus authoritate, nec tu illius detineris.* III. Idem Lib. II. de Bapt. contra Donatistas, Cap. III. ait: *Ipsa Concilia, quae per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati quae fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere: ipsaque plenaria saepe priora posterioribus emendari; cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, et cognoscitur qaod latebat.* R. ad I. S. Gregorium Nazianzenum non loqui de Oecumenicis, sed particularibus Conciliis, quae sua aetate ob Arianorum improbitatem et fraudes, atque ob rixas ipsorum Episcoporum inter se sub Constantio et Valente Imperatoribus Arianis sinistrum sortita fuerant exitum. Quanti autem fecerit Concilia legitima et Oecumenica, patet ex laudibus, quibus effert Nicaenum, atque etiam ex eo, quia ipse magna fuit pars CPolitani I. in quo damnatus est Macedonii error. Ad II. R. S. Augustinus agnovit infallibilem Concilii Nicaeni authoritatem; paulo enim ante citata verba ait: *Hoc est illud Homousion, quod in Concilio Nicaeno adversus haereticos Arianos a Catholicis Patribus veritatis auctoritate, et auctoritatis veritate firmatum est.* Quia vero disputatio illa cum Maximino Ariano Episcopo prolixior evasisset, si S. Doctor ostendere voluisset Nicaenum fuisse legitimum, Ariminense illegitimum, viarum compendio utitur, et seposita Concilii Nicaeni authoritate, demonstrat sibi ex una Scriptura abunde sufficere firmissima momenta, quibus Arianum errorem confodiat. Ad III. R. S. Augustinum dicere, vel quod illegitima Concilia priora emendari possint a

posterioribus legitimis, sicut Ariana Concilia emendata sunt a CPolitano I. vel si de legitimis loquitur, id tantum intelligit de quaestionibus puri facti particularis in quibus Concilia, etiam Oecumenica, errare possunt ut satis indicant verba in objectione laudata, et subjecta disputatio ipsius cum Donatistis. Agebatur quippe de Caeciliano, an libros sacros tradidisset hostibus fidei, an non: quae questio tota meri erat facti particularis.

CLXXVIII. *Dices. S. Augustinus* Lib. cit. nempe Lib. II. de Bapt. Cap. III. agit contra Donatistas qui baptizatos ab haereticis rebaptizabant, tuentes se Cypriani authoritate, ostenditque S. Cyprianum hac in re errasse: neque id admiratione dignum esse, cum Concilia provincialia saepe emendentur per plenaria, et ipsa plenaria priora a posterioribus. Ergo S. Augustinus dicit priora plenaria emendari a posteribus, etiam in materiis ad fidem pertinentibus. P. C. Argumentatio S. Augustini juxta nos haec fuisset: Concilia plenaria errare possunt in quaestionibus meri facti. Ergo Concilia Cyprianica errare potuerunt in quaestionibus juris, seu fidei. Atqui argumentatio haec inepta est, et Augustino indigua. Ergo. R. C. A. N. C. Ad *probat*. C. M. N. m. Ad institutum Augustini sufficiebat demonstrasse, non tantum particulares Episcopos, sed ipsa etiam Concilia provincialia, immo et plenaria posse errare, quamvis in diverso genere; provincialia non in factis tantum, sed etiam in fide: Plenaria vero tantum in factis.

CLXXIX. *Objicitur II.* Authoritas Gallorum. Concilium *Tridentinum* Oecumenicum a Gallis receptum non est. Ergo Concilia non habent supremam eamque

infallibilem authoritatem; aut saltem ea neque ab ipsis Catholicis agnoscitur. R. Concilium Tridentinum quoad definitiones fidei ab omnibus Catholicis atque etiam a Gallis admissum fuisse, qui ea tantum disciplinae capita non probarunt, quae aut temporalem administrationem, aut Gallicanas consuetudines laedere videbantur. Quod vero Jansenistae in Gallis doctrinam Tridentini praecipue in materia Gratiae contemnant, et Concilium erroris accusent, tam parum derogat Concilii authoritati, quam parum Protestantium pervicacia in illo rejiciendo.

CLXXX. *Objicitur III.* Sequela. Si Concilia Oecumenica, a Romano Pontifice approbata, forent infallibilia in materia fidei et morum, eandem haberent cum Scripturis divinis authoritatem. Atqui hoc dici nequit. Ergo R. D. M. Eamdem haberent cum Scripturis divinis authoritatem, quoad certitudinem et infallibilitatem eorum quae a Conciliis Oecumenicis deciduntur, C. M. Quoad alia, N. M. Et sic dist. minore, N. C. I. Scriptura divina quoad omnia est infallibilis. II. Omnia, quae in illa continentur, sunt de fide. III. Scriptura non accipit authoritatem suam a Pontifice, sed eam tantum Pontifex declarat, ut nobis innotescat. IV. Scriptura divina indubitato continet Verbum Dei immediate revelatum. Contra vero Concilia Oecumenica a Rom. Pontifice approbata I. sunt tantum infallibilia in quaestionibus juris, aut etiam facti connexi cum jure, non vero meri facti. II. Non omnia, quae in Conciliis continentur, sunt de fide v. g. rationes, quibus Concilii sententia confirmatur; sed tantum Canones, aut ea quae fide divina credenda in illis proponuntur. III. Concilia a Papa authoritatem obligandi totam Ecclesiam acci-

piunt. IV. Juxta probabiliorem Theologorum sententiam Concilia non scribunt novas divinas revelationes, aut ipsum formale Verbum Dei; sed tantum declarant genuinum sensum Verbi Dei sive scripti sive traditi; atque insuper ex eo per rationem deducunt conclusiones.

CLXXXI. *Objicitur IV.* Ratio. Non est de fide, hoc aut illud Concilium legitimum fuisse, et legitime haec aut illa decrevisse. Ergo Conciliorum Decreta firmam, infallibilem ac divinam fidem facere non possunt. P. A. Non est de fide, Episcopos, qui Conciliis interfuerunt, fuisse veros fideles baptizatos, vere ordinatos etc. Ergo non est de fide, hoc aut illud Concilium esse legitimum. *Confirm.* Certo nobis non constat, quod Episcopi in Conciliis congregati omnem diligentiam posuerint in indaganda veritate. Ergo. R. N. A. Nam tota Ecclesia, utpote columna et firmamentum veritatis, non potest errare in rebus ad communem totius Ecclesiae Religionem pertinentibus. Atqui judicium quo Ecclesia acceptat hoc vel illud Concilium, pertinet ad communem totius Ecclesiae religionem. Ergo in hoc judicio non potest errare Ecclesia, ideoque de fide est, hoc vel illud Concilium fuisse legitimum. Caeterum cum haec objectio pertinet ad materiam de implicite revelatis, quae in Theologia Speculativa examinatur, uberior hujus rei discussio ad forum nostrum non pertinet. Ad *probat.* R. Si Concilium aliquod Oecumenicum a Rom. Pontifice approbatum est, de fide pariter est, Concilium habuisse omnia ea quae essentialiter ad Concilium legitimum requiruntur: vel saltem in sententia eorum qui Pontificiam infabillitatem propugnant, Pontificem qui Concilia confirmat, habere omnia essentialiter requisita ad Papatum; alias tota Ecclesia, quae

per Episcopos et Papam repraesentatur, erraret in fide, sicque promissiones Christi deficerent. Utrum autem, ut Concilia dicantur legitima, Episcoporum fides interna requiratur, vel sufficiat tantum externa cum titulo colorato, lis est inter Theologos, a nobis hic minime decidenda. Ad *Confirmat.* R. I. N. A. De diligentia Patrum nos certos reddunt consultationes, colloquia, disputationes, quae in Conciliis praemitti solent formandis fidei decretis. R. II. O. A. N. C. Quamvis Episcopi graviter peccent temere definiendo in Conciliis absque praevio examine, reque nondum sufficienter ponderata; nihilominus Decreta eorum circa res fidei et morum, si accedat Rom. Pontificis approbatio, errore vacant, alias tota Ecclesia Christi falleretur. Prudenter observat Melchior Canus Lib. V. de Locis Theologicis, Cap. V. *Quod si semel haereticis licentiam permittimus, ut in quaestionem vocent, num Ecclesiae Judices eam diligentiam et curam exhibuerint, quae opus erat, ut quaestio finiretur: ecquis adeo caecus est, qui non videat, omnia mox Pontificum et Conciliorum judicia labefactari?*

CLXXXII. *Objiciuntur V.* praetensi Conciliorum lapsus. Ipsa Concilia pugnant inter se etiam in rebus fidei, et in graves errores sunt lapsa. Ergo Concilia Oecumenica non sunt infallibilia. P. A. In Concilio Apostolico *Jerosolymis* celebrato in causa Gentilium, qui recens ad Christum conversi fuerant, sancitum est, illos non esse subjiciendos jugo Legis Mosaicae, simulque necessitas imposita est abstinendi a sanguine et suffocato, quod solis Judaeis a Deo erat prohibitum. Ergo hoc decretum Apostolicum secum ipsum pugnat. R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Apostoli jugum totius

Legis Mosaicae gentibus imponere noluerunt; praecepere tamen ut Christiani ab tinerent a sanguine et suffocato, quod praeceptum non proprie Mosaicum erat, sed Noachicum, a Deo latum Noemo ejusque posteris. Cum enim sanguinis et suffocati esus tempore Apostolorum certum fuerit Idololatriae signum, atque ab eo Judaei vehementer abhorrerent, Apostoli, ut in unam soeictatem Gentiles et Judaeos ad Christum conversos pertraherent, sapienter omnino interdixerunt Gentibus esum sanguinis et suffocati; quod etiam per multos annos observatum est, donec cessante causa, cessavit etiam obligatio hujus praecepti, lexque illa ab Apostolis ad tempus lata, communi Ecclesiae consensu antiquata est.

CLXXXIII. *Dices I. Nicaenum I.* Can. XII. jussit ut Christiani militiam desererent, et cingulum militare abjicerent; cum tamen nec Christus, nec Apostoli hoc vitae institutum reprobarint. II. Can. XIX. Paulianistas, hoc est, Pauli Samosateni sectatores, ad Ecclesiam revertentes voluit rebaptizari; cum tamen certum sit, valere baptismum ab haereticis collatum. R. ad I. Nicaenum Can. XII. loquitur de lapsis poenitentibus, qui cum animo pietatis, et pro more poenitentium cingulum militiae deposuissent, caeterisque publicis officiis ac muniis renuntiassent, abjecto postea poenitentium statu, facultatem ea munia resumendi, oblata pecunia redimebant. Hos igitur voti sui immemores damnat Nicaenum, non alios. Ad II. R. Baptismum Paulianistarum merito fuisse reprobatum; quia formam Baptismi corruperant.

CLXXXIV. *Dices II. CPolitanum I.* Can. II. et *Chalcedonense* Can. XXVIII. decreverunt, ut CPo-

litanus Episcopus primum locum teneat post Romanum Pontificem, eoquod sit Episcopus novae Romae; et tamen Ecclesia non acceptavit hos Canones. Ergo Concilia errarunt. R. I. Infallibilitatem eorum tantum Conciliorum hic a nobis defendi, quae Romano Pontifice approbata fuerunt. Praeterea Canones isti neque ad fidem, neque ad mores pertinent, sed tantum ad disciplinam R. II. Canonem II. CPolitani I. nunquam approbavit Romana Ecclesia, ut constat ex S. Gregorio M. Lib. VI. Epist. XXXI. Ad Eulogium: *Romana Ecclesia eosdem Canones, vel gesta Synodi illius* (scilicet CPolitanae) *hactenus non habet, nec accipit. In hoc autem eamdem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum.* Canonem XXVIII. Chalcedonensis Concilii in gratiam Anatolii CPolitani furtive cusum, absentibus Romani Pontificis legatis, *S. Leo M.* constanter rejecit, datisque ad Marcianum Imperatorem litteris, atque ad ipsum etiam Anatolium, ejus superbiam graviter reprehendit. Praeterea Canon ille duo continet falsa, nempe I. Sedem Romanam a Synodo Nicaena accepisse Primatum; cum tamen sextus Nicaeni Canon in genuinis Codicibus sic habeat: *Ecclesia Romana semper habuit primatum. Antiqua autem consuetudo servetur etc.* Atque ita hunc Canonem legit Paschasinus S. Leonis M. Legatus in Chalcedonensi coram Patribus Concilii, nemine reclamante. II. Quod ideo Romana Ecclesia habeat primatum, quia urbs est regia; cum tamen, ut ostendunt *S. Leo M.* Epist. ad Marcianum Imp. et S. Gelasius Epist. ad Episcopos Dardaniae, Mediolanum, Ravenna, Sirmium, Treviri, Nicomedia, fuerint diu Sedes Imperii, quin Episcopis illarum Urbium major idcirco praerogativa accesserit.

CLXXXV. *Instabis.* Si Canon XXVIII. Chalcedonensis jure reprobatus est a S. Leone M., erravit *Lateranense IV*, illum approbando; siquidem Can. V. primus locus post Romanum Pontificem CPolitano Patriarchae tribuitur. R. N. A. Cum res ad disciplinam pertinentes, mutatis circumstantiis, mutari possint, recte hoc sancitum fuit a Lateranensi IV., quod jure reprobatum fuit a S. Leone M. Voluit nimirum Innocentius III. bono pacis consulere, huncque honorem deferre CPolitano Patriarchae Latino, capta nimirum paulo ante a Gallis et Venetis CPoli; tum ut hac ratione nutantes hactenus Graecos Romanae Ecclesiae unitos retineret: tum quia jam a multis saeculis CPolitano cedebant reliqui Orientis Patriarchae, quibus jam hac nova concessione nullum amplius praejudicium creabatur.

CLXXXVI. *Dices I. CPolitanum II.* damnavit tria Capitula, quae approbata fuerant a Chalcedonensi. II. Ipse Vigilius Papa reprobavit initio hanc Synodum, quamvis eam postea confirmaverit. III. Concilium Jurisdictionis suae limites excessit, damnando Theodorum Mopsuestenum, qui in Ecclesiae pace jam diu obierat; Ecclesia enim nullam habet in mortuos jurisdictionem. IV. Plurimi Episcopi rejecerunt Synodum V., ut Epicopi Hispani, Istriae, Liguriae, Venetiarum, Africae. Ergo judicarunt Concilium Oecumenicum non esse infallibile. R. ad I. Chalcedonense Epistolam Ibae Edesseni ad Marim Persam recitari quidem permisit in Concilio Act. X., eam tamen minime approbavit. Cumque Ibas nunc se aliter sentire professus fuisset, Nestorio anathema dicere jussus ad communionem admissus est, et Orthodoxus declaratus, non ob scriptam Epistolam illam, sed ob resipiscentiam. Theodoretus

pari modo susceptus fuit a Chalcedonensi inter Concilii Patres; prius tamen Actione VIII. anathema dicere jussus fuit Nestorio, ejusque doctrinae: adeoque damnare, quae pro Nestorio scripserat adversus S. Cyrillum Alexandrinum. R. ad II. Cum in CPolitano II. nulla fuerit quaestio habita de fide, sed tantum de personis, potuit Vigilius, pacis et Ecclesiae bono ita exigente, sententiam mutare. Timens itaque Vigilius, ne tria Capitula condemnando videretur Eutychianis favere, atque authoritatem Chalcedonensi Synodi, a qua damnati fuerant, infringere; cumque multi Occidentales Episcopi huic trium Capitulorum damnationi se opponerent, falsa pietatis specie delusi, damnare noluit initio haec tria Capitula. At postea animadvertens Schismatis longe majoris imminere periculum, totumque Orientem ab Occidente separandum, nisi sententiam mutaret, eadem damnavit expresse. Qua in re nec erroris, nec praevaricationis reus dicendus est Vigilius, sed ob sapientem oeconomiam et prudentiam maximopere laudandus, Paulum Apostolum in hoc prudenter imitatus, qui, quantumvis antea in Concilio Jerosolymitano suum pro abroganda circumcisione suffragium tulisset, nihilominus nova suborta circumcidendi causa, Timotheum circumcidit, novique scandali emergente periculo, Petro ad tempus dissimulanti in faciem restitit Antiochiae. R. ad III. Ecclesia cum jurisdictionem non habeat in mortuos, non potest eos excommunicare excommunicatione stricte sumpta quae sit separatio a communione fidelium: potest tamen excommunicare eos excommunicatione late sumpta, quae nihil aliud est, quam detestatio illorum, qua declaratur eorum nomen et memoriam e sacris diptychis de-

lendam esse. Competere autem Ecclesiae hanc potestatem, probarunt Patres Vtae Synodi Collatione VI. ex Canone LXXXI. Codicis Ecclesiae Africanae, his verbis expresso: *Siquis Episcopus haeredes extraneos a consanguineitate sua, vel Haereticos etiam consanguineos, aut Paganos Ecclesiae praetulerit, saltem post mortem ei anathema dicatur, atque ejus nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur.* II. Ex Epistola CLXXXV. alias L. S. Augustini ad Bonifacium Comitem scribentis: *Quamvis etsi vera essent, quae ab eis* (Donatistis) *objecta sunt Caeciliano, et nobis possent aliquando monstrari, ipsum jam mortuum anathematizaremus.* III. Quia plures post mortem fuere ab Ecclesia anathematizati, ut Valentinus, Basilides, Origenes, ac Dioscorus Antipapa Saeculo VI. Theodorum Mopsuestenum quod attinet, in Ecclesiae pace mortuus is non fuit; quia, ut impia ejus scripta ostendunt, nec servavit nec praedicavit recta Ecclesiae dogmata: unde et post mortem ex Ecclesiae Mopsuestenae diptychis ejus nomen erasum et expunctum est jam diu ante Synodi Vtae tempora, ut probatur ex actis Mopsuestenae Synodi, jussu Justiniani Imperatoris congregatae, ut in hoc factum inquireret. R. ad IV. Synodum V. a compluribus Episcopis rejectam fuisse, partim ignorantia et bona fide, partim timore, ne recipiendo illam viderentur rejicere Chalcedonensis Concilii Decreta; qui tamen fere omnes partim opera Vigilii, Pelagii I. et II. partim suavitate et doctrina S. Gregorii M. in gratiam redierunt cum Ecclesia Catholica. Soli propemodum in Schismate perstiterunt abrupta idcirco cum Ecclesia Romana communione, Aquilejenses cum Episcopis suis suffraganeis Istriae et Venetiarum, qui Majorum suorum Paulini, Eliae, et Seve-

si exempla secuti, assumptoque Patriarchae nomine, ne Romano Pontifici parerent, curas illius diu elusere: donec tandem post longum ac diuturnum sesqui saeculi Schisma, circa annum 699. Tiberio Absimaro imperante, et Sergio I. Romanam Ecclesiam gubernante, Petrus Patriarcha Aquilejensis in Concilio Aquilejae congregato Synodum V. suscepit, abjurato schismate, ut testantur Beda, Paulus Diaconus, et Sigebertus. Hispaniarum Episcopos quod attinet, cum illi non procaciter et palam Synodum V. impugnarent, sed eam solummodo alto praeterirent silentio, neque idcirco a Romana Ecclesia se separassent; dissimularunt Romani Pontifices, expectantes, donec melius informati, erroreque deposito, ad communem Ecclesiae sensum accederent.

CLXXXVII. *Urgebis. S. Gregorius M.* cum intellexisset Theodelindam Longobardorum Reginam litteris suis, in quibus V. Synodi honorifice meminerat, offendi posse, atque ea de causa Constantium Episcopum Mediolanensem litteras illas Reginae non tradidisse, laudavit Episcopi prudentiam, aliasque ad Theodelindam dedit litteras, in quibus plane siluit de V. Synodo. Ergo ipse S. Gregorius Concilium Oecumenicum a Vigilio et Pelagio approbatum parvi fecit. R. C. A. N. C. Quanti S. Gregorius V. Synodum fecerit, patet ex Lib. I. Epist. XXV. alias XXIV. ad Joannem CPolitanum: *Sicut Sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, et venerari me fateor.* – – – *Quintum quoque Concilium pariter veneror.* Quod vero in aliis ad Theodelindam Epistolis de V. Synodo siluerit, prudenti oeconomiae id adscribendum est: satius enim putavit opportunum expectare tempus, quo Regina errorem hunc facti evelli sibi pateretur, quam importune

imperando efficere, ut veritatem aversaretur, suaque accessione Schismaticorum Aquilejensium partes firmaret. Paulo post Theodelinda ad S. Gregorium misit objectiones Secundini Abbatis contra judicium latum in tria Capitula, ut illas dilueret. Quod ob gravissimos podagrae dolores praestare tam cito non potuit Sanctissimus Pontifex; sed Acta V. Synodi ad eam transmisit cum Secundino communicanda, qui ex eorum lectione disceret, hanc Synodum Chalcedonensi non esse contrariam, et tria Capitula juste damnasse. Sicque S. Gregorii moderatione effectum est, ut Theodelinda cum suis V. Synodum susciperet.

CXXXVIII. *Dices IV. Nicaena II.* Synodus Oecumenica ab Hadriano I. approbata, Can. VIII. statuit, Judaeos illos, qui suscepto baptismo se Christianos fingunt, et clam judaizant, non admittendos in Ecclesiam, sed impune dimittendos. Atqui hoc certe erroneum est, repugnatque *S. Gregorio M.* Lib. I. Epist. XLV. Lib. IV. Epist. VI. Lib. VII. Epist. XXIV. et Concilio *Toletano IV.* Can. LVI. Ergo. R. Quamvis ab Hadriano I. approbata fuerit Nicaena II. Synodus quoad fidei definitionem, non tamen approbatos fuisse Canones; huncque ipsum Canonem VIII. unum ex iis esse, quos *Anastasius Bibliothecarius* in praefatione Synodi VII. ad Joannem VIII. Pontificem Romanum scribit, prioribus Canonibus, vel decretis Sanctorum Sedis Romanae Pontificum, aut certe bonis moribus adversari.

CLXXXIX. *Dices V.* Quae Synodus Nicaena II. decreverat pro cultu Imaginum, reprobata fuerunt a *Francofordiensi* Concilio A. 794. sub Carolo M. cui interfuerunt Episcopi facile CCC. Occidentales, et Legati Hadriani I. Pontificis. Ergo Nicaenum II. erravit in de-

finitione fidei. R. C. A. N. C. Quae Francofordiense decrevit contra Felicem Urgellitanum, et Elipandum Toletanum, approbata fuere ab Hadriano I., minime autem quae contra Nicaenam Synodum improvide in eo statuta sunt. Errarunt nimirum Francofordienses Patres errore facti, et juris. Errore facti errarunt I., quia ex imperitia linguae Graecae, ac falsis Epistolis decepti Iconomachorum Orientalium, qui apud Gallos Nicaenam Synodum perfide accusabant, falsamque doctrinam ei affingebant, sensum ac mentem Nicaenae Synodi assecuti non sunt. Dicitur enim Canone II. *Allata est in medium quaestio de nova Graecorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Sanctorum CPoli* (dicendum potius Nicaeae) *fecerunt: in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deificae Trinitati servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra Sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem et servitium renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* Atqui quam falso ista tribuantur Nicaeno, patet ex Actione III. ejusdem, in qua Constantinus Constantiae in Cypro Episcopus dixit: *Suscipio et amplector venerandas Imagines; adorationem autem, quae fit secundum latriam, tantummodo super substantiali, et vivificae Trinitati conservo.* Idque ipsum Concilium Nicaenum communi consensu approbavit. Caeterum Francofordienses usi sunt versione Latina Concilii Nicaeni tam corrupta et confusa, ut teste Anastasio Bibliothecario intelligi non posset quid statuerit Nicaenum: unde ipse Anastasius LXX. circiter annis post Francofordiense, aliam eamque meliorem versionem suscepit. II. Errarunt errore facti, quia putarunt Synodum Nicae-

nam habitam fuisse sine consensu Romani Pontificis, ut patet ex Libris Carolinis id asserentibus, atque ex Hincmaro Rhemensi, qui XL. minimum annis post Francofordiense in suo Opere ad Hincmarum Laudunensem Cap. XX. ita scribit: *Septima autem apud Graecos vocata Universalis Pseudo-Synodus de imaginibus, quas quidem confringendas, quidam autem adorandas dicebant: neutra vero pars intellectu sano definiens, sine authoritate Apostolicae Sedis non longe ante nostra tempora CPoli est a quam plurimis Episcopis habita, et Romam missa.* Porro Synodus illa CPoli habita esse dicitur, quia initio CPolim indicta est, ac dein Niceam translata. Neque mirum est, Gallos hanc Romani Pontificis approbationem pluribus annis ignorasse; quamvis enim Hadrianus I. Nicaenam Synodum illico approbaverit, nondum tamen judicio publico declaraverat, eam habendam ut Oecumenicam, nec decreto publico eam confirmaverat, aut per Ecclesias Occidentis promulgari jusserat. Nam Libris Carolinis, quibus oppugnabatur Synodus Nicaena, ita respondit, ut Oecumenici Concilii authoritatem nomenque illis nusquam objiciat. Quare Nicaenam Synodum II. publico decreto confirmatam fuisse primum a Leone III. Hadriani Successore quidam contendunt; alii vero longe serius, temporibus Hadriani II. in Synodo VIII. vel CPolitana IV., idque probant ex eo, quia S. Nicolaus I. in Epistola ad Adonem Viennensem, et in Concilio Romano A. 863. sex tantum Synodos Universales numerat, nulla facta Synodi Nicaenae II. mentione.

CXC. Errarunt etiam Francofordienses errore juris. Galli enim Germanique jam inde a S. Gregorii M. temporibus, retinendas quidem in Templis imagines;

honorandas tamen cultu exteriori, v. g. suffitu, osculis, inclinationibus, quibus religiosi, non tamen latreutici honoris officiis Graeci Orthodoxi, et Itali venerari sacras imagines longo jam tempore consueverant, secundum Francicae Ecclesiae receptum morem non putabant. Cum enim Serenus Massiliensis Episcopus saeculi VII. initio sacras imagines e Templis ejecisset, et confregisset, reprehendit temerarium hoc factum S. Gregorius M. Lib. VII. Epist. CIX. ad eum scribens: *Sua ergo fraternitas et illa servare, et ab eorum adoratu populum prohibere debuit; quatenus et litterarum nescii haberent unde scientiam historiae colligerent, et populus in picturae adoratione minime peccaret.* Haec S. Gregorii verba cum non de cultu latreutico, sed de honorario et respectivo perperam interpretarentur Galliarum Episcopi, neque inter duo haec adorationum genera discrimen facerent, Francofordienses Patres adorationem imaginum a Nicaena II. Synodo laudatam temere rejecerunt, damnantes cultum imaginum religiosum ac respectivum, per suffitum, accensa luminaria, oscula, inclinationes; rati imagines ea tantum de causa retinendas esse in Templis ac domibus, ut Sanctorum memoria conservaretur, et simplices ac illiterati Christiani crudirentur. Hanc fuisse Ecclesiae Gallicanae mentem perspicue dignoscitur ex Jona Aurelianensi, Agobardo Lugdunensi, Walafrido Strabone, aliisque, qui saeculo IX. sub Regibus Carolingicis scripsere. Caeterum Hadrianus ejusque Legati prudentissimo consilio consensere, ut Franci in sua ignoratione, et aliquo modo bona fide permanere sinerentur; praevidentes, si urgeretur Synodi VII. authoritas, ejusque ab Hadriano facta confirmatio, fore ut ex Francorum universae tunc fere

Christianitati dominantium pertinacia Ecclesia Christi foedissima et immedicabili conscissione laceraretur. Verum Germani Gallique, qui Synodo Nicaenae non satis intellectae, et cultui imaginum restiterant, rebus explicatis atque perspectis, eandem Synodum ad finem Saeculi IX. sunt amplexi, sacrasque imagines religiosissime coluerunt. Vide *Cabassutium* in Notitia Ecclesiastica ad Saec. VIII. et *Sigismundum Calles* in Annal. Eccles. Germ. Tomo II. fol. 498. etc.

CXCI. *Dices VI.* In eodem Nicaeno II. Actione V. Joannes Thessalonicensis Episcopus dixit, Angelos posse depingi, quia corporei sunt, ut plures ex Patribus tradiderunt. II. Canone I. antiqui confirmantur Canones, et priorum Conciliorum, quorum tamen aliqui fuerant reprobati a Pontificibus, ut II. CPolitani I. et XXVIII. Chalcedonensis, Canones Trullani etc. R. Nicaenum approbavit sententiam Joannis Thessalonicensis, sed non rationem. Immo Tharasius Patriarcha CPolitanus, omisso errore de substantia corporea Angelorum, dixit: *Ostendit Pater* (Joannes Episcopus) *quod et Angelos pingere oporteat, quando circumscribi possunt, et ut homines apparuerunt.* Ad quae respondit Concilium: *Etiam Domine.* Quin ipsum Concilium Actione IV. diserte vocat Angelos *incorporeos.* Ad II. R. ab Hadriano approbata fuisse Acta Concilii, quibus Iconoclastarum haeresis profligatur, non autem Canones, qui sub finem Concilii a Patribus conditi sunt.

CXCII. *Dices VII.* Concilium Oecumenicum *CPolitanum IV.* statuit Canone IV. Ordinationes et consecrationes a Photio intruso et invasore factas, irritas esse, et ipsummet invasorem nusquam vere Episcopum fuisse declarat. Ipse Hadrianus II. Epistola ad S. Igna-

tium Patriarcham CPolitanum, Photium, et ordinatos a Photio, ab Episcoporum numero et dignitate excludit, scribens: *Quia Photius, vir forensis, curialis, neophytus, invasor atque adulter, nec non et anathemate condemnatus existens nihil habuit, nihil dedit, nisi forte damnationem habuit, quam se sequentibus propinaverit.* Ergo CPolitanum IV. erravit. R. C. A. N. C. Concilium et Pontifex non negant, Ordinationem ipsius Photii, aut eas a Photio factas, fuisse validas; qui enim Photium ordinaverat Gregorius Syracusanus, quamvis esset depositus et anathematizatus, verus erat Episcopus, atque ipse Photius valide erat ordinatus: sed dicunt Ordinationes illas fuisse illicitas, sive Photium et Gregorium non habuisse legitimum usum potestatis Episcopalis. Hinc Joannes VIII. Papa post mortem S. Ignatii restituens Photium, eum absque nova Ordinatione restituit, quia priorem, quamvis illicitam et illegitimam, ut validam tamen agnovit. Neque dicas CPolitanum IV. Oecumenicum abrogatum fuisse a Synodo CCCLXXX. Episcoporum, quam CPoli habuit Photius A. 879. Haec enim ultima Synodus fuit schismatica, a Marino Papa damnata.

CXCIII. *Dices VIII. Constantiense* definivit fidem haereticis datam servandam non esse, et salvo conductu non obstante cremari jussit Joannem Hus, et Hieronymum Pragensem. R. N. A. Constantiense Sess. XIX. decrevit tantum, Ecclesiasticam potestatem non ligari ac prohiberi salvo conductu a potestate saeculari haereticis concesso, quominus officium suum exerceat, id est, reum circa haeresin, aliaque crimina ad forum suum pertinentia examinet, eumque legitimis testimoniis et documentis convictum secundum Canones judicet: quod

omnino juri et rationi consentaneum est. Potestates enim diversi ordinis, quarum quaelibet in suo ordine suprema est, et ab altera independens, immo una excellentior altera, sese mutuo prohibere non possunt ab actibus suis legitime exercendis. Quod vero Constantiense fidem datam violaverit, omnino falsum est. Hussius enim salvum conductum a solo Imperatore Sigismundo petiit, et obtinuit, ut ipse saepius testatus est in suis Epistolis scribens: *Veni Constantiam sine salvo conductu Papae.* Praeterea salvi conductus Caesarei leges violavit: cum enim promisisset, se ex animo emendaturum, siquid in se erroris esse probaretur; nihilominus in tuendo errore fuit pertinax, Constantiae in contemptum potestatis Ecclesiasticae saepius Missas celebravit, licet ob pertinaciam in errore sacris interdictus: fugam arripuit contra jus omne, contra Imperatoris jussionem; ac proinde in fuga deprehensus salvo conductu gaudere non debuit. Hieronymo Pragensi datus quidem fuit etiam a Concilio salvus conductus, sed ob nova crimina illo excidit. Posteaquam enim sententiam in Hussium latam approbaverat, erroresque suos abjurarat, rediit ad vomitum, et in contemptum Concilii Joannem Hus Sanctissimum Martyrem praedicavit; atque idcirco potestati saeculari traditus, flammis addictus est. Vide *Natalem Alexandrum* Tomo IX. Hist. Eccl. Dissert. VII.,

CONTROVERSIA IV.

AN CORPUS PASTORUM CUM ROMANO PONTIFICE CONSENTIENTIUM, ETIAM EXTRA CONCILIUM OECUMENICUM SIT INFALLIBILE: ET QUALIS CONSENSUS EPISCOPORUM REQUIRATUR, UT JUDICIUM ROMANI PONTIFICIS JUXTA OMNES CATHOLICOS SIT INFALLIBILE, ET FINALE?

Contra Protestantes et Jansenianos.

CXCIV.

Conclusio I. Corpus Pastorum cum Romano Pontifice consentientium, etiam extra Concilium Oecumenicum, est infallibile in materia fidei et morum. Prob. I. Ecclesia Christi est infallibilis in materia fidei et morum, ut ostendimus Num. CLII. Ergo etiam corpus Pastorum cum Romano Pontifice consentientium, quia universam repraesentat Ecclesiam, est infallibile. P. C. Datur obligatio sequendi doctrinam Corporis Pastoralis, juxta illud Lucae X. *Qui vos audit, me audit.* Ergo si Corpus Pastorum posset errare, tota Ecclesia errori foret obnoxia, sicque promissionibus divinis veritas non constaret. *Confirm.* Pastores in Concilio Oecumenico congregati, et Romano Pontifici consentientes, sunt infallibiles in materia fidei et morum, ut priori Controversia ostendimus. Ergo cum infallibilitatem et inerrantiam non obtineant a loco in quo congregantur, infallibiles etiam sunt extra Concilium. Prob. II.

Si Ecclesia in Conciliis tantum Oecumenicis congregata foret infallibilis, Christus non sufficienter providisset suae Ecclesiae. Atqui id dici nequit. Ergo. P. M. Concilia Oecumenica difficillime congregari possunt, ut ipsa nos docet experientia, cum jam a CC. annis, post Tridentinum, nullum celebratum fuerit Concilium Oecumenicum, licet interea temporis variae haereses exortae fuerint. Prob. III. Authoritate Patrum, qui non ad Concilia Oecumenica, sed ad Ecclesias Apostolicas, praecipue vero ad Romanam recurrendum esse docent, ut vera fidei regula dignoscatur. Ita *S. Irenaeus* Lib. I. adv. Haer. Cap. X. item Lib. III. Cap. II. et Lib. IV. Cap. XXVI. *Tertullianus* Lib. de Praescriptionibus, Cap. XX. XXI. XXVIII. aliique.

CXCV. Assertioni nostrae manifeste suffragatur antiquissima Ecclesiae praxis. Ut enim observat *S. Augustinus* Lib. IV. ad Bonifacium, Cap. ult. adversus Pelagianos, qui a Zosimo Papa damnati Concilium Oecumenicum convocari postulabant: *Quasi nulla haeresis aliquando sine Synodi congregatione damnata sit: cum potius rarissimae inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit; multaque sint atque incomparabiliter plures, quae ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per caeteras terras devitandae innotescere potuerunt.* Eusebius antiquissimus scriptor in historia sua Ecclesiastica complures haereses enumerat, Menandri, Ebionis, Cerinthi, Nicolaitarum, Saturnini, Basilidis, Carpocratis, Valentini, Cerdonis, Marcionis, Marci, ab Ecclesia repressas, nulla facta Conciliorum mentione. Pelagiani, antequam damnarentur ab Ephesina Synodo, habebantur ut haeretici, teste Augustino, quin eorum errores tum

ab Africanis Episcopis, tum praecipue ab Innocentio et Zosimo fuerant confossi. Semipelagiani, Jovinianistae, Vigilantiani, Helvidiani, Berengarius, Tanckelinus etc. a nulla Generali Synodo damnati sunt; nihilo tamen minus eos tanquam haereticos Ecclesia Dei est execrata. Idem dicendum de haeretica Molinosii et Jansenii Iprensis doctrina.

CXCVI. *Conclusio II.* Extra Concilium Oecumenicum Romanus Pontifex, saltem cum Episcoporum toto orbe dispersorum pluralitate ei consentiente, infallibile exercet et finale judicium in causis fidei et morum. Prob. I. Romanus Pontifex in Concilio Oecumenico, cum Episcoporum ibi praesentium pluralitas ei consentit, est infallibilis Judex in causis fidei et morum. Ergo etiam infallibilis est Judex extra Concilium, si ei pluralitas Episcoporum consentiat. Antecedens est certum; neque enim dici potest Nicaenum Concilium, Ephesinum, Chalcedonense, CPolitanum III. infallibilem non habuisse authoritatem, eoquod pauci quidam Ariani Episcopi cum Eusebio, Nestoriani cum Pelagianis, Dioscorus cum Eutychianis, Macarius Antiochenus cum Monothelitis etc. Patrum sententiae ac decretis subscribere proterve recusarint. Itaque P. C. Ideo in Oecumenico Concilio Romanus Pontifex, si pluralitas Episcoporum ei consentiat, judicium exercet infallibile, quia ibi repraesentatur Ecclesia, cui Christus inerrantiam promisit. Atqui eadem ratio pugnat etiam extra Concilium. Ergo. P. M. Haeretici damnati a Pontifice et Episcopis extra Concilium Oecumenicum, simpliciter dicuntur damnati ab Ecclesia; ut patet exemplo haereticorum, qui a Simone Mago ad Arium usque errores suos disseminarunt. Ergo pluralitas Epi-

scoporum, etiam extra Concilium Oecumenicum Romano Pontifici consentiens, repraesentat Ecclesiam. *Confirm.* In omni tribunali sententia, quae ex majori suffragiorum numero pronuntiatur, est regula nostrae obedientiae. Ergo etiam sententia, quam plures Episcopi cum Romano Pontifice extra Concilium ferunt, est regula nostrae fidei.

CXCVII. Prob. II. Ubi est Ecclesia, ibi est veritas. Atqui ubi est pluralitas Episcoporum cum suo Capite, ibi est Ecclesia. Ergo. P. m. Non potest dici, quod Ecclesia sit penes paucos Episcopos acephalos: neque ulla datur ratio dicendi, quod Christus proposita pluralitate, paucis adsit Episcopis. Ergo. Prob. III. ex praxi Ecclesiae, quae pro haereticis semper habuit damnatos a Pontifice Romano et pluralitate Episcoporum, ut patet exemplo Pelagianorum, qui post damnationem a Zosimo factam approbantibus Episcopis Italiae et Africae, ab universo orbe pro haereticis agniti sunt, quamvis illi octodecim haberent Episcopos erroris sui sectatores.

CXCVIII. Prob. IV. Auctoritate Patrum, qui haereticis sui temporis novitatem et paucitatem objecerunt, tanquam certum erroris argumentum; atque judicio Summi Pontificis, et pluralitatis Episcoporum standum esse docuerunt. S. Pacianus Epist. II. ad Sympronianum: *Ecclesia plenum est corpus et solidum, toto orbe diffusum. Sicut civitas, cujus partes in unum, non, ut vos estis, Novitiani, quaedam insolens portiuncula tuberque collectum, et a reliquo corpore separatum.* S. Basilius Epist. LXXIV ad Caesarienses: *Fuerat autem justius res nostras aestimare non ex uno aut altero eorum, qui ad veritatem haud recto pede in-*

grediuntur, sed ex multitudine totius orbis Episcoporum; qui gratia Christi conjuncti nobis sunt. S. Hieronymus in Dial. adv. Luciferianos: *Si Ecclesiam non habet Christus, aut si in Sardinia tantum habet, nimium pauper factus est.* S. Innocentius I. Epist. IV. ad Felicem Nucerinum: *Mirari non possumus, dilectionem tuam sequi instituta majorum: omniaque, quae possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos, quasi ad caput atque ad apicem Episcopatus referre: ut consulta videlicet Sedes Apostolica, ex ipsis rebus dubiis, certum aliquid faciendum pronuntiet.* Ephesini Patres Actione V. ajunt: *Perabsurdum est, ducentorum et decem Sanctorum Episcoporum Synodo, quibus et universa Occidentalium Sanctorum Episcoporum multitudo, et per ipsos reliquus totus terrarum orbis consentit, triginta tantum numero se se opponere.* Concilium Generale V. seu CPolitanum II. Collatione VI. observat, *in Conciliis non unius vel alterius interlocutionem attendi oportere, sed haec, quae communiter ab omnibus vel pluribus definiuntur.* Ferrandus Diaconus in Epistola ad Severum Scholasticum scribit: *Nos discere parati sumus, docere alios non praesumimus. Interroga igitur, si quid veritatis cupis audire, principaliter Apostolicae Sedis Antistitem, cujus sana doctrina constat judicio veritatis, et fulcitur munimine auctoritatis. Interroga plurimos per diversa loca terrarum Pontifices.*

CXCIX. *Conclusio III.* Ut infallibile sit judicium Pontificis extra Concilium in causis fidei et morum, non requiritur expressus consensus pluralitatis Episcoporum, subscribendo, mandata pubblicando, vel suffragium suum litteris exprimendo; sed sufficit, si plu-

ralitas Episcoporum tacite consentiat, contra illud non reclamando. II. et III. Conclusioni refragantur potissimum Janseniani, qui, ne errores suos ab universali Ecclesia proscriptos fuisse fateantur, Constitutiones Innocentii X. Alexandri VII, et Clementis XI, a quibus damnati sunt, rejiciunt, ajuntque Judicium Rom. Pontificis decretorium non esse atque irreformabile, quia Constitutiones illae extra Galliam vix alibi promulgatae, et expresso ac publico instrumento receptae fuerunt: neque sufficere tacitum Episcoporum consensum, ut Papae judicium dicatur infallibile.

CC. Probatur Conclusio. Ecclesia Christi est infallibilis. Ergo fieri non potest, ut major pars Episcoporum non reclamet adversus errorem, qui publico judicio Ecclesiastico a Romano Pontifice fidelibus credendus proponeretur, si quidem is errare posset in materia fidei et morum,. quod Articulo III. discutiemus. P. C. Si major pars Episcoporum, qui per orbem dispersi sunt, non reclamaret contra erroneam definitionem Pontificis, hoc suo silentio illam approbare censeretur. Atqui fieri non potest, ut Ecclesia errorem cognitam silentio suo approbet. Ergo. P. m. ex *S. Augustino*, qui Epist. LV. alias CXIX. ad Januarium, Cap. XIX. scribit: *Ecclesia Dei ea quae sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.* Et ex *S. Coelestino* Epist. ad Episcopos Galliarum adversus Massilienses. *Timeo, ne connivere sit hoc tacere.--- In talibus causis non caret suspicione taciturnitas; quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Merito namque causa nos respicit, si silentio faveamus errori. Ergo corripiantur hujusmodi. Non sit his liberum habere pro voluntate sermonem. Confirm.* Episcopi Catholici

tum inter se, tum cum capite suo Romano Pontifice sacro vinculo colligantur in ejusdem fidei, et doctrinae Catholicae professione. Ergo si non reclamant, merito approbare praesumuntur, quod fuerit a Romano Pontifice vel ab aliis pluribus Episcopis de fide vel moribus sancitum; praecipue cum omnes Episcopi sub gravis peccati reatu teneantur arcere, quantum possunt, omnem errorem fidei aut moribus contrarium ab Ecclesia Dei, in qua positi sunt Pastores a Spiritu Sancto.

OBJECTIONES.

CCI. *Objicitur I.* contra II. Conclusionem, Concilium *Ariminense*. Pluralitas Episcoporum potest errare. Ergo illius judicium non est infallibile. P. A. Anno 359. habita est Arimini in Italia Synodus Episcoporum Occidentalium facile CCCC, eodemque tempore Seleuciae in Oriente Episcoporum Orientalium facile CLX, qui in Arianam haeresim lapsi sunt. Ergo pluralitas Episcoporum actu erravit. R. N. A. Ad *probat.* R. I. Nos in conclusione nostra non loquimur de sola pluralitate; sed de pluralitate Episcoporum conjuncta, et consentiente Romano Pontifici tanquam suo Capiti. Quamvis autem adversariis daretur, Liberium Pontificem subscripsisse formulae Sirmiensi, atque Athanasium condemnasse, quod Articulo III. negabimus, quando sermo erit de praetensis Romanorum Pontificum erroribus; certum tamen est, tempore Concilii Ariminensis, quo Liberius ab exilio jam redierat, eumdem Nicaenae fidei strenuum fuisse propugnatorem, eaque, quae Arimini perperam gesta erant, sine mora reprobasse, atque Episcopos, qui dolo inducti Ariminensi formulae subscripse-

rant, ad palinodiam coegisse, imperata illis Nicaenae formulae subscriptione.

CCII. R. II. Episcopos Ariminenses in Arianam haeresin lapsos non fuisses. Nullam fraudem suspicati subscripserunt illi fidei professioni, quae spectatis solis verbis, quibus conscripta erat, nihil nisi Orthodoxum continebat, cum Authores hujus formulae Valens et Ursacius in ea profiterentur, *credere se in unigenitum Filium Dei, qui ante omnia saecula, et ante omne principium natus est ex Deo. Natum autem Unigenitum solum ex solo Patre, Deum ex Deo, similem genitori suo Patri secundum Scripturas.* Consenserunt suppressioni vocum *Substantiae*, et *Consubstantialis*, quia existimabant fidem aliunde in tuto esse, nec vocabula ista, quae in Scripturis non exstant, ad fidem conservandam absolute esse necessaria, aut propterea differendam esse unionem Occidentalis Ecclesiae cum Orientali. Qua in re improvide quidem egerunt, at in haeresin lapsi non sunt. Quam primum vero illis innotuit deceptos se fuisse a Valente et Ursacio, qui in sua professione fidei per τὸ *similem Genitori suo Patri*, non naturalem, sed accidentalem tantum aliquam similitudinem intelligebant, Filiumque Deum nominaverunt, subintelligendo non vere ac natura, sed nuncupative tantum: ac triumphum ab Arianis agi, quod dicerent Occidentis Episcopos erroribus suis consentire, tum enim vero, ut S. Hieronymus scribit in Dial. adv. Luciferianos, *concurrebant Episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia haeretici ferebantur, contestantes corpus Domini, et quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos. Putavimus, ajebant, sensum congruere cum verbis; nec in Ecclesia Dei, ubi*

simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio. Non sumus arbitrati Sacerdotes Christi adversus Christum pugnare. Multaque alia, quae brevitatis studio praetereo, flentes asserebant, parati et subscriptionem pristinam, et omnes Arianorum blasphemias condemnare. Ex quo colliges quo sensu intelligenda sint decantata illa Hieronymi verba in eodem Dial. *Ingemuit totus orbis, et Arianum se esse miratus est.* Quia nimirum plurimi Episcopi, praeter mentem, voluntatem ac conscientiam suam, errori Ariano verbis fallentibus involuto subscripserant, ideoque ab Arianis, licet perperam, Nicaeno adversari dicebantur.

CCIII. R. III. Quamvis adversariis daremus, DC. illos Episcopos in Ariminensi et Seleuciensi Synodo congregatos in Arianam haeresin lapsos esse, ii tamen numero longe inferiores erant aliis Episcopis tunc temporis per orbem dispersis: adeoque inferri legitime nequit, pluralitatem Episcoporum aliquando in causa fidei errasse. Prob. Temporibus S. Augustini in sola Africa, quae pars erat Ecclesiae Occidentalis, Sedes Episcopales Catholicorum CCCCLXXXVI. numerabantur, Donatistarum vero CCLXXIX., ut constat ex Breviculo Collationis cum Donatistis in collatione primae diei apud S. Augustinum, Cap. XIV. Idem S. Doctor Lib. III. contra Cresconium, Cap. III. de causa rebaptizantium loquens, scribit: *Proinde si omnino jam credendum sit quinquaginta Episcopis Orientalium id esse visum, quod septuaginta Afris vel aliquanto etiam pluribus, contra tot millia Episcoporum, quibus hic error in toto orbe displicuit.* Ergo temporibus Stephani

stare septuaginta circiter Episcopos Africanos, et Firmilianum cum quinquaginta Asiae Episcopis Synadae et Iconii congregatis, restitit tamen solemni decreto Stephani Rom. Pontificis. Ergo non putavit Pontificem cum pluralitate Episcoporum ei consentientium esse infallibilem Judicem. R. N. C. Cyprianus existimabat controversiam illam de Baptismo haereticorum non pertinere ad fidem, sed ad disciplinam. Id probatur ex Epistola Cypriani et Synodi Africanae ad Stephanum, in qua dicitur: *Nos vim cuiquam non facimus, aut legem damus, cum habeat in Ecclesiae administratione voluntatis suae arbitrium liberum unusquisque Praepositus, rationem actus sui Domino redditurus.* Quis autem dicat, quod in rebus ad fidem pertinentibus Praepositi liberam habeant administrationem? Firmilianus Epistola ad Cyprianum, inter Cyprianicas LXXV. consuetudinem illam ad Ecclesiae disciplinam refert, atque in utramque partem aequo jure et salva fide sustineri posse affirmat. *Scire quis etiam potest, quod circa celebrandos dies Paschae, et circa multa alia divinae rei Sacramenta, videat esse apud illos* (Romanos) *aliquas diversitates, nec observari illic omnia aequaliter, quae Jerosolymis observantur, secundum quod in caeteris quoque plurimis provinciis multa, pro locorum et hominum diversitate variantur: nec tamen propter hoc ab Ecclesiae Catholicae pace atque unitate aliquando discessum est.* Fas ergo sibi esse putavit Cyprianus in re, quam ad disciplinam pertinere putabat, non ad fidem, recedere a sententia Stephani, et pluralitatis Episcoporum; quamvis hac in re erraverit, prout rei eventus et Ecclesiae authoritas ostendit, quae postea Cypriani sententiam tanquam fidei contrariam proscripsit. Ne-

que commendandus idcirco est Cyprianus, humani aliquid hic passus. Optime de illo scribit *S. Augustinus* Epist. CVIII. ad Macrobium, hanc Cypriani culpam Martyrii falce fuisse repurgatam; hoc peccatum quasi naevumSanctae illius animae, quam ubera charitatis tegebant.

CCV. Illud praeterea falsum est, quod Stephanus solemne Decretum ediderit, aut ex Cathedra definiverit in illa causa ut certa fide tenendum, Cypriani opinionem ut haereticam proscripserit. Datis equidem ad Cyprianum litteris praecepit, quoad haereticos qui resipiscunt, et ad Ecclesiam redeunt, nihil novandum esse, sed quod traditum erat, retinendum, ut manus illis tantum imponantur ad poenitentiam: parere recusanti merito graviter succensuit Stephanus, nullasque pacificas amplius scripsit litteras, immo Legatos ejus in domum et conspectum non admisit, anathema etiam interminatus: intra minas tamen res stetit; scribit enim *S. Augustinus* Lib. V. de Bapt. contra Donatistas, Cap. XXV. eos unitate et vinculo pacis permansisse, vincente pace Christi in cordibus eorum, ut nullum inter eos Schismatis malum oriretur. Et quamvis Cyprianus in suis ad diversos Episcopos Epistolis vehementius in S. Stephanum fuerit invectus, semper tamen, etiam in trino suo Concilio Carthagine habito est contestatus, se propter illam dissensionem, pacem et unitatem cum Stephano nolle abrumpere.

CCVI. *Objicitur III.* Causa *Quartodecimanorum.* In Causa celebrationis Paschatis Polycrates Ephesinus cum Episcopis Asiae minoris, quamvis sciret pluralitatem Episcoporum cum Romano Pontifice decrevisse, Pascha celebrandum esse a Christianis die Dominica sequente decimam quartam Lunam, in sua tamen persti-

tit sententia ; coactoque Ephesi Episcoporum Asiae minoris Concilio statuit, Pascha celebrandum esse cum Judaeis semper decima quarta Luna, sive in diem Dominicam incidat, vel in aliam feriam : atque ideo anathemate perculsus est a Victore Papa, ut referunt *Eusebius* Lib. V. Hist. Eccles. Cap. XXIV. *Epiphanius* Haer. LXX, quae est Audianorum. *Socrates* Lib. V. Hist. Eccles. Cap. XXI, et *S. Nicolaus I.* in Epist. IX. ad Michaelem Imperatorem. Ergo judicarúnt Episcopi Asiae minoris pluritatem Episcoporum Romano Pontifici consentientem non esse judicem infallibilem in materia fidei. P. C. Controversia illa versabatur circa materiam fidei : nam *S. Augustinus* Lib. de Haeres. Cap. XXIX. *S. Epiphanius* Haer. L. et *Theodoretus* Lib. III. Haeret. Fab. Cap. IV. Quartodecimanos inter haereticos recensent. R. C. A. N. C. Ad. *probat*. N. A. Quartodecimani inter haereticos a Patribus numerati sunt, non quia Luna XIV. Pascha celebrabant, quod ad disciplinam magis quam ad fidem pertinet; sed quia contra Nicaenae Synodi Decretum consuetudinem suam pertinaciter propugnabant, Ecclesiae morem gerere nolentes : ideoque praesumebantur ab Ecclesia contemnere potestatem Ecclesiasticam, ac Nazaraeorum haeresin clam profiteri, qui Legis Mosaicae observantiam cum Evangelio conjungebant. Unde S. Epiphanius Haer. L. de illis ita scribit : *Qui caeteris in rebus cum Ecclesia consentientes, hoc ipso ab omnibus aberrant, quod non illius institutis doctrinaeque consentanea quaedam amplexi sunt. Nam et Judaicis insuper fabulis inhaerent*. Profecto si consuetudo celebrandi Pascha cum Judaeis Luna XIV. de se foret haeretica, S. Anicetus Papa communionem cum S. Polycarpo abrupisset, eoquod persuadere ei non po-

tuerit, ut morem Asiaticum celebrandi Pascha rejiceret: neque S. Irenaeus dehortatus fuisset Victorem a ferendo in Asiaticos anathemate.

CCVII. *Objicitur IV.* Causa *Trium Capitulorum.* Episcopi Istriae et Venetiarum, quamvis scirent pluralitatem Episcoporum consensisse Vigilio, et Pelagio Romanis Pontificibus, damnata Synodo V. approbarunt tria Capitula in Aquilejensi Concilio A. 553. in Gradensi A. 579. in Maranensi A. 589. Ergo non agnoverunt infallibitatem pluralitatis Episcoporum Romano Pontifici consentientium. R. I. Argumentum hoc nimis probare, quia ex eo sequeretur, Concilia etiam Occumenica, in quibus major pars Episcoporum Romano Pontifici consentit, errori esse obnoxia; quod Janseniani nondum audent palam asserere. R. II. quaecunque fuerit demum Schismaticorum opinio, illa sententiae nostrae non praejudicat: sicut Conciliis Oecumenicis nullum creatur praejudicium ex eo, quod ab haereticis rejiciantur. Illud certum est, Schismaticos Istriae et Venetiarum Episcopos errasse, eosque veritate magis eliquata, ac deposita pertinacia, priorem opinionem retractasse. Vide dicta Núm. CLXXXVI.

CCVIII. *Objicitur V.* Authoritas S. Augustini, qui Lib. II. de Bapt. contra Donatistas, Cap. IV. scribit: *Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere* (non repetendum esse Baptismum ab haereticis collatum) *nisi universae Ecclesiae concordissima authoritate firmati: cui et ipse* (Cyprianus) *sine dubio cederet, si jam illo tempore quaestionis hujus veritas eliquata et declarata per plenarium Concilium solidaretur.* Ergo S. Augustinus judicat pluralitatem Episcoporum non sufficere, sed requiri unanimitatem, seu concordissi-

mam authoritatem. II. Idem de unico Baptismo contra Petillianum, Cap. XIV. de Stephano et Cypriano scribit: *Multi cum illo, quidam cum isto etiam sentiebant, utrique cum eis in unitate consistentes.* Ergo non est necesse adhaerere sententiae pluralitatis Episcoporum cum Papa consentientium. R. ad I. C. A. N. C. Etiam pluralitas Episcoporum Romano Pontifici consentientium dici potest concordissima authoritas, cui non praejudicat obstinata aliquot Episcoporum pertinacia; alias ipse S. Augustinus, post damnationem Pelagii ab Innocentio et a Zosimo factam, neutiquam scripsisset causam esse finitam, quamvis sciret XVIII. Episcopos Pelagianos a Papa ad Concilium appellasse. Ad II. C. A. D. C. In controversiis dubiis, obscuris, nondum publico Ecclesiae judicio decisis, qualis est quaestio illa tempore Cypriani, potest id fieri salva fide, C. C. in rebus publico judicio Ecclesiae decisis, N. C.

CCIX. *Objicitur VI.* Sequela. Si pluralitas Episcoporum consentiens Romano Pontifici esset infallibilis, definitio ab ipsis facta esset regula fidei. Atqui hoc est falsum. Ergo. P. m. Constitutio *Unigenitus*, a *Clemente XI.* promulgata, recepta fuit ab omnibus ferme Episcopis, versaturque circa materiam fidei et tamen plures Episcopi in Galliis negant eam esse regulam fidei simpliciter; sed eam acceptant tanquam legem Ecclesiae, et status. R. quaestionem hic fieri de nomine. Si per regulam fidei intelligatur articulus fidei in Concilio Oecumenico ab Ecclesia decisus, et insertus Symbolo, seu publicae professioni fidei, Bulla *Unigenitus* dici non potest regula fidei, hoc ipso quod extra Concilium a Clemente XI. condita, et partim expresso, partim tacito Episcoporum consensu approbata

sit. Si vero per regulam fidei intelligatur quodcunque dogma, judicio Doctorum et Episcoporum approbatum, et clare decisum, cui sine aeterna salutis et verae fidei dispendio nemini refragari liceat, Bulla *Unigenitus* in hoc sensu est regula fidei, et ut talis ab omnibus Catholicis, atque etiam ab Episcopis Galliarum agnoscitur.

CCX. *Objicitur VII.* contra III. Conclusionem, Ratio. Ex una parte explicari nequit, quomodo constet ex tacito illo Episcoporum consensu, definitiones a Pontifice factas infallibilem habere authoritatem: ex altera parte multae dari possunt rationes, cur Episcopi sileant; quidam enim silere possunt ob negligentiam, quidam metu Inquisitionis, alii spe obtinendae gratiae a Pontifice, alii ex praeconcepta infallibilitatis Pontificiae opinione. Ergo ex tacito consensu Episcoporum nihil probatur. R. N. I. partem Anteced. Notae, quibus certo constat ex silentio Episcoporum definitiones Apostolicas (praescindimus enim hic, an Pontifex se solo sit infallibilis, suo loco id probaturi) authoritatem infallibilem habere, sunt I. Si a lata definitione sufficiens tempus effluxerit, ut praesumi merito possit, eam ad Episcoporum notitiam pervenisse: tempus vero aestimandum est ex locorum distantia. II. Si Decretum Pontificium fidem aut mores respiciat, non vero causas privatas et politiam; atque ad omnes fideles tanquam norma et regula ad observandum, vel credendum dirigatur. Si enim erronea quaedam definitio, aut prava doctrina bonis moribus contraria a Pontifice publico decreto proponeretur, Episcopi vi officii sui tenerentur reclamare, et haud dubie reclamarent: si igitur taceant, hoc ipso approbant. Ad alteram Anteced. partem R. I. easdem rationes aeque pugnare contra consensum expres-

sum Episcoporum etiam in ipsis Conciliis Oecumenicis, sicque ipsa Ecclesia in Conciliis Oecumenicis congregata ab hac crisi temeraria non foret tuta. Quomodo enim indagari poterunt motiva cujuslibet Episcopi, quibus movebatur ad consensum, et subscriptionem? Quomodo erimus certi, quod major pars Episcoporum Concilii Decretis non subscripserit ex praeconcepta Pontificiae infallibilitatis opinione, ex metu gravis incommodi etc. R. H. O. A. N. C. Quaecunque tandem fingi aut excogitari possint hujus silentii causae, semper tamen hoc ratum stabit, Spiritum veritatis nunquam permissurum esse, ut aliquem in fide aut moribus errorem Ecclesia quoquo modo approbet; quia Christus promisit, portas inferi adversus eam non esse praevalituras: ideoque nec praevalebunt illae per violentiam, nec per negligentiam, nec per seductionem. Jesus Christus est cum Corpore Pastorum: ipse est Sapientia Patris simul et Veritas aeterna. Itaque cum ipsis est etiam in quantum est Sapientia, providendo ipsis de mediis securis cognoscendi ea quae docuit: et simul etiam cum ipsis est, in quantum est Veritas, impediendo ne errent.

CCXI. *Dices.* Etiamsi pluralitas Episcoporum cum Romano Pontifice erraret, non tamen idcirco erraret tota Ecclesia, quia pars minor Episcoporum veritatem in tali casu defenderet. Ergo ex promissionibus Christi assertio nostra non probatur. R. N. A. Pluralitas Episcoporum Pontifici consentiens sufficienter exprimit Ecclesiam, quam nullo modo exhibet pars minor Episcoporum Capiti suo Romano Pontifici non unita; Ecclesia enim Christi sine Capite visibili esse nequit, aut sufficienter exprimi.

CCXII. *Objicitur VIII.* Paritas. Ex hoc quod

Ecclesia, vel Episcopi librum authoris recentioris non condemnet, minime sequitur, doctrinam illam ab Ecclesia, vel ab Episcopis approbari, ut liquet ex propositione XXVII. inter damnatas ab *Alexandro VII.* Ergo etiam ex eo, quod Episcopi non contradicant definitioni Pontificiae, non sequitur eos tacite consentire. R. C. A. N. C. Ecclesia non tenetur singulos qui in dies prodeunt, recentiorum libros excutere, errores que eorum, si qui sunt, damnare, ex quibus nullum vel scandalum vel periculum timetur. Contra vero Ecclesia teneretur per Pastores suos reclamare contra erroneam Pontificis constitutionem publicam, et omnibus notam, quae tanquam fidei aut morum regula fidelibus proponitur: Siquidem Ecclesia vi promissionum Christi errare nequit; tacendo autem erraret, quia tacite approbaret errorem.

CONTROVERSIA V.

AN ECCLESIA SIT INFALLIBILIS IN DEFINIENDA ORTHODOXIA VEL HETERODOXIA PROPOSITIONUM, RELATE AD SENSUM AUTHORIS?

Contra Jansenianos.

CCXIII.

Praesens controversia in Galliis potissimum priori saeculo agitari coepta est occasione haeresis Jansenianae. Cum enim *Alexander VII.* A. 1656. Constitutionem Apostolicam edidisset, in qua declarat ac definit, quinque propositiones ex libro Cornelii Jansenii Iprensis, cui titulus *Augustinus*, exceptas, ac in sensu ab eo-

dem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse: Janseniani, ne cogerentur a doctrina Magistri sui recedere, aut doctrinam Ecclesiae proterve rejicere viderentur, varia excogitarunt effugia, quibus imperitis fucum facerent. Quae inter illud erat potissimum, quaestionem facti esse, quo sensu damnatae sint ab *Innocentio X.* propositiones Jansenii, in quo decidendo minime infallibilis sit Ecclesia.

CCXIV. Ad intelligendam futilem hanc Jansenianorum replicam, notandum est duo dari factorum genera. Alia sunt pura facta, cum jure nullo modo connexa, ut v. g. An revera ipse Jansenius librum conscripserit, cui titulus *Augustinus.* An revera Jansenius talem in mente sensum habuerit, qualem praeseferunt verba, quibus utitur. Alia sunt facta dogmatica, seu connexa cum jure, ita ut ex illorum negatione sequatur negatio juris seu dogmatis, v. g. cum quaeritur, an doctrina Nestorii circa Mysterium Incarnationis sit haeretica: An doctrina Jansenii in quinque famosis propositionibus expressa, sit haeretica: An haec Scriptura, quam Ecclesia nobis proponit, sit genuinum Dei Verbum: An Concilium Tridentinum sit Oecumenicum ac legitimum. Si enim haec negaveris, manifeste sequitur, neque ex Scripturis, neque ex Tridentino decretorium posse argumentum peti ad confirmanda fidei nostrae dogmata, posseque Nestorii ac Jansenii doctrinam adoptari absque violatae fidei crimine. Catholici Ecclesiam in quaestionibus meri facti historici et personalis fallibilem esse concedunt, cum de illo non nisi ex humanis testimoniis constare queat: eandem vero in quaestionibus facti dogmatici, seu connexi cum jure, omnino infallibilem esse contendunt.

CCXV. Quando igitur quaeritur, an Ecclesia sit infallibilis in definienda Orthodoxia vel heterodoxia propositionum relate ad sensum authoris, quaestio non est, an infallibile sit judicium Ecclesiae, quo judicat hunc librum esse hujus, vel alterius authoris: vel an necesse sit credere, propositiones, quas Ecclesia in aliquo libro damnavit, totidem verbis aut syllabis expressas in eo legi: aut, an Author damnatus in mente eum sensum habuerit, quem verba praeseferunt. Hae enim sunt quaestiones meri facti, in quibus definiendis nullam Ecclesiae infallibilem authoritatem concedimus, quasque Ecclesia prudenter supponit, non definit, quando de libris judicat. Neque etiam quaestio est de sensu mere externo et litterali alicujus propositionis separatim et in se ipsa spectatae; cum talis propositio dogma contineat, circa quod, fatentibus etiam Jansenianis, Ecclesia errare non potest. Si enim Ecclesia hanc v. g. propositionem Nestorii, *B. Virgo non est Deipara*, tanquam Catholicam approbaret, gravissime in causa fidei erraret. Quaestio igitur versatur in eo, an Ecclesia judicio certo et infallibili statuere possit, sensum unius vel plurium propositionum, prout ille eruitur ex tota doctrina, libro, aut systemate alicujus authoris, v. g. Jansenii vel Quesnelli, verum esse et Orthodoxum, vel contra falsum esse, et heterodoxum.

CCXVI. Ex his, quae modo diximus, patet I. praesentem quaestionem non esse de mero facto, sed de facto connexo cum jure, sive dogmate. Etenim an sensus alicujus propositionis orthodoxus sit, an heterodoxus, ad jus pertinet: an vero Author sensum illum expresserit in suo libro, spectata tota serie, textura ac systemate libri, ad factum refertur. II. Praesentem quae-

stionem esse de facto dogmatico; negato enim facto, quod author, v. g. Nestorius vel Jansenius, spectata tota serie, textura ac systemate sui libri, sensum illum expresserit quem Ecclesia damnavit, negatur etiam quidquam ab Ecclesia definitum fuisse contra Nestorium aut Jansenium; asseriturque Ecclesiam cum phantastico et imaginario hoste depugnasse, eamque vel malignam esse, quod per calumniam v. g. Nestorium aut Jansenium erroris arguat quem illi nunquam defenderint; vel imperitam et stolidam, quod sensum illorum litteralem assecuta non fuerit.

CCXVII. *Conclusio*. Ecclesia est infallibilis in definienda Orthodoxia vel Heterodoxia propositionum, etiam relate ad sensum authoris. Prob. I. Ratione Theologica in Scripturis fundata. Ecclesia est infallibilis in illis rebus, quae ad conservandam veram fidem, et salutem fidelium sunt necessaria, ut Controversia II. III. et IV. ostendimus. Atqui ad haec maxime necessarium est, ut infallibilis sit in ferenda sententia de Orthodoxia vel Heterodoxia propositionum, etiam relate ad sensum authoris. Ergo. P. m. Si Ecclesia in hoc negotio non esset infallibilis, posset Symbolum fidei vel doctrinam haereticam in libro aliquo contentam approbare ut Orthodoxam, vel vicissim, illamque fidelibus credendam proponere. Atqui hoc dici non potest. P. m. Ecclesia, quae est infallibilis in causa fidei et morum, tali modo turpissime erraret in fide, neque infallibiliter sana pascua a venenatis discerneret, sicque manifesta sequeretur fidelium subversio. *Confirm*. Si Ecclesia non esset infallibilis in approbanda vel damnanda doctrina, etiam relate ad sensum authoris, possent libri haeretici disseminari, ac fideles subverti, quin Ecclesia huic

malo mederi posset: omnes enim Pontificiae Bullae, atque Ecclesiae decreta facile eluderentur, dicendo, non hunc esse sensum doctrinae in libris illis contentae, quem ipsis Ecclesia falso affingit.

CCXVIII. Prob. II. Argumento ad hominem. Ipsi Janseniani asserunt Ecclesiam infallibili judicio approbasse doctrinam S. Augustini in materia de Gratia. Ergo si Ecclesia, infallibilis est in definienda Orthodoxia relate ad sensum authoris, infallibilis pariter dicenda est in definienda heterodoxia. II. Ipsi Janseniani fatentur, Ecclesiam esse infallibilem in definienda Orthodoxia vel heterodoxia propositionum secundum se. Ergo etiam infallibilis est in illa definienda, prout propositiones in libro aliquo continentur, et eruuntur ex toto contextu. Ridiculum enim foret, et absque omni fundamento diceretur, continuatam seriem propositionum obesse infallibilitati Ecclesiae. Profecto videtur potius longe certius esse debere judicium Ecclesiae de sensu propositionis in libro contentae, quam separatae: tum quia authoris mens et doctrina longe melius dignosci potest ex tota serie operis, quam ex propositionibus quibusdam separatis et truncatis: tum quia propositio a toto contextu sejuncta, multis aliquando subjacere potest aequivocationibus, quibus in libro locus non est: immo saepius contingit, separatam propositionem falsum habere sensum, quae conjuncta cum caeteris in libro, verum habet et Catholicum. III. Ipsi Janseniani fateri debent, Ecclesiam infallibilem esse in dignoscendo sensu singulorum Patrum, quibus series traditionis ostenditur, dum v. g. post accurate discussa Sanctorum Patrum Opera judicat doctrinam de reali praesentia Christi in Eucharistia contineri v. g. in scri-

ptis S. Ignatii, Irenaei, Ambrosii, Augustini etc. Neque enim Ecclesia judicare potuit, hanc doctrinam ad nos profectam esse etiam ex traditione, nisi prius particulari judicio judicasset, ita Patres illos tradidisse. Ergo si de sana, etiam de perversa doctrina infallibiliter judicat relate ad sensum authoris. *Claudius Pajot* Praeco Calvinianus in Galliis priori saeculo advertit doctrinae consequentiam a Jansenianis negligi; ideoque in celebri concertatione quam habuit cum *Antonio Arnaldo*, authore Libri de perpetua fide Ecclesiae circa realem Christi praesentiam in Eucharistia, ait: *Si tibi Arnalde licet de sensu Jansenii litigare post Ecclesiae definitionem, quid ni licebit nobis de sensu Augustini, Chrysostomi, et aliorum disputare in nostra de reali praesentia disceptatione?*

CCXIX. Prob. III. solidissime ex antiquissima et continua praxi Ecclesiae. Ecclesia semper credidit datam sibi esse a Christo infallibilem authoritatem judicandi de sensu librorum, eamque semper exercuit, ac fideles sub poena anathematis obstrinxit, ut huic judicio acquiescerent. Ergo judicium Ecclesiae de sensu librorum vel propositionum, prout exprimuntur in libris, certum est ac infallibile; alias inique egisset tam gravem poenam infligendo; et judicando se hanc auctoritatem a Christo accepisse, errasset in ipso jure seu dogmate, siquidem revera haec potestas ei a Christo non fuisset collata. P. A. Historiam Ecclesiasticam primorum saeculorum percurrendo.

CCXX. Saeculo IV. *Nicaenum* Concilium facti quaestionem una cum jure conjungens, non solum Arii blasphemias, sed ipsam etiam Arii personam damnavit, licet ille ambiguis verbis errorem suum obvolve-

ret, diceretque, se nihil aliud intendisse, quam Pauli Samosateni et Sabellii errores vitare. *Placuit*, ajunt Nicaeni Patres in Epistola Synodica ad Ecclesiam Alexandrinam apud Socratem Lib. I. Cap. VI. *Concilio communibus suffragiis anathema denuntiare, et ei ipsi, et nefariae ejus opinioni, et verbis sententiisque execrabilibus, quibus usus est ad Filium Dei blasphemiis onerandum.* Idem Socrates Lib. II. testatur, proscriptum pariter fuisse a Nicaenis Patribus Arii librum, quem *Thaliam* inscripserat. Eodem saeculo ad finem vergente Origenis discipuli, ad praecavendam fraudem, errorisque suspicionem, coacti sunt subscribere damnationi errorum et librorum Origenis, ut liquet ex Epistola S. Hieronymi ad Pammachium et Oceanum, qui de illis scribit: *Ad subscriptionem tergiversantur, quaeruntque suffugia. Si quando urgeri coeperint, et aut subscribendum eis fuerit, aut exeundum de Ecclesia, miras strophas videas. Sic verba temperant, sic ordinem vertunt, et ambigua quaecunque concinnant.*

CCXXI. Saeculo V. Pelagius mirus fallendi et dissimulandi artifex, quamquam errorem suum Catholicis in speciem verbis obvelaret, ut patuit in Synodo Diospolitana Episcoporum Palestinae: quamquam aut negaret sua esse, quae ejus nomine circumferebantur scripta, aut contenderet Orthodoxa; compulsus tamen ab Ecclesia fuit, erroneum, quem ipsa in eis detexerat, sensum damnare. Unde S. Innocentius I. in Epistola ad quinque Episcopos, quae inter Augustinianas est CLXXXIII. scribit: *Librum, qui ejus esse diceretur, evolvimus, in quo multa contra Dei gratiam legimus esse conscripta, multa blasphema, nihil quod placeret, et nihil pene quod non penitus displiceret, a*

quovis damnandum, atque calcandum. — — — Anathematizet ergo ista quae sensit. Posteaquam vero Pelagius et Coelestius a Zosimo solemni ac decretorio judicio condemnati sunt, qui vel suspecti erant Pelagiani erroris, vel ad Ecclesiam redibant, subscribere jubebantur non tantum damnationi erroris Pelagii, sed etiam ipsius personae, ut testatur Marius Mercator in suo Commonitorio, Cap. III. *Haec omnia scripta capitula continet illa beatae memoriae Episcopi Zosimi Epistola, quae dicitur tractoria, qua Coelestius Pelagiusque domnati sunt; quae et CPolim, et per totum orbem missa subscriptionibus SS. Patrum est roborata: cui Julianus et reliqui complices ejus subscribere detrectantes — — — non solum Imperialibus legibus, sed et Sacerdotalibus statutis depositi atque exauctorati, ex omni Italia deturbati sunt.* Idem fieri praecipit S. Leo M. Epist. VII. alias LXXXV. ad Septimium: *Saluberrimum est, et Spiritualis medicinae utilitate plenissimum, ut sive Presbyteri, sive Diaconi, sive alii cujuslibet ordinis Clerici, qui se correctos videri volunt, errorem suum, et ipsos erroris auctores damnari a se sine ambiguitate fateantur.*

CCXXII. In *Ephesino* Concilio Actione I. lecto symbolo Nicaeno, lecta pariter fuit prolixa Epistola S. Cyrilli Alexandrini ad Nestorium, et a Patribus quoad omnia approbata. Tum vero lecta fuit etiam Epistola Nestorii ad S. Cyrillum, quam cum Symbolo Nicaeno adversantem invenissent, ab Orthodoxa fide alienam esse declararunt, dixeruntque: *Omnia, quae Epistola haec complectitur, cum fide Nicaena aperte pugnant, suntque ab eadem omnino aliena: quare omnes, qui ita credunt, a recta fide alienos esse judicamus. — — Omnes*

Episcopi simul clamaverunt: Quicunque Nestorium non anathematizat, anathema sit. Omnes Nestorii Epistolam et dogmata anathematizamus, - - impiam fidem Nestorii anathematizamus. Ex quibus hoc efflorescit argumentum. Ephesinum ad dirimendam hanc fidei controversiam Epistolas Cyrilli et Nestorii contulit cum Nicaeno symbolo, et in hac collatione fundavit suam decisionem. Ergo sicut Ephesinum fuit infallibile in decidenda illa fidei controversia, sic etiam infallibile fuit in conferendis textibus dogmaticis Cyrilli et Nestorii cum Symbolo Nicaeno. Ergo fuit infallibile in interpretatione illorum textuum, et in judicanda eorum conformitate, vel difformitate cum regula fidei. Certum praeterea est, atque exploratum Joannem Antiochenum, caeterosque Nestorii defensores, etiam illos, qui personae magis quam errori favere videbantur, non prius ad pacem et communionem admissos fuisse, quam propria manu subscripsissent damnationi, et depositioni Nestorii.

CCXXIII. Eadem infallibilis Ecclesiae authoritas in judicando de textibus dogmaticis, manifeste elucet ex Chalcedonensi Synodo, quae Actione II. Epistolam S. Leonis M. ad Flavianum probavit dicens: *Petrus per Leonem locutus est. Anathema ei qui ita non credit.* Et Act. IV. *Qui non subscribit Epistolae, cui omnis Synodus consensit, haereticus est.* Actione VIII. Theodoretus Cyrensis rogatus a Synodo, ut anathema diceret Nestorio, cum diverticula quaereret, ad praecludendam omnem aequivocationi et subterfugio viam, Episcopi dixerunt: *Dic clare anathema Nestorio.* Cumque ille adhuc haesitaret, Episcopi, quamvis scirent eum a S. Leone restitutum fuisse suae Sedi non sine laude et com-

mendatione sanae fidei, adeoque Nestoriana tabe infectum non esse; nihilominus quod ipsum Nestorium damnare nollet, clamaverunt: *Iste haereticus est, iste Nestorianus est. Haereticum foras mittite.* His vocibus perculsus Theodoretus tandem cessit, dixitque *anathema Nestorio, et ei qui non dicit Dei Genitricem Virginem Mariam.* Qua audita declaratione Judices dixerunt: *Omnis jam dubitatio de Theodoreto est soluta. — — Omnes reverendissimi Episcopi clamaverunt: Theodoretus dignus est Sede.* Eadem Synodus subscribi jussit depositioni Dioscori, et damnationi non erroris tantum sed etiam personae Eutychetis, etiam ab iis qui damnabant quidem errorem ipsi falso, ut putabant, impositum, sed ejus tuebantur personam.

CCXXIV. Saeculo VI. Synodus V. seu *CPolitana II.* in causa trium Capitulorum, certe Oecumenica, utpote approbata a Vigilio, Pelagio I. et II. atque a S. Gregorio M., Collatione VIII. ita loquitur: *In memoria tenentes promissiones de Sancta Ecclesia factas, et qui dixit, quod portae inferi non praevalebunt adversus eam, id est, haereticorum mortiferae linguae; recordantes autem, et quae per Oseam de ea prophetata sunt, in quibus dicit: Et sponsabo te mihi in fide, et cognosces Dominum. — — Nos autem mandatum habentes per doctrinam rectam exhortari populum — — necessarium putavimus capitulis comprehendere et praedicationem veritatis, et haereticorum, nec non impietatis eorum condemnationem.* Tum Canones subjungit, in quorum tribus damnat textus dogmaticos, et eorum defensores anathematizat. Can. XII. ad finem dicitur: *Si quis igitur defendit praedictum impium Theodorum, et impia ejus conscripta, in quibus*

tam praedictas, quam alias innumerabiles blasphemias effudit contra magnum Deum et Salvatorem Jesum Christum; sed non anathematizat eum, et impia ejus conscripta, et omnes, qui suscipiunt vel defendunt eum, et dicunt, Orthodoxe eum exposuisse; et qui scripserunt pro eo, et eadem illi sapuerunt, vel scribunt pro eo, vel impiis ejus conscriptis, et eos qui similia illis sapiunt, vel aliquando sapuerunt, et usque ad mortem permanserunt, vel permanent in tali impietate: talis anathema sit. Can. XIII. *Si quis defendit impia Theodoreti conscripta, quae contra rectam fidem, et contra primam Ephesinam sanctam Synodum, et S. Cyrillum, et duodecim ejus capitula exposuit, et omnia quae conscripsit pro Theodoro et Nestorio impiis, — — — talis anathema sit.* Can. XIV. *Siquis defendit Epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam haereticum scripsisse. — — Si quis igitur memoratam impiam Epistolam defendit, sed non anathematizat eam, et defensores ejus, et eos qui dicunt eam rectam esse, vel partem ejus, et eos qui scripserunt, vel scribunt pro ea, vel pro impietate quae in ea continetur, et praesumunt eam defendere, vel insertam ei impietatem nomine Sanctorum Patrum, vel Sancti Chalcedonensis Concilii, et in his usque ad mortem permanent, talis anathema sit.* Condemnationem trium Capitulorum ratam habuit Vigilius Papa in Epistola ad Eutychium CPolitanum his verbis: *Praedicta itaque tria impia Capitula anathematizamus et condemnamus, scilicet impium Theodorum Mopsuestiae una cum impiis ejus scriptis, et quaecunque impie Theodoretus scripsit, atque etiam Epistolam, quae dicitur ab Iba scripta fuisse, qua superius dictae profanae blasphemiae*

comprehendentur. Quin etiam quemcunque, qui crediderit, aliquo ullo tempore ea Capitula debere suscipi, aut defendi, vel conatus fuerit hanc praesentem condemnationem subvertere, simili anathemati subjicimus. Equidem cum Romani Pontifices, caeterique cum Orientis tum Occidentis Episcopi, schisma jam factum viderent a pertinacissimis trium Capitulorum defensoribus, dispensatione usi sunt erga illos, qui tria Capitula damnare recusabant, modo non vituperarent Ecclesiam, quae illa damnaverat, nec eam errasse dicerent, aut turbas excitarent; et de Canonum rigore, ac disciplinae severitate aliquid remiserunt, anathema latum a quinta Synodo ad tempus suspendentes, ut bonum Ecclesiasticae pacis curaretur. At vero dispensationis elapso tempore, posteaquam Afri, Illyriciani; aliique saniora edocti sunt, cum pauci tantum superessent trium Capitulorum defensores, summo jure cum ipsis egit Ecclesia, nec prius ipsos recepit ad communionem, quam professi fuissent se quintam Synodum pari cum aliis quatuor Oecumenicis veneratione suscipere, et tria Capitula condemnassent.

OBJECTIONES.

CCXXV. *Objicitur I.* Novitas doctrinae. Haec opinio de infallibilitate Ecclesiae in factis dogmaticis est prorsus nova, et a Catholicis ante paucos annos excogitata. Ergo. P. A. Antiquiores Doctores huic contradicunt, ut *S. Thomas* Quodlibeto IX. Quaest. VIII. *Gerson* in Tractatu, cui titulus: Considerationes de pace. *Card. Pallavicinus* in Hist. Conc. Tridentini, Lib. VII. Cap. XIV. *Card. Bellarminus* Lib. IV. de

Summo Pontifice, Cap. XI. et *Card. Baronius* in Annal. Ecclesiast. ad annum 681, qui duo ultimi docent Synodum VI. seu CPolitanam III. errasse, quando damnavit Honorium, ejusque Epistolas. R. N. A. Haec doctrina a multis jam saeculis fuit ab Ecclesia in praxin deducta, in Conciliis Oecumenicis Nicaeno, Ephesino, Chalcedonensi, et CPolitano II. ut paulo ante ostendimus. Quod vero plures Theologi ex antiquioribus hanc quaestionem non attigerint, inde factum est quod nemini in mentem venerit eam in dubium vocare. Ad *probat.* R. I. Quamvis aliqui Catholici negassent infallibilitatem Ecclesiae in declaranda Orthodoxia vel heterodoxia propositionum, antequam haec materia satis expensa fuerat, id non officit certitudini sententiae nostrae. R. II. N. A. Doctores illi non loquuntur de quaestionibus facti connexi cum jure, sed meri facti, in quibus utique Ecclesiam fallibilem esse ultro concedimus. Quamvis autem Synodus VI. seu potius Orientales Episcopi CPoli congregati erraverint in damnando Honorio; non tamen erravit Ecclesia, quia Occidentales Episcopi, ac praecipue Romanus Pontifex huic condemnationi nunquam consensere. Vide dicta Tomo I. Num. CCCVIII. et seq. Ex Catholicis recentioribus, unus quod sciam, sententiae nostrae refragatur *Ludovicus Anton. Muratorius* Libro I. de ingeniorum moderatione, Cap. XX, quem sub ementito *Lamindi Pritanii* nomine edidit. Verum quamvis eum virum fuisse doctissimum fateamur, praecipue in Historia ac Philologia; tanta tamen in rebus Theologicis non est ejus authoritas, neque tam gravia ab eo adducuntur rationum momenta, ut quidquam certitudinis doctrinae huic nostrae decedat.

CCXXVI. *Objicitur II.* Authoritas Catholicorum. Multi Catholici, pii ac eruditi viri, vindicias scribunt eorum, quorum libri ab Ecclesia damnati sunt ut haeretica doctrina respersi. Ergo judicant Ecclesiam non esse infallibilem in condemnandis textibus dogmaticis relate ad sensum authoris. P. A. I. S. Athanasius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Basilius, Picus Mirandulanus, Merlinus, Sixtus Senensis, Halloix, Huetius etc. defendunt Origenem, cujus libri ut haeretici damnati fuerunt ab Ecclesia jam tempore S. Hieronymi, atque iterum a V. Synodo, seu CPolitana II. II. Scripta Theodoreti et Ibae ab haeresi purgare nituntur Sirmondus et Petavius. III. Gregorius de Lauro Apologiam scripsit, Roma non improbante, pro scriptis Joachimi Abbatis Florensis, quae damnata fuerant a Lateranensi IV. Ergo. R. C. A. N. C. Catholici Doctores, quando authorem defendunt ab Ecclesia solemni decreto damnatum, nunquam infirmare conantur judicium Ecclesiae de doctrina in eo libro contenta; sed vel ostendunt librum alteri authori adscribendum esse, vel malevolorum invidia corruptum fuisse, aut verbis magis quam animo errasse: adeoque in quaestione meri facti versantur, de qua Ecclesia nullum tulit judicium. Ad I. R. Origenem a multis excusari, quia opera illius ab haereticis perfide fuisse vitiata contendunt: quia multa non assertive, sed subdubitanter scripsit, absque pertinacia, antequam error ab Ecclesia proscriberetur: quia vocabolis quibusdam abusum fuisse asserunt, atque ex aliis illius scriptis Catholicam fuisse mentem conjiciunt. Neque tamen Origenis defensores, prudentiores saltem, eum ab omni errore immunem fuisse volunt; adeoque fatentur, libros, qui Origenis nomine circum fe-

runtur, quique a Patribus in examen vocati sunt, justa fuisse censura perstrictos. Ad II. R. Theodoreti et Ibae scripta Sirmondus et Petavius non ab omni haeresis labe purgant; sed personalem tantum illorum sensum, non litteralem ab errore Nestorii remotum fuisse asserunt: neque unquam negant, ea a CPolitano II. jure fuisse damnata. Ad III. Gregorius de Lauro id unum asserit, Joachimi scripta a malevolis fuisse corrupta: quae sane est quaestio meri facti, de qua Ecclesia in Lateranensi IV. Concilio nihil pronuntiaverat.

CCXXVII. *Objiciuntur III.* Facta quaedam Historica. Ecclesia saepius erravit in definienda Orthodoxia vel heterodoxia propositionum dogmaticarum. Ergo non est infallibilis. D. A. *Sardicense* Concilium, et *Julius I.* errarunt circa sensum litteralem libri Marcelli Ancyrani, et ejusdem professionis fidei: nam hunc erroris accusatum absolverunt, et quidem ut *S. Basilius* Epist. LIV. ad S. Athanasium scribit, ex veritatis ignoratione. II. *Zosimus* Papa libellum a Coelestio oblatum, in quo aperte negabatur peccatum originale, tanquam Catholicum approbavit. III. *Ephesinum* rejecit vocem *Christipara*, quae tamen a Catholicis modo absque scrupulo adhibetur. IV. *Hormisdas* hanc propositionem, *Unus ex Trinitate passus est* damnavit, quam tamen Joannes II, et V. Synodus approbarunt. V. Vigilius Papa ante Synodum V. damnavit tria Capitula; quia tamen Illyrici, Africae, aliique Occidentis Episcopi secessionem a Vigilio minabantur, retractavit hanc condemnationem: paulo post metuens, ne Oriens universus a Romana Ecclesia separaretur, eadem iterato damnavit. Ergo vel illa reprobando, vel approbando erravit. R. N. A. Ad I. Sardicense Concilium et Julius I. non

errarunt circa sensum litteralem libri, et professionis fidei Marcelli Ancyrani, quia illa in sensu litterali erat Catholica et pura; sed circa sensum personalem, quem Marcellus in corde suo occultabat, simulans se Catholicum: atque id circo a Julio dolum non suspicante receptus est. Liber Sardicensi Synodo exhibitus, teste S. Hilario Pictaviensi, immunis erat ab errore in fide, nec positive fuit approbatus, sed tantum fuit non damnatus. S. Basilius in ea Epistola loquitur solum de ignoratione veritatis quoad sensum personalem, non litteralem. Ad II. Liber Coelestii Zosimo oblatus in speciem Catholicus erat, verbisque Catholicis tegebat errorem. Neque Zosimus judicium tulit de animo Coelestii, sed de sensu litterali libri, qui Catholicus erat, non quidem ratione dogmatum quae continebat, sed habita ratione mentis et affectus, quem praeseferebat Coelestius; quia nimirum sententiam suam Sedis Apostolicae judicio corrigendam subjecerat, et Innocentii I. Decretis assentiri se fuerat professus. Unde non tam in ipsum libellum, quam in ejus authorem Catholici nominis cadebat appellatio, ipsi a Zosimo data. Ad III. Haec vox ab Ephesina Synodo rejecta fuit in sensu Nestorii, qui B. Virginem esse Christiparam tantum contendebat, minime autem Deiparam; non vero in sensu Catholico, in quo nunc a nobis usurpatur. Ad IV. Hormisdas propositionem illam nunquam damnavit; approbare tamen noluit, quia erat nova, a turbulentis Monachis Scythiae, novarum quaestionum cupidis agitata: denique quia suspecta, ne sub ea Eutychianorum fraudes occultarentur, dareturque rudibus occasio aliqua existimandi, Christum Dominum secundum divinitatem passum esse. Ad V. C. A. N. C. Quan-

do Vigilius retractavit condemnationem trium Capitulorum, nunquam defendit illa quoad scripta in se ipsis spectata; immo quidquid in libris Theodori Mopsuesteni Arianam aut Nestorianam haeresin redolet, anathematizavit, ac diserte damnavit. Neque etiam Theodoreti scripta contra S. Cyrilli anathematismos, aut Epistolam Ibae approbavit, probe gnarus ea jam ab Ephesina Synodo, et Chalcedonensi implicite fuit damnata, quando Nestorius proscriptus fuit, atque uterque anathema Nestorio dicere fuit jussus: ac vero explicite ac nominatim scripta illa damnare noluit; quia cum haec res non ad fidem, sed ad prudentem oeconomiam pertineret, nolebat cum periculo gravissimi schismatis Occidentalis Episcopis displicere, et Eutychianis qualemcunque ansam praebere authoritatem Chalcedonensis Synodi contemnendi. Verum postea metu majoris mali in re pertinente ad disciplinam, mentem mutavit, triaque Capitula solemni decreto condemnavit. Ergo Vigilius neque revocando condemnationem, neque iterum condedemnando tria Capitula erravit in materia fidei, vel in definienda Orthodoxia vel heterodoxia textuum dogmaticorum.

CCXXVIII. *Dices I.* Si V. Synodus infallibilis fuit in damnanda Epistola Ibae Edesseni ad Marim Persam, in errorem lapsa est Synodus Chalcedonensis, quae Epistolam illam approbavit. Ergo quidquid dicatur, Ecclesia non est infallibilis in definienda Orthodoxia, vel heterodoxia textuum dogmaticorum relate ad sensum authoris. P. A. Ibas Actione X. relecta ejus Epistola judicatus est Orthodoxus; Legati enim Apostolici per Paschasinum dixerant: *Relectis chartis agnovimus ex sententia Reverendissimorum Episcoporum, Ibam Reve-*

rendissimum innoxium approbari. Relecta enim ejus Epistola, agnovimus eum esse Orthodoxum. Et ob hoc decernimus, et honorem Episcopatus, et Ecclesiam, a qua injuste et absens expulsus est, ei restituendam. Ergo Epistola Ibae judicata est a Calcedonensi Orthodoxa. R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Non debet Concilio Chalcedonensi tribui approbatio Epistolae Nestorianae, nisi de approbatione certo constet; quia Concilium est in possessione innocentiae et veritatis, a qua possessione deturbari non debet per exceptiones tantum incertas. Atqui de approbatione non certo constat, immo non est aliqua species et umbra probabilitatis. Forte enim Epistola, qua relecta Ibas acclamatus est Orthodoxus, non fuit Epistola ad Marim Persam, sed Epistola quaedam deprecatoria ad Synodum in qua Ibas professionem fidei suae expresserat. Forte negavit Ibas Epistolam esse suam, ut innuit Gregorius Magnus Lib. VII. Epist. LIII. ad Secundinum Abbatem. Forte Epistolam inrerpretatus est, et interpetratione Patribus satisfecit. Illud certum est Ibam suspicionem omnem Nestorianae haeresos non eluisse, donec a sancta Synodo coactus, diceret anathema Nestorio, ut habetur in Actis Chalcedonensis Actione X. *Omnes Reverendissimi Episcopi clamaverunt : Omnes eadem dicimus* (id est, restituendum ei esse Episcopatum) *Nestorium modo anathematizet, Eutychem et ejus dogmata modo anathematizet. Ibas reverendissimus Epicopus dixit : Et jam in scriptis anathematizavi Nestonium, ejusque dogma, et nunc anathematizo eum decies millies.* Vide *Joannis Gisbert* Disertationem Theologicam de defensione Ecclesiae in trium Capitulorum negotio.

CCXXIX. *Dices II.* Occidentalis Ecclesia, saltem

ante confirmationem Synodi V. a Vigilio factam, defendit tria Capitula et consentientem habuit ipsum Romanum Pontificem. Ergo si Synodus V. infallibilis fuit judex in causa trium Capitulorum, erravit Occidentalis Ecclesia una cum Pontifice. R. D. A. Occidentalis Ecclesia defendit tunc tria Capitula respective ad processum Concilii Chalcedonensis, quatenus scilicet defendit Concilium Chalcedonense recte ac legitime processisse: neque vitio verti illi debere quod Theodori Mopsuesteni, Theodoreti Cyrensis, et Ibae Edesseni scripta aut personas nominatim non damnaverit, C. A. Defendit tria Capitula absolute et in se, quasi Catholica forent, nulloque haeretico errore inquinata, N. A.

CCXXX. *Dices III.* Occidentalis Ecclesia defendit tria Capitula absolute et in se, ut patet ex Victore Tonnonensi, Liberato Diacono Carthaginensi, Facundo Hermianensi etc. Ergo R. D. A. Defendit tria Capitula absolute et in se, defensione positiva, N. A. Negativa tantum, C.A. Occidentalis Ecclesia tria Capitula defendit, non quatenus ea credidit innoxia, sed quatenus ea damnari noluit, quamtumvis in se damnabilia; eoquod non expedire judicaverit totum orbem Christianum iterum ob Eutychianos commoveri. Quamvis autem Victor, Liberatus, Facundus, aliique Schismatici Episcopi judicarint, doctrinam trium Capitulorum sanam esse, et Orthodoxam, eamque Catholica explicatione emollirent; hic iamen sensus non erat Ecclesiae Occidentalis, sed privatarum quarundam personarum, quae a veritate aberrabant.

CCXXXI. *Dices IV.* Saltem ex V. Synodo solidum instrui argumentum nequit, quo evincatur inerrantia Ecclesiae in judicando de factis dogmaticis. Ergo.

P. A. S. Gregorius M. Lib. III. Epist. XXXVII. ad Constantium Mediolanensem scribit, in V. Synodo *de personis tantummodo, non autem de fide aliquid gestum esse.* Pelagius I. Epist. ad Childebertum Francorum Regem asserit tria capitula esse *extra fidem.* Pelagius II. in Epist. ad Episcopos Istriae quaestiones de tribus capitulis excitatas vocat *superfluas.* Ergo R. N. A. Ad *probat.* S. Gregorius minime negat in V. Synodo actum fuisse de re connexa cum fide, seu dogmate ab Ephesinis Patribus jam deciso; sed tantum ait non actum esse de fide, seu de novo aliquo dogmate circa Incarnationem; quia Ecclesia Catholica tum Orientalis tum Occidentalis doctrinam Nestorianam et Eutychianam pro haeretica habebat, atque Ephesinas et Chalcedonenses definitiones sequebatur. Pari modo Pelagius I. ait tria Capitula esse extra fidem, quod nullum novum dogma in V. Synodo fuerit sancitum. Quaestiones illae duplici de causa vocantur a Pelagio II. superfluae, I. Quia postquam aliquid communi Ecclesiae consensu definitum est, superfluum est illud iterum agitare; cum non disputatio, sed obsequium exigatur. II. Quia superfluum erat pro textibus lingua sibi ignota conscriptis, nimirum Graeca, qui nunquam approbati fuerant a Chalcedonensi, Latinos disputare. Illud praeterea observat Pelagius II. in eadem Epistola, potuisse illam quaestionem CPoli ad judicium revocari, quamvis Chalcedonense scripta Theodoreti et Ibae approbasset, rationemque subjungit; quia nimirum S. Leo M. quae post Actionem VI. Chalcedone gesta erant, speciali Decreto rata non habuit, ita ut reformari amplius nequeant: Theodoreti vero et Ibae causa pertractata primum fuit Actione VIII. IX. et X.

CCXXXII. *Objicitur IV.* Ratio. Ecclesia non est infallibilis nisi circa facta revelata. Sed quod liber aliquis, v. g. Jansenii, sit haereticus, non est factum a Deo revelatum. Ergo. *Confirmat.* Illud non est de fide, quod Ecclesia non definit expresse ut fide divina credendum. Sed Ecclesia non definivit expresse infallibilitatem suam circa textus dogmaticos. Ergo. R. D. M. Nisi circa facta formaliter tantum et explicite revelata, N. M. Virtualiter etiam, sive aequivalenter revelata, et implicite, C. M. Et sic dist. minore, N. C. Augustinum Jansenii haereticum esse implicite est revelatum, quia continetur in hac propositione: *Omnis liber, quem Ecclesia, quae est columna et firmamentum veritatis, ut haereticum reprobat, est haereticus.* Pari modo Ecclesia est infallibilis, dum declarat in Vulgata nostra editione Latina contineri verum Dei Verbum: Concilium Tridentinum esse infallibilis authoritatis etc. quamvis ista non sint explicite revelata, sed tantum implicite his depositionibus: *Omnis scriptura, quam Ecclesia ut divinam proponit, est verum Dei Verbum. Omne Concilium, ab Ecclesia approbatum, est infallibile.* Ad *confirm.* N. M. Ut aliquid fide divina credendum sit, sufficit, quod id ab Ecclesia sufficienter fidelibus proponatur tanquam fidei dogma. Id vero fieri potest absque expressa definitione Pontificis, vel Concilii, per ipsam praxim et continuum usum Ecclesiae. Sic de fide est, Ecclesiam infallibilem esse in causis fidei et morum, quamvis haec ejus infallibilitas in nullo Concilio expresse fuerit definita. Porro Ecclesia suam circa textus dogmaticos infallibilitatem fidelibus sufficienter proposuit per continuum usum hujus infallibilitatis, textus dogmaticos in Canonibus anathematizando, defi-

niendo eos vitandos esse ut haereticos, Symbola approbando, libros condemnando ut haeretica peste afflatos:

CCXXXIII. *Dices I.* Liber Jansenii, antequam damnaretur ab Ecclesia, non poterat fide divina credi haereticus. Ergo neque post damnationem Ecclesiae credi potest haereticus. P. C. Ecclesia non condit novos articulos. Ergo. R. C. A. N. C. Ante damnationem ab Ecclesia factam, haeresis quam continebat liber Jansenii, nondum erat infallibili authoritate declarata: per illam vero ostensum est librum Jansenii esse haereticum, et implicite contineri in illa propositione revelata: *Omnis liber ab Ecclesia damnatus ut haereticus, est vere haereticus.* Ad *probat.* D. A. Ecclesia non condit novos articulos simpliciter, qui a Deo nec implicite nec explicite sunt revelati, C. A. Non condit novos articulos secundum quid, quatenus Spiritus Sanctus per Ecclesiam revelationes olim factas applicat, et extendit ad objecta particularia, N. A. Neque dicas, hanc extensionem non sufficere, ut objectum fide divina credatur: credi enim debet, Concilium v. g. Nicaenum aut Tridentinum fuisse legitimum et Oecumenicum, cum sit regula fidei nostrae. At credi id ob aliam rationem non potest, quam ob extensionem ab Ecclesia factam, et applicationem hujus propositionis: *Omnia concilia sunt legitima et infallibilia, quae ab Ecclesia columna ac firmamento veritatis ut talia habentur.*

CCXXXIV. *Dices II.* Si Judicio Ecclesiae debemus fidem internam, quod v. g. propositiones Jansenii, in sensu a Jansenio intento sint haereticae, vel actus ille erit fidei divinae, vel humanae: neutrum potest dici. P. m. Non est actus fidei divinae; quia illud solum potest credi fide divina, quod in Verbo scripto vel tra-

dito revelatum est. Atqui hoc nec in Verbo scripto, nec tradito est revelatum. Ergo credi non potest fide divina. Neque actus hic credi potest fide humana; quia fides humana est fallibilis, ac proin improportionata definitioni Ecclesiae, quam in decidendis factis dogmaticis infallibilem esse contendimus. R. I. indirecte ad hominem. Eadem fide potest credi propositiones Jansenii haereticas esse in sensu a Jansenio intento, qua Janseniani credunt in libris S. Augustini contra Pelagianos contineri Catholicam de Gratia doctrinam. R. II. directe, triplicem dari ad hoc argumentum Catholicorum Doctorum responsionem. I. est eorum, qui dicunt, id posse credi fide divina, et immediate propter authoritatem Dei revelantis, per hunc v. g. actum: *Credo propositiones Jansenii esse haereticas in sensu a Jansenio intento, quia Deus infinite veridicus revelavit, Ecclesiam in definiendis factis dogmaticis esse infallibilem.* II. responsio est eorum, qui dicunt id credi posse fide Ecclesiastica, quae ita appellatur, quia nititur authoritate Ecclesiae aliquid definientis cum speciali Spiritus Sancti assistentia, vi cujus in suis definitionibus errare non potest, estque firmissima; quia nititur authoritate absolute infallibili a Spiritu Sancto accepta. Hic actus sic exponi potest: *Credo propositiones Jansenii esse haereticas, in sensu a Jansenio intento, quia Ecclesia, quae in definiendis factis dogmaticis ob assistentiam Spiritus Sancti errare non potest, ita definivit.* III. responsio est illorum, qui dicunt id credi posse fide partim Ecclesiastica, partim divina: Ecclesiastica; quia talis actus nititur proxime et immediate infallibili authoritate Ecclesiae definientis: divina vero, quia hic actus non sistit in authoritate Ecclesiae, sed

ulterius tendit ad revelationem divinam, propter quam creditur ipsa authoritas Ecclesiae. Unde actum ejusmodi fidei sic resolvunt: *Credo propositiones Jansenii esse haereticas, in sensu a Jansenio intento; quia Ecclesia, quae in definiendis factis dogmaticis errare non potest, sic definivit: Et credo Ecclesiam errare non posse, quia eam infallibilem esse Deus revelavit.*

CCXXXV. *Objicitur V.* Paritas. Ecclesia non est infallibilis circa sensum authorum, qui textus componunt. Ergo neque infallibilis est circa sensum illorum textuum. P. C. Idem sensus, qui est litteralis, est etiam personalis. Ergo. *Confirm.* Ecclesia non est infallibilis circa sensum personalem. Ergo neque circa litteralem. R. D. A. Non est infallibilis circa sensum authoris internum et personalem, C. A. Circa sensum litteralem, quem exprimit textus dogmaticus secundum communem et in Ecclesia receptam significationem verborum, N. A. Ad *probat.* N. A. Potest quis Catholice sentiens, per inadvertentiam vel ignorantiam verba adhibere, quae sensum exprimunt haereticum. Ad *confirm.* C. A. N. C. Infallibilitas circa sensum personalem non est necessaria ad dirimendas fidei controversias, et fideles in recta fide conservandos: contra perquam necessaria est infallibilitas circa sensum litteralem Authorum, qui de rebus ad fidem vel mores pertinentibus scripsere. Neque dicas, tali modo Ecclesiam fore etiam infallibilem circa regulas Grammaticae. R. enim distinguendo. In quantum illae requiruntur, ut textus dogmaticus recte interpretetur, C. Secus, N.

CCXXXVI. *Dices I.* Si Ecclesia non est infallibilis circa sensum personalem Authorum, Constitutio

Alexandri VII. est erronea, ideoque non obligat. Ergo. P. A. Dicitur in illa, damnari propositiones Jansenii *in sensu ab authore intento*: Ergo in sensu personali. R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Per sensum ab authore intentum non intelligitur sensus personalis, quem in mente habuit Jansenius, quod Pontifex nullo modo definire voluit, quamvis prudenter praesumatur sensum personalem verbis congruere: sed intelligitur sensus ab authore in libro suo expressus: quod explicat Clemens XI. in Bulla *Vineam Domini Sabaoth*, ubi dicit, *damnatum in quinque propositionibus Janscniani libri sensum ab omnibus Christi fidelibus non ore solum, sed et corde rejici ac damnari debere.*

CCXXXVII. *Dices II.* Ecclesia non solum libros dogmaticos, sed etiam eorum authores anathematizat. II. Quandoque id agit indiscriminatim sub ipsius authoris nomine. Ergo si est fallibilis circa sensum personalem, fallibilis est etiam circa sensum litteralem. R. C. A. N. C. Ecclesia damnando textum dogmaticum, illum damnat ut erroneum vel haereticum: in quo si falleretur, erraret in fide, et fideles induceret in errorem circa fidem. At vero Ecclesia authorem textus dogmatici anathematizando, etiamsi post diligentem inquisitionem falleretur, non noceret idcirco puritati doctrinae, et fidelium saluti. Ergo maxima est inter haec disparitas. Porro ut author libri haeretici ab Ecclesia possit damnari, requiritur I, ut legitime constet illum fuisse authorem libri haeretici. II. Si adhuc vivit, pertinacia in errore defendendo; si vero mortuus est, requiritur justa praesumptio, quod haeretica intentione librum scripserit, neque ante obitum resipuerit, aut librum suum Ecclesiae Judicio submiserit. Ad II. R. Quando Eccle-

sia indiscriminatim librum, et authorem anathematizat, decidit heterodoxiam textus dogmatici; ipsum vero authorem execratur tantum, nihil de fide definiendo circa sensum personalem illius, cum id nullo modo sit necessarium.

CCXXXVIII. *Dices III.* Ecclesia judicat etiam infallibilem se esse circa sensum personalem authoris damnati; quod tamen ipsi Catholici communiter non admittunt. Ergo etiam potest errare judicando se infallibilem esse circa sensum litteralem. P. A. Constantiense Sessione ultima praescribit formulam, juxta quam examinari debent qui suspecti sunt de erroribus Wickleffi, et Hussi: *Utrum credant, teneant, asserant; Joannem Wickleff de Anglia, et Joannem Hus de Bohemia, et Hieronymum de Praga fuisse haereticos, et pro haereticis nominandos ac deputandos, et libros et doctrinas eorum fuisse et esse perversos etc.* Ergo Constantiense exigit fidem internam, quod Wickleffus, et Hussus fuerint haeretici; adeoque definivit, sensum internum ac personalem Wickleffi et Hussi fuisse haereticum. R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Constantiense definivit tantum doctrinam Wickleffi et Hussi esse haereticam; ipsos vero Wickleffum et Hussum non definivit, sed declaravit esse haereticos, partim ob facti notorietatem, partim ex praesumptione legitima, mentem istorum fuisse verbis conformem: Neque exigit, ut fide divina credatur, eorum personas fuisse haereticas, sed tantum doctrinam. Plura vide apud *Tournely* in Praelect. Theol. de Ecclesia Christi, Quaest. V. Artic. III. *Simonnet* Tract. IX. de Regulis fidei, Disput. IX Artic. VI. *Antoine* Tract. de Fide Cap. III. Articulo VII., et *Constant. Roncaglia* in Animadversionibus ad Dissertat.

XIV. Saeculi V. Histor. Eccles. *Natalis Alexandri*, qui fuse atque ex instituto rem hanc examinant.

CONTROVERSIA VI.

AN DETUR IN ECCLESIA POTESTAS FERENDI LEGES ECCLESIASTICAS, QUIBUS TAM JUSTI QUAM PECCATORES OBLIGENTUR IN CONSCIENTIA; ET AN EA SIT INDEPENDENS A POTESTATE CIVILI?

Contra Protestantes, et Pseudopoliticos.

CCXXXIX.

Complures ex Novatoribus docuere, Praelatos Ecclesiae nullam habere authoritatem ferendi leges Ecclesiasticas. Hos inter praecipue numerantur Pauperes de Lugduno, sive Waldenses, Marsilius Patavinus, Joannes Wickleffus, Joannes Hus, Joannes de Vesalia, Calvinus et Lutherus, qui Lib. de Captivit. Babylon. Cap. de Baptismo ita scribit: *Quo jure Papa super nos leges constituit? Quis ei dedit potestatem captivandae libertatis nostrae, per baptismum nobis donatae? cum neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum habeat jus unius syllabae constituendae super Christianum hominem, nisi fiat ejusdem consensu.* Alii Heterodoxi, et Principum laicorum adulatores, admittunt quidem dari in Ecclesia potestatem ferendi leges Ecclesiasticas; sed eam a civili potestate pendere volunt, eamque Ecclesiae a Principibus laicis concessam, non ab Apostolis ad Successores transmissam esse contendunt cum M. Antonio

de Dominis, et nupero Scriptore Gallo Janseniano *De La Borde.* Protestantes contendunt in Lege Evangelica, utpote Lege libertatis, aliud non contineri praeceptum, quam fidem, seu certam fiduciam in divinis promissis; adeo ut stante ejusmodi fiducia nullum peccatum quantumcunque grave imputetur, tumque solummodo Christiani lethaliter peccent, cum a certa illa fiducia excidunt. Ita Lutherus in Caput II. Epist. ad Galatas, in quo sic habet: *Caetera omnia liberrima, neque praecepta amplius, neque prohibita. Si conscientia dictat, peccasti, responde peccavi. Ergo Deus puniet, et damnabit: non. At lex hoc dicit: sed nihil mihi cum lege. Quare? quia habeo libertatem.* Luthero concordat Calvinus Lib. III. Institut. Cap. XIX.

CCXL. *Conclusio I.* Datur in Ecclesia potestas ferendi leges Ecclesiasticas. Prob. I. Ecclesia habet omnem illam potestatem, quam Christus ipsi concessit, quamque Apostoli exercuerunt. Sed Christus concessit Ecclesiae potestatem ferendi leges Ecclesiasticas, et Apostoli eam exercuerunt. Ergo. P. m. quoad I. partem. Christus Matth. XVI. ait: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis.* Ligare autem significat etiam legem imponere, juxta illud Matth. XXIII. *Alligant enim onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum.* Joannis XX. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Quibus verbis Apostolis suum reliquit ministerium, adeoque etiam potestatem praecipiendi, Ecclesiae adeo utilem et necessariam, quam Christus habebat. Prob. eadem minor quoad II. partem. *Act.* Cap. XV. in Concilio Hierosolymitano praeceperunt Apostoli Gentilibus ad Christianam fidem perductis abstinentiam a sanguine et suffocato, atque ab e-

su Idolothytorum. Paulus I. ad *Timoth.* Cap. III. legem statuit, ne Bigami ordinentur. I. ad *Cor.* Cap. XI. mulierem orare jubet velato capite. Cap. XIV. eas jubet in Ecclesia tacere. II. ad *Cor.* Cap. VIII. in Sabbathis collectationes fieri pro iis, qui omnia sua bona ad pedes Apostolorum Jerosolymis deposuerunt. Idem I. ad *Cor.* Cap. XI. ait: *Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis: et sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis.* Et I. ad Thessal. Cap. IV. *Scitis enim quae praecepta dederim vobis per Dominum Jesum.* Prob. II. ex antiquissima praxi Ecclesiae, quae plura fidelibus praecepit, ut patet ex Actis, et Canonibus Conciliorum tam Generalium quam particularium. Prob. III. ratione. Potestas legislativa necessaria est in omni republica, ut homines sequendo legem, rationem sequantur. Ergo etiam necessaria est in Ecclesia. Ergo cum homines laici non habeant hanc potestatem ferendi leges Ecclesiasticas, habent eam Praelati Ecclesiae.

CCXLI. *Conclusio II.* Potestas quam habet Ecclesia ferendi leges Ecclesiasticas, est independens a potestate civili. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Matth. XVI. ait Christus Petro, non Principibus saecularibus: *Et tibi dabo claves Regni coelorum.* Act. XX. *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Prob. II. Authoritate Patrum et Pontificum. S. Ambrosius Epist. XX. ad Marcellinam sororem scribit: *Convenior ipse a Comitibus et Tribunis, ut Basilicae fieret matura traditio, dicentibus, Imperatorem jure suo uti, eoquod in potestate ejus essent omnia: respondi, si a me peteret quod meum esset, id est, fundum meum, me non refragaturum, quamquam om nia, quae mei sunt, es-*

sent pauperum; verum ea quae sunt divina, Imperatoriae potestati non esse subjecta. S. Felix III. in Epist. ad Zenonem Imp. scribit: *Acacium* (Patriarcham CPolitanum) *districtionis Apostolicae authoritas a communione et dignitate* (Episcopali) *discrevit. Puto autem, quod pietas tua, quae etiam suis mavult vinci legibus, coelestibus debeat parere decretis; atque ita humanarum sibi rerum fastigium noverit esse commissum, ut tamen ea, quae divina sunt, per dispensatores divinitus attributos percipienda non ambigat.* S. Gelasius in Epist. ad Anastasium Imperatorem. *Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur; Authoritas sacra Pontificum, et Regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus Domino in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim, Fili clementissime, quod licet praesideas humano generi dignitate, rerum tamen Praesulibus divinarum devotus colla submittis: inque sumendis coelestibus Sacramentis, eisque, ut competit, disponendis, subdi te debere cognoscis Religionis potius ordine, quam praeesse. Nosti itaque inter haec, ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.* S. Symmachus in Apologia adversus Anastasium Imp. *Conferamus honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum distat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iste divinarum. Tu, Imperator, a Pontifice baptismum accipis, Sacramenta sumis, orationem poscis, benedictionem speras, poenitentiam rogas; postremo tu humana administras; ille tibi divina dispensat.* S. Nicolaus I. Epist. ad Michäelem Orientis Imperatorem: *Idem mediator Dei et hominum*

homo Christus Jesus sic actibus propriis et dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, ut et Christiani Imperatores pro aeterna vita Pontificibus indigerent, et Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus uterentur. Alios Patrum textus, et Imperatorum dicta, quibus agnoscunt supremam hanc, atque a potestate laica independentem Ecclesiae potestatem, adduximus Num. CXL. et CXLI. Prob. III. ratione. Haec potestas est distincta a potestate civili; quia potestas Ecclesiastica ordinatur ad finem supernaturalem, et originem habet a jure positivo divino: civilis autem ordinatur ad finem naturalem, ad servandam nempe Reipublicae pacem, estque a Deo ut authore naturae. Neque ad civilem potestatem pertinet jure naturae, divino positivo, aut Ecclesiastico: immo ex jure divino positivo, et Ecclesiastico contrarium solidis argumentis ostenditur.

CCXLII. Illud certum est atque exploratum, nunquam Regna pulchrius floruisse, quam dum concordia viguit Sacerdotium inter et Imperium, suaque Ecclesiastico statui Privilegia sunt conservata. Observatione dignissima sunt verba *Troslejani* Concilii, quod A. 909. celebravit Heriveus Rhemensium in Galliis Archiepiscopus, Provinciae suae Episcopis Troslejum Dioeceseos Suessionicae villam convocatis. In eo Capitulo III. dicitur: *Haec ita post primam Sanctorum Patrum, duce Sancto Spiritu ordinationem, ac deinde post canonicam de his auctoritatem, a prioribus Imperatoribus et Regibus decreta et custodita fuerunt. Et quousque privilegia sunt servata Status Ecclesiastici, profecit in augmentum sui conservatus a Deo status regni. At postquam haec coeperunt parvi pendi, labejactatus de die*

in diem, et jam pene in nihilum redactus est ille, qui quondam florebat vigebatque, status hujus regni: et ita inolevit malum, quod a transactis retro coeperat annis, ut jam Principalis potestas put et sibi licere, secus quam auctoritas divina se habeat, in causas Ecclesiasticas prosilire, et duce Sancto Spiritu statutum a Patribus Ecclesiae ordinem pervertere. Ita Troslejana Synodus Tomo VI. Parte I. Collectionis *Harduinianae* Conciliorum, Colum. 512.

CCXLIII. *Conclusio III.* Lex Ecclesiastica omnes subditos obligat in conscientia Prob. I. Authoritate Scripturarum. Ad Rom. Cap. XIII. *Non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. -- Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Atque hic locus ostendit, non Ecclesiastica tantum, sed etiam Civili lege omnes subditos in conscientia teneri. De Ecclesiasticae Legis obligatione expressius loquitur Christus Lucae X. *Qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Ergo quemadmodum Deum spernens gravissime peccat, ita etiam qui Ecclesiam spernit. Prob. II. ex praxi Ecclesiae, quae in trasgressores legum suarum saepe gravibus poenis, etiam quandoque excommunicatione, animadvertit. Prob. III. ratione. Praelati sunt ministri Dei, atque authoritate sibi a Deo concessa utuntur. Ergo eis non obediendo, laeditur jus quod habent, praecipiendi. Praeterea gubernatio sine potestate coactiva est saepe inefficax, et in plurimis casibus non posset sufficienter subveniri Ecclesiae, nisi daretur in conscientia obligatio obtemperandi.

CCXLIV. *Conclusio IV.* Lex Ecclesiastica obligat in conscientia non peccatores tantum, sed etiam justos. Haec Conclusio pari modo intelligenda est etiam de lege Civili. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Scripturae nullum faciunt hac in re justos inter et peccatores discrimen, sed omnibus universim obedientiam praecipiunt. Ergo. P. A. Omnibus dictum est Matth. XXII. *Reddite quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo.* Ad Rom. XIII. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Prob. II. ex continua praxi Ecclesiae. III. Authoritate Tridentini, quod Sess. VI. Can. XX. ita definit: *Siquis hominem justificatum, et quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observationem mandatorum Dei et Ecclesiae, sed tantum ad credendum, anathema sit.* IV. Ratione. Si Justi non tenerentur obedire legi Ecclesiasticae, maxima perturbatio oriretur in Ecclesia, nec amplius daretur uniformitas. Praeterea potestas haec ferendi leges Ecclesiasticas frustranea foret; quia omnes dicerent se justos esse, ideoque ad illarum observationem se non teneri. Pluribus non vacat insanum hoc commentum exagitare.

OBJECTIONES.

CCXLV. *Objicitur I.* contra I. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Deuteronomii Cap. IV. dicitur: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Et Cap. XII. *Quod praecipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.* II. Isaiae Cap. XXXIII. *Dominus enim Judex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster.*

Et B. Jacobus in Epist. Cath. Cap. IV. *Unus est legislator et judex, qui potest perdere, et liberare.* III. Matth. XXIII. Christus arguit Pharisaeos, quod *alligent onera gravia et importabilia.* IV. Matth. XXVIII. ait ad Apostolos: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos etc. -- Docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis.* Ubi observandum est, Christum dixisse, *Quaecunque mandavi vobis*, non, *quaecunque vos mandavistis.* R. ad I. prohiberi ibi additionem novarum legum prioribus legibus a Deo datis adversantium; minime autem additionem reprobari, qua lex Dei perficitur, aut declaratur. Certe multis post Moysen saeculis novi dies festi instituti fuerunt a Judaeis, ut legitur in libris Judith, Esther, et Macchabeorum, quos ipse Christus Dominus in terris degens praesentia sua Jerosolymis cohonestare voluit. Ad II. R. Isaiam et B. Jacobum loqui de legislatore primario, qui sua propria et independente authoritate judicare potest et praecipere: talis autem haud dubie non est Ecclesia, quae potestate sibi a Christo tradita utitur. Ad III. R. Sermonem ibi esse de mandatis hominum, quae mandatis Dei contraria sunt, vel inutilia et vana, qualia erant Pharisaeorum Ad IV. R. Christum docuisse et mandasse, ut omnes Ecclesiae obtemperent. Matth. Cap. XVIII. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus.*

CCXLVI. *Dices.* Christus liberavit nos a jugo Legis Mosaicae. Ergo etiam a caeremoniis et legibus, quas Ecclesia tulit. P. C. Leges Ecclesiasticae sunt plures et graviores, quam leges veteris Testamenti, ut patet, si volumina Conciliorum conferantur cum Pentatheuco Moysis. Ergo. P. A. ex S. Augustino, qui Epist. LV.

alias CXIX. ad Januarium, Cap. XIX. ita scribit: *Ipsam religionem, quam paucissimis et manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei liberam esse voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabitior sit conditio Judaeorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen sarcinis, non humanis praesumptionibus subjiciuntur.* Ergo. *Confirm.* Christus declinavit honores regios: reprehendit discipulos de praeeminentia contendentes: populos non vi, sed amore ad se petraxit: subjecit se tribunali politico. Ergo ex vita Christi colligitur, non voluisse potestatem legislativam concedere Ecclesiae. R. C. A. N. C. Lex Mosaica figura erat novae Legis. Ergo translato Sacerdotio, necesse fuit ut legis quoque translatio fieret. Ad *probat.* N. A. Leges Ecclesiasticae, quae ad omnes pertinent, paucae sunt, longeque leviores legibus Mosaicis, et ad quatuor reduci possunt, nimirum de servandis festis diebus et jejuniis, ac de Confessione et Communione in Paschate. Aliae leges, quae in tomis Conciliorum leguntur, vel ritus et adhortationes continent, vel homines tangunt, qui certum vitae genus amplectuntur, ad quod vitae institutum capessendum nemo de se tenetur, ut v. g. Clerici, Monachi, Judices Ecclesiastici etc. At vero leges Mosaicae, omnibus et singulis Judaeis impositae, quam plurimae erant. *S. Augustinus* l. c. non conqueritur de legibus aut ritibus ab Ecclesia institutis, sed de quibusdam consuetudinibus particularibus vulgi et hominum rudium, quae paulatim obtinet vim legis. Haec enim citatis in objectione verbis praemiserat: *Omnia talia, quae neque Sanctarum Scripturarum authoritatibus continentur, neque in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, neque consue-*

tudine universae Ecclesiae roborata sunt, sed pro diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur --- sine ulla dubitatione resecanda existimo. Ad *Confirm.* C. A. D. C. Ergo Christus noluit instituere in Ecclesia regnum temporale, ac statum politicum, C. C. Noluit fundare regnum spirituale, et statum Ecclesiasticum, ad salutem animarum ordinatum, N. C.

CCXLVII. *Objicitur II.* Infirmitas argumenti, quod ex praecepto Apostolico Act. Cap. XV. ducitur. Apostoli, quando in Concilio Jerosolymitano prohibuerunt Gentibus ad Christi fidem conversis esum idolothytorum, sanguinis, et suffocati, nihil novi praeceperunt, sed declararunt tantummodo praecepta divina et moralia, quod nempe hoc praeceptum in veteri Lege latum adhuc perduret; et quod servanda sit abstinentia ab illis propter scandalum Judaeis alias praebendum, ex quibus simul et Gentibus coalescere debebat Ecclesia Christi. Ergo ex illo facto Apostolico non evincitur dari in Ecclesia potestatem ferendi leges Ecclesiasticas; sed tantum dari potestatem docendi, et declarandi leges divinas. R. I. Sive hoc praeceptum Apostolicum dicatur novum, sive renovatum, fuit verum praeceptum, illos quibus latum est obligans; non vi veteris Legis utpote jam abrogatae, sed vi constitutionis Apostolicae. R. II. D. A. Quod servanda sit abstinentia ab esu illorum propter scandalum Judaeis alias praebendum, ita ut evitatio scandali fuerit finis praecepti Apostolici, C. A. Ita ut praeceptum ipsum cadat super vitationem scandali, et non super abstinentiam ab immolatis etc. N. A. Finis omnium praeceptorum divinorum est charitas erga Deum: et tamen praecepta ipsa particularia, v. g. de non furando, de

non occidendo, dici non possunt merae declarationes praecepti charitatis, sed vera sunt ac distincta praecepta, quae immediate obligant ad abstinendum ab humani sanguinis injusta effusione, et rei alienae ablatione.

CCXLVIII. *Objicitur III.* Ratio. Nullus assignari potest finis prudens potestatis legislativae in Ecclesia. Ergo. P. A. Haec potestas vel dirigit hominem ad finem naturalem; vel supernaturalem: neutrum potest dici. Ergo. P. m. Si ad naturalem; sufficit potestas laica. Si ad supernaturalem; tunc praeterquam quod solus Deus possit movere hominem ad finem supernaturalem, habent homines legem Evangelicam, quae sufficit ad finem illum obtinendum. II. Quamvis Apostoli habuerint potestatem ferendi leges Ecclesiasticas, non sequitur quod eam etiamnum habeant Ecclesiae Praelati. R. N. A. Ad *probat.* C. M. N. m. et dico, quod hominem dirigat ad finem supernaturalem, non quidem humanis viribus, sed per adjutorium gratiae supernaturalis. Lex Evangelica est nimis universalis, nec satis dirigit actiones nostras, nisi per determinationem Praelatorum Ecclesiae fiat aliquo modo particularis: fere sicut ad dirigendas actiones politicas non sufficit lex naturalis, a Deo cordibus nostris inscripta, nisi determinetur ad particularia per leges civiles Principum. Ad II. N. A. Potestas Apostolica a Praelatis Apostolorum successoribus exercenda, aeque est nunc etiam Ecclesiae necessaria ac olim temporibus Apostolorum, praeter authoritatem scribendi libros Canonicos, et miracula patrandi, quae duo suo modo initio tantum nascentis Ecclesiae exigebantur.

CCXLIX. *Objicitur IV.* contra II. Conclusionem, Necessitas hujus dependentiae. Si potestas Ecclesiasti-

ca non dependet a civili, daretur status in statu, respublica in republica. Atqui hoc dici non potest. Ergo, P. m. Status in statu est monstrum, seminarium omnium discordiarum, et ruina regnorum. Ergo haec independentia pugnat contra jus naturale, et bonum commune. *Confirm.* I. Potestas Principis laici se extendit ad omnia, quae publicam concordiam turbare possunt. Ergo cum materia Religionis quam maxime turbare possit, vel conservare concordiam, potestas Principis laici se extendit etiam ad materiam Religionis. *Confirm.* II. Suprema potestas Ecclesiastica Pontificibus data est ab Imperatoribus Christianis, Constantino, et Phoca. Ergo. R. D. M. Daretur status in statu, ejusdem generis et ordinis, N. M. Diversi generis et ordinis, ita ut unus status sit alteri subordinatus, C. M. Et sic dist. minore N. C. Status Ecclesiasticus dirigit homines per media supernaturalia ad fidem supernaturalem; status politicus vero Ecclesiastico utpote nobiliori subordinatus, homines dirigit ad finem naturalem, nempe temporalem reipublicae felicitatem, per media naturalia: hinc sunt duo status, sed non in eodem genere. Ad *probat.* D. A. Status in statu est monstrum etc. si sit ejusdem generis sicut duo Reges in eodem Regno, C. A. Si sit diversi generis, et unus alteri subordinatus, N. A. Certe nunquam pulchrius floruerunt Regna, quam ubi concordia servata est Sacerdotium inter et Imperium, salvis utriusque juribus; cum ambae potestates tendant ad salutem et pacem cum Deo et hominibus conservandam. Ad I. *Confirm.* D. A. Extendit se ad omnia politica, C. A. Ad Sacra, subdist. Jure regiminis et authoritatis, N. A. Jure protectionis et defensionis, nimirum per expressam invocationem brachii saecularis ab Ecclesia facta, vel

per potestatem ab Ecclesia communicatam, C. A. Ad II. *Confirm.* N. A. Ecclesia jam diu ante Constantinum et Phocam exercuit hanc potestatem; quam ab eo accepit, qui Tiberio Imperium Romanum tradidit, et Petro dixit: *Tibi dabo claves regni caelorum.* Et *Pasce oves meas.* Constantinus M. donavit quidem Ecclesiae Romanae multa praedia, Phocas vero ambitionem Cyriaci Patriarchae CPolitani compescuit, qui Episcopum Oecumenicum se jactabat; caeterum neuter horum Imperatorum Pontificibus dare potuit, quo ipse carebat, nimirum Jurisdictionem Ecclesiasticam.

CCL. *Objicitur V.* contra III. Conclusionem, Ratio. Forum conscientiae est forum Dei. Sed in foro Dei Ecclesia non potest obligare. Ergo. P. m. Inferior non potest obligare in foro Superioris. Ergo. II. Ecclesia non potest judicare in foro conscientiae. Ergo non potest obligare in foro conscientiae. III. Qui potest praecipere sub gravi, debet posse privare gratia, et infligere poenam inferni. Atqui Ecclesia non potest privare gratia, quae est donum solius Dei: nec potest infligere poenam inferni. Ergo. R. C. M. N. m. Ad *probat.* D. A. Non potest obligare praeter, aut contra voluntatem Superioris, C. A. Juxta voluntatem Superioris, N. A. Deus vult, ut Ecclesiae praecipienti obediatur; proin Praelati Ecclesiae obligant in foro Dei, ut Ministri Dei. Ad II. C. A. N. C. Quamvis Ecclesia ignoret, an subditus operetur juxta vel contra conscientiam, subditus tamen in conscientia tenetur obtemperare. Ad III. D. M. Debet posse privare gratia etc. primario, directe, et independenter a voluntate Dei, N. M. Secundario, indirecte, et dependenter a voluntate Dei, C. M. Et sic dist. min. N. C. Potest Legislator supremus trangresso-

ribus legum ministrorum suorum poenam imponere sibi reservatam, quam incurrit transgressor, quamvis legislator inferior illam non imponat.

CCLI. *Objicitur VI.* contra IV. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Christiani in Scripturis a mandatis hominum asseruntur liberi. Ergo non tenentur legibus Ecclesiae. P. A. I. II. ad Cor. III. ait Apostolus: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Ad Galatas Cap. IV. *Non sumus ancillae filii, sed liberae: qua libertate Christus nos liberavit.* Ad Galatas Cap. V. *State, et nolite iterum jugo servitutis contineri.* II. I. ad Timoth. I. *Lex justo non est posita, sed injustis.* III. I. ad Cor. VII. *Praetio empti estis, nolite fieri servi hominum.* IV. Ipse Christus ad Apostolos ait Lucae Cap. XXII. *Reges Gentium dominantur eorum - - vos autem non sic.* Ergo potestas praecipiendi prohibita est Christanis. V. Christus Matth. Cap. XVII. ait: *Quid tibi videtur Simon? Reges terrae a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii.* Ergo cum omnes justi sint filii Dei; liberi sunt a praeceptis hominum. R. N. A. Ad I. R. Sermonem ibi esse de libertate Christiana, nimirum de liberatione a servitute peccati, et praeceptorum caeremonialium Mosaicae Legis. Ad II. dicitur ibi, Justos amore justitiae magis quam terrore poenarum Legem Evangelicam observare. Ad III. Hortatur Apostolus, ut non postponamus servitium Dei, cujus pretio empti sumus, servitio hominum. Ad IV. Christus damnat ibi non qualecunque regimen, moderatum et Christianum, sed tyrannicum tantum, despoticum, ambitiosum, et charitati contrarium. Ad V. R. I. Pari ratione Protestantes

tributum et steuras denegare poterunt suis Principibus, dicendo, filios esse liberos. R. II. N. C. Christus loquitur ibi de filiis naturalibus Regum, ostenditque, se, utpote filium naturalem aeterni Patris, Regis Regum, non teneri tributum solvere terreno Principi: quae ratio minime pugnat pro filiis adoptivis Dei, id est, pro justis.

CONTROVERSIA VII.

AN ECCLESIA HABEAT POTESTATEM COACTIVAM, POSSITQUE IN REFRACTARIOS CENSURIS ALIISQUE POENIS ANIMADVERTERE, INVOCATO ETIAM SI OPUS SIT AUXILIO BRACHII SAECULARIS?

Contra Marsilium, Wickleffum, Lutherum, Jansenianos.

CCLII.

Ecclesiam nullam habere potestatem coactivam in refractarios, asseruit Saeculo IV. *Marsilius Patavinus*, cujus praeter alios errores a Joanne XXII. proscriptos, celebris est propositio: *Nec Papa, nec tota Ecclesia congregata potest ullum hominem, quantumcunque malum, punire poena coactiva, nisi habeat ab Imperatore potestatem.* Idem docuerunt *Marcus Antonius de Dominis*: et nuperus scriptor Presbyter Oratorianus *De la Borde*, Jansenianae factionis Theologus, in Principiis de natura, diversitate, et limitibus utriusque potestatis, spiritualis et temporalis. *Wikleffus* quamvis Eccle-

siae potestatem excommunicandi non denegaverit, graviter tamen hac in re erravit, ut patet ex propositione XI. *Nullus Praelatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum a Deo: et qui sic excommunicat, fit ex hoc haereticus, vel excommunicatus.* Et XII. inter XLV. a Concilio Constantiensi damnatas: *Praelatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem, vel Concilium Regni, eo ipso traditor est Regis et Regni.* Protestantes cum Luthero et Calvino aliquam dumtaxat excommunicationis speciem ac larvam admittunt, ad conservationem morum et disciplinae, quae juxta ipsos mere externa est, nec intus ligat. Docent enim per excommunicationem privari non posse hominem aliquo bono spirituali interno, sed tantum externa consuetudine Ecclesiae, sive in politicis actionibus, sive etiam in conventibus Ecclesiasticis ad Sacramenta et orationes publicas. *Excommunicationes*, ajebat Lutherus Artic. XXIII. inter damnatos a Leone X. *sunt tantum externae poenae, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiae orationibus.* Quin eo dementiae prolapsus est, ut diceret, excommunicationem optandam esse, eoquod a Catholicis dicatur esse medicinalis, et salutaris poena. *Docendi sunt Christiani*, ait Artic. XXIV. *plus diligere excommunicationem, quam timere.* Wickleffus jurisdictionem Ecclesiasticam penes fidelium communitatem, non penes solos primarios Pastores esse docuit Articulo XXX. *Excommunicatio Papae, vel cujuscunque Praelati non est timenda, quia est censura Antichristi.* Cui suffragatur Quesnellus propositione XC. inter proscriptas a Clemente XI. in Bulla Unigenitus. *Ecclesia authoritatem excommunicandi ha-*

bet, ut eam exerceat per primos Pastores, de consensu saltem praesumpto totius corporis. Ex quo sequitur censuras Ecclesiasticas, ab Ecclesiae Praelatis in refractarios latas, a Jansenianis proterve contemni tanquam injustas, eoquod Ecclesia Christi, nempe Janseniana, has censuras ratas non habeat, ut manifestum est ex variis Quesnelli propositionibus relate ad sensum authoris. XCI. *Excommunicationis injustae metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro; nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo Jesu Christo; atque ipsi Ecclesiae per charitatem affixi sumus.* XCII. *Pati potius in pace excommunicationem, et anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari S. Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem.* XCIII. *Jesus quandoque sanat vulnera, quae praeceps primorum Pastorum festinatio infligit, sine ipsius mandato. Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.*

CCLIII. Ecclesiam ad compescendos refractarios implorare non posse auxilium brachii saecularis, docebant olim Donatistae in Africa, ut scribit *S. Augustinus* in Libris contra litteras Parmeniani, Petiliani, et Gaudentii Donatistarum. Horum exemplum secuti posteriorum temporum Novatores, Waldenses, Albigenses etc. Ecclesiam idcirco crudelitatis accusarunt. Joannes *Hus* propositione XIV. inter damnatas a Constantiensi ait: *Doctores ponentes, quod aliquis per censuram Ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, saeculari judicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc Pontifices, et Scribas, et Pharisaeos, qui Christum non volentem eis obedire in omnibus, dicentes; Nobis*

non licet interficere quemquam , ipsum **saeculari** *judicio tradiderunt , et quod tales sint* **homicidae** *graviores quam Pilatus.* Et Lutherus Artic. XXXIII. *Haereticos comburi est contra voluntatem Spiritus.* Easdem querelas in Galliis renovarunt Calviniani, et Janseniani. Verum neque hac in re sibi constant Novatores. *Calvinus* non antea quievit, quam Senatum Genevensem permoverit, ut Michaelem Servetum, Antitrinitariorum nostri temporis parentem flammis addiceret, moxque edito libro, cui titulus, *Defensio Orthodoxae fidei*, errores Serveti confutavit, in quo fuse probat, Haereticos jure gladii coercendos esse. Huic cum Sebastianus Castellio sub Martini Bellii nomine latens, libellum opposuisset, quo Haereticorum causam agebat, Theodorus Beza Calvini Magistri sui sententiam tuendam suscepit, librumque de Haereticis a civili Magistratu puniendis conscripsit; quo non solum propugnant Haereticos a civili Magistratu capitali supplicio plecti posse, sed etiam hujus sententiae suffragatores citat Lutherum in Postillis minoribus Domin. V. post Epiphaniam, Melanchtonem Lib. de Officio Principis, Brentium in libello de Republica bene administranda, Bucerum Enarratione in Cap. XII. S. Matthaei, Capitonem Lib. de jure Magistratus in Religionem etc.

CCLIV. *Conclusio I.* Ecclesia potestatem habet coactivam , potestque in refractarios censuris animadvertere. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Matth. XVIII. dicitur: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Ex quo sic argumentor cum *Gregorio de Valentia* Lib. de efficacia Excommunic. Ecclesiasticae, Cap. II. Ecclesia ex concessione Christi erga refractarium ita se gerere potest, sicut erga ethni-

eum vel publicanum. Atqui erga illos ita se gerere solet Ecclesia, ut illis non communicet bona quaedam spiritualia communium suffragiorum: neque etiam cum illis consuetudinem conversationis externae habeat, quam habet cum suis membris. Ergo potest Ecclesia subditos suos refractarios eodem illo bonorum genere privare. Ergo potest illos excommunicare; cum excommunicatio nil aliud sit, quam censura Ecclesiastica privans baptizatum communione bonorum Ecclesiae. Matth. XVIII. ait Christus ad Apostolos: *Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super, terram, erunt ligata et in coelo: et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Quae verba sunt generalia, atque ad omnia extendi debent, quae bono Ecclesiae regimini sunt necessaria; inter quae certe est potestas coactiva, sicut in qualibet bene ordinata Republica politica.

CCLV. Prob. II. Exemplo Apostolorum, qui hanc potestatem a Christo sibi concessam, atque ad successores suos transmittendam ob bonum Ecclesiae, saepius exercuerunt. Sic B. Paulus Corinthium incestuosum excommunicavit. I. ad Cor. Cap. V. ait: *Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, jam judicavi ut praesens, eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Dei nostri Jesu, tradere hujusmodi Satanae in interitum carnis, ut Spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.* Dicitur autem *in interitum carnis*, quia, ut notant Origenes, Hilarius, Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus et Augustinus, tunc temporis daemon excommunicatos vexare solebat etiam in corpore, variis scilicet morbis, et vulneribus, ut Gentiles recens ad fidem conversi visibilibus ac for-

midandis ejusmodi signis credibilia haberent, quae audiebant de spiritali et invisibili excommunicationis poena eo magis horrenda, quo anima quam afficit, praestantior est corpore. Idem Apostolus, ut habetur I. ad Timoth. Cap. I. v. 20. Hymenaeum et Alexandram excommunicavit. Et II. ad Cor. Cap. XIII. scribit: *Praedixi, et praedico, ut praesens, et nunc absens, iis qui ante peccaverunt, et caeteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam --- Ideo haec absens scribo, ut non praesens durius agam, secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem, et non in destructionem.*

CCLVI. Prob. III. Authoritate Patrum, qui supponunt semper, ac pro certo atque indubitato habent, Ecclesiam habere hanc potestatem. S. Hieronymus Epist. LXVIII. ad Theophilum Alexand. *Quod super nefaria haeresi multam patientiam geris, et putas Ecclesiae visceribus incubantes tua posse corrigi lenitate, multis Sanctis displicet, ne dum paucorum poenitentiam praestolaris, nutrias pertinaciam perditorum, et factio robustior fiat.* Idem Epistola LIII. adversus Vigilantium: *Miror, Episcopum, in cujus parochia Vigilantius esse Presbyter dicitur, acquiescere furori ejus, et non virga Apostolica, virgaque ferrea confringere vas inutile, et tradere in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat.* S. Augustinus Lib. de Correptione et Gratia, Cap. XV. *Pastoralis necessitas habet, ne per plures serpant dira contagia, separare ab ovibus sanis morbidam, ab illo, cui nihil est impossibile, ipsa forsitan separatione sanandam.* S. Innocentius I. in Epist. ad Concilium Carthaginense: *Praecidendum ergo id est, quod velut puro sanoque corpori vulnus*

obrepsit, ne cum tardius abstergitur, in ipsis pene visceribus hujus mali non exhaurienda post sentina considat. – – – Avellendi sunt longius, et ab Ecclesiae procul removendi visceribus, ne diutius multa occupans insanabilis post error increscat.

CCLVII. Prob. IV. ex praxi antiquissima Ecclesiae, quae tum in Conciliis, tum extra illa, refractarios ac contumaces, praecipue autem haereticos, Marcionem, Montanistas, Novatianos, Arianos, Nestorianos, Eutychetem, Theodorum Mopsuestenum, aliosque Ecclesiae turbines ac procellas anathemate perculit. Atque haec non modo ostendunt dari in Ecclesia potestatem coactivam, censuris animadvertendi in refractarios, verum etiam hanc potestatem esse penes solos Superiores Ecclesiasticos, qui a Spiritu Sancto positi sunt regere Ecclesiam Dei.

CCLVIII. *Conclusio II.* Excommunicatio Christianis omnibus perquam metuenda est. Prob. I. Authoritate Patrum. Tertullianus in Apologet. Cap. XXXIX. *Summum futuri judicii praejudicium est, siquis ita deliquerit, ut a communicatione orationis et conventus, et omnis sancti commercii relegetur.* S. Hilarius in Psal. CXVIII. *Qui ab Ecclesiae corpore respuuntur, quae Christi est corpus, tanquam peregrini et alieni a Dei corpore dominatui diaboli traduntur.* S. Hieron. in Cap. VI. Oseae. *Sicut olim de Paradiso Adam, sic modo isti de Ecclesia ejiciuntur.* S. Gregor. Nyssenus Orat. in eos qui aegre ferunt reprehensiones: *Si haberes oculos apud animae essentiam, ostendissem tibi, qui a communione abactus es, speciem condemnati gravissimis vinculis cervice depressa, nullum membrum liberum aut solutum habentis. Atque utinam cum vita sup-*

plicium terminaretur! Nunc autem, si quid hic malum contigerit, et mors repente tanquam fur advenerit, scias tibi, quae illic sunt, esse clausa. S. Chrysost. Hom. IV. in Epist. ad Hebr. *Nemo contemnat vincula Ecclesiastica: non enim homo est, qui ligat, sed Christus, qui nobis hanc potestatem dedit, et Dominus fecit homines tanti honoris.* S. Augustinus Tract. XXVII. in Joan. *Nihil sic debet formidare Christianus, quam separari a corpore Christi. Si enim separatur a corpore Christi, non est membrum ejus; si non est membrum ejus, non vegetatur spiritu ejus.*

CCLIX. Prob. II. Ratione. Illa poena est Christianis omnibus perquam metuenda, quae eos privat orationibus et suffragiis, quae ab Ecclesiae ministris ex peculiari Ecclesiae intentione fiunt. Si enim Stephani oratio multum profuit Saulo, quanto magis cuilibet Christiano proderit oratio totius Ecclesiae. Atqui talis poena est excommunicatio. Ergo. Adde, quod si excommunicatio non esset grave malum, Apostoli, et Ecclesia primis statim saeculis refractarios non excommunicassent, sperantes, eos magnitudine mali deterritos ad officium redituros. Neque ex eo, quod excommunicatio sit poena medicinalis, sequitur esse optandam, ut insanire libuit Luthero. Quamvis enim sit medicina, est tamen simul gravis poena: neque amputatio brachii, vel pedis ab aliquo prudenter desiderari potest, licet ea in aliquo casu, ne malum ulterius serpat, medicina vocari possit.

CCLX. *Conclusio III.* Ecclesia adversus refractarios invocare potest auxilium brachii saecularis vel tribunalium laicorum, quae gravibus poenis, pro gravi-

tate delicti, juste et licite animadvertere possunt in refractarios, et contemptores potestatis spiritualis, et Ecclesiasticae. Prob. Conclusio I. Authoritate Patrum. S. Gregorius Nazianzenus Orat. XLVI. Nectarium CPolitanum ita alloquitur. *Nunc tua numeris omnibus absoluta virtus excitetur, ac Imperatorem doceat, nihil ex reliquo ejus erga Ecclesias studio rediturum esse utilitatis, si tale malum ad sanae fidei eversionem praevaleat.* S. Hieronymus Lib. I. adversus Ruffinum, Cap. III. scribit: *Imperatorum scripta, quae de Alexandria et Aegypto Origenistas pelli jubent, me suggerente, dictata sunt.* S. Augustinus, Possidius, et Alipius Episcopi Africani petierunt saepius ab Imperatoribus leges poenales praesertim contra Donatistas et Pelagianos, ut metu poenarum excitati, oculos mentis ad fidei lumen aperirent. A. C. 401. Africana Synodus Legatos suos hanc ab Imperatore postulare gratiam jussit, ut Episcopus Donatista Clericum ordinans, et ordinatus, decem pendant auri libras. *Ut hoc saltem terrore a Schismatica vel haeretica pravitate desistant, qui consideratione aeterni supplicii emendari, corrigique dissimulant.*

CCLXI. Prob. II. ex praxi Ecclesiae et Imperatorum. Saeculo III. Patres Concilii Antiocheni, quod Paulus Samosatenus Synodali judicio depositus Episcopalem sedem deserere nollet, gratia et opibus fretus Zenobiae Palmyrenorum Reginae, Aureliani Imperatoris Ethnici auxilium implorarunt, qui Paulum Antiochia ejici, iisque domum Episcopalem tradi jussit, quibus Itali Christianae Religionis Antistites, et Romanus Episcopus scripserint concedendam, ut refert *Eusebius* Lib. VII. Hist. Eccles. Cap. XXIV. Saeculo IV. V. VI. alisque, Ecclesia Imperatores Constantinum, Constantem,

Valentinianum, Theodosium utrumque, Honorium, Marcianum, Justinianum etc. rogare non destitit, ut Sacerdotali sententiae Imperialem jungerent; quaeque in Conciliis Episcoporum saluberrime sancita fuerant, contra Arianos, Donatistas, Manichaeos, Pelagianos, Nestorianos, Eutychianos, ipsi ut defensores Ecclesiae Imperiali authoritate tuerentur. Hinc in corpore Juris Civilis plurimae leges inveniuntur ab Imperatoribus latae, quibus poena infamiae, capitis, exilii, deportationis ad metalla in haereticos statuuntur.

CCLXII. Prob. III. Ratione. Si Ecclesia non posset per invocationem brachii saecularis efficaciter procurare, ut sententia excommunicationis, quam jure suo in refractarios tulit, executioni mandaretur, non satis foret illi de authoritate provisum in ordine ad finem spiritualem, quem in gubernando et coercendo habet sibi propositum. Ut enim hunc finem assequi possit Ecclesia, necesse est spiritualem illam authoritatem temporali quoque potestate roborari, qua refractarii et reluctantes obtemperare compellantur.

OBJECTIONES.

CCLXIII. *Objicitur* I. contra I. Conclusionem, Infirmitas argumenti ab exemplo Pauli petiti. Ex poena, qua Apostolus in Corinthium incestuosum, Alexandrum et Hymenaeum animadvertit, non sequitur in Ecclesia dari Jurisdictionem vere ac proprie talem, sed tantum potestatem Oeconomicam. Ergo. P. A. Etiam Patres familias praecipiunt liberis, suntque naturales judices circa contentiones liberorum: possunt proles a conspectu suo arcere, easque a communi mensa remе-

vere, quin tamen idcirco habere dicantur jurisdictionem vere ac proprie talem. Ergo a pari. R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Eadem potestas, quae intra domesticos parietes restricta, paterna et oeconomica dicitur, extensa in integrum populum, vera ac proprie dicta Jurisdictio vocatur: qua ratione etiam lex a decreto domestico differt.

CCLXIV. *Objicitur II.* Authoritas Patrum. *S. Chrysostomus* Serm. de Anathemate scribit: *Aut anathematizas viventem, aut mortuum: Si mortuum, impie agis; quia jam sub jure humano non existit, sed Domino suo stat, vel cadit. Si vivum, impie etiam agis; non eum, qui ad bonum converti potest, abscindis.* II. Idem Lib. II. de Sacerdotio scribit: *Christianis minime omnium licet peccantium lapsus vi corrigere. Exteri quidem Judices cum facinorosos homines legem transgressos fuisse deprehenderint, magna se praeditos authoritate ac potestate ostendunt, eosdemque vel invitos, suos ipsorum mores mutare cogunt: Hic vero non vim adferre, sed suadere tantum oportet, atque hac ratione meliorem efficere, quem emendandum susceperis. Neque enim nobis facultas tanta a legibus data est, ad delinquentes coercendos.* III. Idem eodem libro: *Neque enim homini licet tanta cum authoritate homines curare, quanta oves Pastor curat. Hic enim liberum est vincire, et a pabulo arcere, et urere, et secare: cum illic medicinae, ac curationis suscipiendae facultas posita minime sit in illo, qui medicinam adhibet, sed in eo tantum, qui laborat.* IV. S. Bernardus Lib. I. de consideratione ad Eugenium ait: *Non monstrabunt, qui hoc dicent, ubi aliquando quispiam Apostolorum Judex sederit hominum.* Ergo. R. ad I.

Chrysostomus disertis verbis dari in Ecclesia potestatem excommunicandi asserit Hom. XVII. in Matthaeum, Hom. IV. in Epist. ad Hebr. et Hom. LXX. ad populum Antiochenum. Quare l. c. iis solis hanc potestatem denegat, qui nulla sunt authoritate conspicui in Ecclesia, et nihilominus anathema in filios Ecclesiae jaculari praesumunt. Nimirum eo tempore, quo S. Chrysostomus sermonem hunc Antiochiae conscripsit, populus duas in factiones scissus erat, aliis Flaviano, aliis Paulino faventibus, adeo ut calore partium exasperati sibi mutuo anathema dicerent. Ad II. R. S. Chrysostomum hic agere de potestate Sacerdotali in foro conscientiae secreto, seu in tribunali poenitentiae. Eadem est responsio ad III, ubi S. Doctor notat, inter Pastorem ovium rationalium et irrationalium hoc discrimen intercedere, quod pastor irrationalium versetur circa morbos ovium naturales, easque sanare possit, etiamsi illae nolint: Contra Pastor ovium rationalium, quia versatur circa morbos ovium voluntarios, non possit curare oves, nisi ipsae velint; ideoque difficiliorem esse hujus, quam alterius pastoris provinciam. Ad IV. S. Bernardus tantum asserit, non decere Pontificem de terrenis rebus judicare, ut patet ex iis, quae mox subjungit: *Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra. Quoniam propter illa, et non propter has accepistis claves regni coelorum.*

CCLXV. *Objicitur III.* Ratio. Christus non dedit Ecclesiae potestatem, quae magis est ad destructionem, quam aedificationem, et crudelitatem Christiano spiritu indignam sapit: atqui talis est potestas coactiva per censuras. Ergo. P. m. Excommunicatio tradit hominem Satanae, eumque privat orationibus fidelium. Ergo ten-

dit ad destructionem, et crudelitatem sapit. *Confirm.* I. Praelati Ecclesiae sunt homines, qui abuti possunt hoc gladio, sicque innumera mala in rempublicam invehere. Ergo dicendum est, hanc potestatem non fuisse a Christo traditam. *Confirm.* II. Christus non venit, ut judicet mundum; sed omnem poenam in orbem alterum differt. Ergo etiam Ecclesia contumaciam subditorum soli Deo puniendam debet relinquere. R. C. M. N. m. Ad *probat.* D. A. Hominem tradit Satanae in interitum carnis, C. A. In interitum Spiritus, saltem per se, et ex intentione Ecclesiae, N. A. et C. Censurarum finis est fidelium utilitas, ut sic cogantur declinare a malo, et facere bonum. Quod si autem excommunicationem quis contemnens, poenitentiam agere detrectet, excommunicatio tali non erit medicina, sed lethiferum venenum, idque malo suo, ac contra intentionem Ecclesiae, quae quamvis illum ad tempus privet suffragiis et precibus fidelium, salutem tamen illius ardenter desiderat, hancque poenam infligit, ut resipiscat. Ad I. *confirm.* C. A. N. C. Siquis hac in re contingeret abusus, qui tamen facile supponi non debet, refundere illum non oportet in Christum, et Ecclesiam, sed in aliquos Praelatos, ob quorum culpam privari non potest Ecclesia hac potestate tam necessaria ad fideles in officio continendos. Profecto siquid huic adversariorum argumento roboris inesset, sequeretur neque laicis tribunalibus potestatem coactivam temporalem a Deo concessam esse. Ad II. *confirmat.* R. Quamvis Christus in primo suo adventu Medici potissimum partes peregerit, splendidam tamen saepius de impiis vindictam sumpsit in hoc saeculo, ut patet ex eversione Urbis Jesesolymitanae, et Judaeorum per totum or-

bem dispersione etc. Pharisaeorum perfidiam saepius increpuit, ut testantur Evangelia, voluitque refractarios ac rebelles erga Ecclesiam haberi pro ethnicis, et publicanis, atque e sinu Ecclesiae ejici, ut praxis testatur Apostolica.

CCLXVI. *Dices. I.* Excommunicatio vel est inutilis, vel est noxia. Ergo Ecclesia non accepit a Christo potestatem excommunicandi. P. A. Excommunicatio vel destruit meritum excommunicati, vel non destruit? Si destruit; est noxia et abominanda instar peccati: Si non destruit; nullam coram Deo infert vim excommunicato ad mutandam animi sententiam. Ergo est inutilis. *Confirm.* In spiritualibus bonis nemo laeditur, nisi a se ipso. Ergo iis per Ecclesiam privari non potest. R. N. A. Ad *probat.* R. I. Argumentationem illam esse huic persimilem: Vel restituisti ablata, vel non? Si non restituisti; retines aliena: si restituisti; saltem abstulisti aliena. Ergo quidquid respondeas, furtum commisisti. R. II. N. A. vel potius suppositum, quod in excomunicando praesumatur meritum. Ergo per excommunicationem tolli nequit quod non praecessit: neque relinqui potest instar Entis positivi non Ens, quod in rerum natura non existit. Atque hic loquimur de justa excommunicatione, qualis ordinarie supponi debet, si ab Ecclesiae Praelatis feratur. Ad *confirm.* D. A. Nemo laeditur nisi a se ipso, hoc est, nisi voluntarie causam dederit, C. A. Nisi ipse consentiat, et se ipsum velit privare bonis spiritualibus, N. A, et D. C. Ergo per Ecclesiam non potest privari bonis pure internis, qualis est fides, C. C. Bonis spiritualibus exterioribus, nempe suffragiis et orationibus fidelium, N. C.

CCLXVII. *Dices II.* Ecclesia non potest cogere

voluntatem, quae est potentia libera. Ergo non habet potestatem coactivam. R. I. Neque respublica politica potest cogere voluntatem. Ergo neque respublica politica habet potestatem coactivam. R. II. D. A. Ecclesia non potest cogere voluntatem coactione physica, C. A. Coactione morali, quae non tollit libertatem; cum illa actio sit et dicatur voluntaria ac libera, N. A. et Conseq.

CCLXVIII. *Dices III.* Ecclesia saepe implorat erga refractarios auxilium tribunalium laicorum. Ergo ipso facto ostendit se non habere potestatem coactivam. P. C. Ad potestatem coactivam, seu Jurisdictionem requiritur jus gladii. Atqui Ecclesia non habet jus gladii. Ergo non habet jurisdictionem. R. C. A. Ad *probat.* N. M. Jus gladii requiritur ad merum imperium, non vero ad Jurisdictionem, quae in genere spectatat est potestas per actum externum coercendi transgressores legum. Utrum vero illa coercitio fieri debeat per censuram Ecclesiasticam, vel per actionem violentam, qua corpora torquentur, non pertinet ad rationem Jurisdictionis genericam, sed ad differentiam specificam Jurisdictionis Ecclesiasticae, et Civilis. Quare Jurisdictio Ecclesiastica est vere ac proprie dicta Jurisdictio, quia Ecclesia per se gladio spirituali in refractarios animadvertit, estque longe amplior saeculari et politica; Reges enim et Imperatores eos quos patria pellunt, non toto orbe exules et extorres reddunt. Contra Oecumenicis Conciliis, Nicaeno praeeunte, sic statuentibus, excommunicatus ab uno Episcopo in communionem fidelium non recipitur ab aliis Catholici orbis Episcopis, nisi necessitate urgente, et praestita cautione, quod Ecclesiae sit satisfacturus. Vide *Eusebium Amort* in Vindiciis Jurisdictionis Ecclesiasticae.

CCLXIX. *Objicitur IV.* contra III. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Invocatio brachii saecularis adversus refractarios est contraria Evangelio. Ergo P. A. I. Christus *Matth.* Cap. XVIII. eos qui Ecclesiam non audierint, jussit haberi pro ethnicis et publicanis, non autem ut gravi poena afficiantur a tribunali laico. II. Lucae Cap. IX. Apostolis cupientibus ignem vocare de coelo super Samariam Christus ait: *Nescitis, cujus spiritus estis.* III. Matth. Cap. XIII. dicitur: *Sinite utraque crescere usque ad messem. — — Bonum semen hi sunt filii regni. Zizania autem, filii sunt nequam.* IV. Joan. Cap. XVIII. Christus ait Petro: *Mitte gladium tuum in vaginam. Confirm.* I. Apostoli nunquam brachium saeculare adversus refractarios implorarunt. *Confirm.* II. I. ad Cor. Cap. XI. ait Apostolus: *Nam oportet et haereses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant.* R. N. A. Ad. I. R. Christus l. c. nec praecipit, nec prohibet refractarios puniri: in veteri autem Testamento Deuteron. XVIII. Deus praeceperat falsos prophetas interfici. Et Deuter. Cap. XVII. dicitur: *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino, et decreto judicis, morietur homo ille.* Ad II. Samaritae non erant Christiani, et ideo compellendi non erant ab Apostolis: At vero refractarii, per baptismum in Ecclesiam ingressi, sunt subditi Ecclesiae. Praeterea Jacobus et Joannes non tam zelo animarum, quam amore vindictae ignem de coelo mitti volebant: Ecclesia vero zelo animarum, quas perduelles haeretici pervertunt, eos persequitur, ut ipsi ad agnitionem plenam veritatis perveniant, aut saltem moriendo prosint qui non profuerunt vivendo. Ad III. R. Nomine zizaniorum non tam haereticos, quam malos ho-

mines venire, ibique a Christo prohiberi tantum, ne boni omnes malos ubique conentur exstirpare; quia id fieri non posset sine detrimento bonorum, cum aliqui mali vel non sint satis noti, vel bonis quandoque fortiores. Quare parabola illa solum docet, nunquam futurum ad finem usque saeculorum, ut omnes mali eradicentur. Ad IV. Petrus privata authoritate gladio usus fuit, ideoque Christus noluit illum precipiti impetu extra vocationis suae metam ruere, aut hanc infamiam apud Judaeos subire, quasi pro Evangelii ministris sicarios aleret. Ad I. *confirm.* N. C. Primis Ecclesiae saeculis Imperatores persequebantur Christianos; ideoque Apostoli, et Ecclesiae Praelati non poterant ad illos confugere, tanquam fidei protectores. Ad II. *confirm.* N. C. Verbis illis Apostolus non praecipit ut haereses seminemus, vel foveamus; sed docet, posita nequitia diaboli, natura hominis ad malum prona, atque insuper accedente divina permissione, multas haereses esse suscitandas.

CCLXX. *Objicitur V.* Ratio. Fides est donum Dei. Ergo nemo ad eam compelli potest. II. Fides est libera. Ergo. R. Ad I. D. A. Fides est donum Dei, ita tamen ut simul sit etiam actus liberi arbitrii, a Deo moti et excitati ad credendum, C. A. Aliter, N. A. et Conseq. Etiam castitas et continentia sunt donum Dei; nihilo tamen minus adulteri et fornicatores jure puniri possunt. Ad II. D. A. Fides est libera, id est, nullus necessitate tollente liberum arbitrium adigitur ad credendum, C. A. Nullus obligatur ad credendum, N. A. Quemadmodum puniuntur qui peccata committunt, quamvis ipsis liberum fuerit ea perpetrare vel omittere: ita etiam poena digni sunt, qui contra praeceptum Domini non credunt, licet liberi sint libertate indifferentiae ad credendum vel non credendum.

CCLXXI. *Objicitur VI.* Paritas. Ecclesia tolerat Judaeos, neque contra illos invocat auxilium brachii saecularis ob eorum pertinaciam in suis superstionibus. Ergo multo magis tolerare deberet haereticos, et excommunicatos. R. C. A. N. C. Disparitas est, quia Judaei non sunt subditi Ecclesiae, neque ordinarie fideles pervertere nituntur. Contra haeretici, quamvis sint extra Ecclesiam, a qua se turpiter separarunt, sunt subditi Ecclesiae, quam per baptismum ingressi sunt, et fideles veneno suo inficere conantur.

CCLXXII. *Objicitur VII.* Crudelitas. Si non Evangelio, saltem mansuetudini Ecclesiae repugnat invocare contra haereticos et excommunicatos auxilium brachii saecularis, eosque saltem indirecte, et per alios, innumeris malis, et saepe etiam morte afficere. *Confirm.* I. *S. Martinus* Turonensis saeculo IV. graviter redarguit Idacium et Ithacium Hispaniae Episcopos, quod mortem Priscilliani apud Maximum Imperii usurpatorem procurassent, ut refert *Sulpitius Severus* Lib. II. Hist. Sacrae. *Confirm.* II. Experientia ostendit, poenis etiam temporalibus parum profici apud haereticos. Ergo. R. N. A. Ecclesia crudelis foret, si lupis magis quam ovibus parceret. Audiendus hac de re *Augustinus*, qui Epist. CLXXXV. alias L. Cap. VIII. ad Bonifacium scribit, Ecclesiam non velle quidem haereticum occidi; tamen sicut domus David non potuit habere pacem, nisi Absalon extingueretur, et David pace regni moerorem mortis filii consolatus est; sic cum ex legibus Imperatorum contra haereticos sequitur aliquorum mors, *Ecclesia dolorem materni cordis lenit ac sanat tantorum liberatione populorum.* Et S. Leo M. Epist. XCIII. ad Thuribium: *Etsi Sacerdotali contenta*

judicio (Ecclesia) *cruentas refugit ultiones, severis tamen Christianorum Principum constitutionibus adjuvatur, dum ad spirituale non nunquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium.* Ad I. *confirm.* R. Episcopi illi digni erant reprehensione I., quia causam Ecclesiasticam ad Imperatorem detulerunt, admissa appellatione Priscilliani ad Caesarem. II. Quia ipsi illi Episcopi officium accusatoris in causa sanguinis assumpserunt. Ad II. *confirm.* Resp. et noxiam lenitatem apud obstinatos, et nimium rigorem obesse, quo magis exasperari solent refractarii. Experientia ostendit moderatis poenis saepe obstinatos expugnari, et obsequium ab illis elici. Ipse S. Augustinus testatur Epist. XCIII. alias XLVIII. ad Vincentium, plurimos haereticos aetate sua, metu poenarum, ad Ecclesiam Catholicam rediisse.

CONTROVERSIA VIII.

AN ECCLESIA POSSIT HABERE DOMINIUM TEMPORALE, SEU POTESTATEM POLITICAM?

Contra Arnaldistas, Waldenses, Wickleffitas, Protestantes.

CCLXXIII.

A*rnaldus Brixiensis*, Petri Abailardi discipulus, teste *Ottone Frisingensi* Lib. I. de Gestis Friderici, Cap. XX., docuit saeculo XII. nec Clericos proprietatem, nec Episcopos regalia, nec Monachos possessiones ha-

bentes aliqua ratione salvari posse: cuncta haec Principis esse, et ab ejus beneficentia in usum tantum laicorum cedere oportere. Eadem fuit doctrina Pauperum de Lugduno, sive Waldensium, et Joannis Wickleffi, cujus Articuli a Constantiensi Concilio damnati sic habent. XXXVI. *Papa cum omnibus Clericis suis possessiones habentibus, sunt haeretici, eoquod possessiones habeant, et consentientes eis, omnes videlicet Saeculares Domini, et caeteri laici.* XXXIX. *Imperator, et Domini Saeculares sunt seducti a diabolo: ut Ecclesiam ditarent bonis temporalibus.* Eundem renovarunt errorem Joannes Hus, Lutherus, et Calvinus, eorumque sectatores, Melanchton, Goldastus, Coccejus, Struvius, Vitriarius, Pfeffingerus, Puffendorffius, Jägerus, aliique Potestantes, quibus praepingues Germaniae Episcopatus et Abbatiae orexin excitant, et salivam movent. In praesenti controversia non disceptabimus de jure, quo Romanus Pontifex, caeterique Episcopi et Praelati, bona temporalia, regiones et urbes possident; res enim infiniti laboris esset, forentque tabularia omnia Principum Ecclesiasticorum excutienda: sed hoc unum examinabitur, an fas sit Ecclesiae possidere bona temporalia, sive an Politica potestas cum Ecclesiastica conjungi possit, salvis Evangelii, et conscientiae legibus.

CCLXXIV. *Conclusio.* Ecclesia valide ac licite habere potest dominium temporale, atque exercere potestatem politicam, a Principibus sibi concessam. Prob. I. negative. Ecclesia nec jure naturali, nec divino positivo redditur incapax dominii temporalis. Ergo. II. positive. Potestas Ecclesiastica stare potest in eodem subjecto cum potestate politica. Ergo. P. A. Ex una parte

utraque potestas tam politica quam Ecclesiastica est a Deo, atque utraque est laude digna: ex altera parte utraque haec potestas in eadem persona saepius conjuncta fuit tam in lege naturae quam scripta, ut patet in Melchisedech Sacerdote Altissimi et Rege Salem, in Abrahamo, Jacobo, Moyse, Heli, Juda Matathiae filio, Jonatha, Simone Macchabaeis. Ergo utraque potestas in eadem persona dari potest. *Confirm.* Idem Rex praeesse potest armatis et togatis: Unus Rex gubernare potest duo regna. Ergo etiam eadem persona habere potest dominium spirituale et temporale.

OBJECTIONES.

CCLXXV. *Objicitur I.* Authoritas Scripturarum. Ecclesia est jure divino positivo incapax dominii temporalis. Ergo. P. A. I. Josue Cap. XIII. dicitur: *Tribui autem Levi non dedit possessionem: quia Dominus Deus Israel ipse possessio ejus, ut locutus est illi.* Ergo neque Ecclesia, quae Tribui Levi in Sacerdotio successit, debet habere possessionem. II. Lucae Cap. XXII. ait Christus Apostolis: *Reges gentium dominantur eorum. — — Vos autem non sic.* III. Matth. X. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. Non peram in via, neque duas tunicas.* IV. Matth. Cap. VI. *Nolite solliciti esse in crastinum.* V. II. ad Timoth. Cap. II. *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus.* VI. I. ad Timoth. Cap. VI. *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum.*

et perditionem. VII. Act. Cap. VI. dixerunt Apostoli: *Non est aequum nos derelinquere Verbum Dei, et ministrare mensis.* R. N. A. Ad I. Tribui Levi non assignata fuit pars propria et separata a reliquis Tribubus, ut omnes Tribus Levitas permixtos haberent, a quibus legem Dei docerentur; praecepit tamen Deus, ut singulae Tribus de suis possessionibus darent urbes, suburbana, et decimas. Praeterea Heli, et Macchabaei fuerunt de Tribu Levi, summi Sacerdotes simul et Principes populi. Ad II. Christus non qualecunque regimen ibi prohibet, sed violentum et tyrannicum. Ad III. Juxta Chrysostomum, aliosque Patres, Apostoli eo tantum tempore praecepto illo obligabantur, quo ante passionem Christi missi sunt in vicina loca ad praedicandum, ut sic excitarentur ad fiduciam in solo Dei auxilio ponendam: praecipue cum tunc temporis Apostoli neque pauperum, neque Ecclesiarum curam haberent. Post mortem Christi vero exeuntes in universum orbem non timuerunt quandoque accipere stipendia temporalia, quemadmodum in Actis Apostolorum legimus Paulum ad Gentiles se contulisse, accepta ab Ecclesiis pecunia pro sua sustentatione. Ad IV. illo textu non omnis damnatur rerum temporalium cura, sed nimia tantum sollicitudo. Certe Judas Apostolici Collegii procurator loculos habuit pro futuris et praesentibus necessitatibus: et Paulus jussit in Sabbatho collectas fieri, indigentibus alio tempore distribuendas. Ad V. R. I. Quomodo igitur Episcopi Protestantium in Anglia et Suecia Principes esse possunt Ecclesiastici simul et Politici? An utraque potestas conjungi potest in Episcopo Protestantico, minime autem in Catholico? R. II. Apostolum non vetare, ne quis negotia tractet sae-

cularia debita cum moderatione, praecipue si major Dei gloria, aut Ecclesiae utilitas id exigat; sed nimiam sollicitudinem a Deo distrahentem excludere. Ad VI. Eadem datur responsio, quae prius. Praeterea Apostolus l. c. de omnibus generatim Christianis loquitur. Cur ergo Protestantes solis necessariis contenti, se divitiis non abdicant? Ad VII. N. C. Apostoli pro tanta fidelium multitudine pauci erant, curaque temporalium impediebantur a praedicatione Verbi Dei: quae ratio non pugnat pro Episcopis, qui multos habent officiales et ministros. Dein Diaconi ab Apostolis constituti, qui curam pauperum gerebant, certe personae erant Ecclesiasticae, divino cultui mancipatae.

CCLXXVI. *Dices I.* Dignitates saeculares, magnaeque divitiae magnas requirunt curas a Dei servitio alienas. Ergo illae sunt Ecclesiasticis personis impedimento. *Confirm.* Tonsurandus dicit: *Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei: tu es qui restitues haereditatem meam mihi.* Ergo Ecclesiastici habere non possunt dominium temporale, siquidem verbis suis stare velint. R. D. A. Requirunt curas a Dei servitio alienas, si modo debito secundum Christianae prudentiae leges ad Dei servitium dirigantur, N. A. Si modo indebito, ex noxia divitiarum cupiditate, C. A. N. C. Ad *confirm.* N. C. Tonsurandus per illa verba vult tantum specialiter divino cultui se mancipare, spemque suam non tam in bonis fortunae ponere, quam in Deo hujus fiduciae remuneratore.

CCLXXVII. *Dices II.* Saltem saecularis potestas Ecclesiasticae conjuncta repugnat exemplo Christi et Apostolorum. Ergo non convenit illa Ecclesiae Praelatis, qui speciali modo repraesentant Christum et Apo-

stolos. *Confirm.* Evangelium nos docet, paupertatem praeponendam esse divitiis. Ergo Praelati deberent hanc perfectionem Evangelicam sectari. R. I. Etiam matrimonium repugnat exemplo Christi. Ergo Praeconibus Protestanticis, qui speciali modo Christum repraesentare deberent, cum se Ministros Ecclesiae dicant, ineundum non foret matrimonium. R. II. D. A. Repugnat exemplo Christi, ita tamen ut hoc Christi exemplum nullum importet praeceptum, C. A. Ut importet praeceptum, N. A. Ad *confirm.* C. A. D. C. Ergo Praelati deberent hanc perfectionem Evangelicam sectari, si sibi solis viverent, C. C. Si etiam subjecto gregi vivant, N. C. Experientia ostendit, saepe impossibile esse, ut is praeclare agat, Deique cultum amplificet, qui facultatibus destituitur. Quare non eleganter minus quam vere scripsit Aeneas Sylvius, postea Pius II. in responsione ad Epistolam Martini Mejeri Cancellarii Moguntini. *Quanto potentior haec Sedes* (Romana) *erit, tanto Moguntinus tuus tutior erit, tanto caeteri Episcopi liberiores, tanto haeretici depressiores habebuntur. — — — Tu ergo, qui exemplo primitivae Ecclesiae pauper Sacerdotium optas, debes plebem cum eo pauperem velle, et in utroque statu pristinos imitari mores, ne claudicare videaris. Aut igitur et Clerum et populum cum majoribus mendicare jube, aut cum saeculo nostro divitem utrumque esse sine.* Vide Ignatium Schwarz in Collegiis Historicis, Parte VII. Quaest. I.

CCLXXVIII. *Objicitur II.* Authoritas Patrum. Ipsi Patres agnoverunt politicam potestatem male conjungi cum Ecclesiastica. Ergo. P. A. S. Bernardus Lib. II. de Consider. ad Eugenium III. Papam scribit: *Apostolis interdicitur dominatus. I. ergo tu, et tibi u-*

surpare aude aut dominans Apostolatum, aut Apostolus dominatum : forma Apostolica haec est, interdicitur dominatio, indicitur ministratio. II. S. Nicolaus I. Epist. ad Michaelem Imp. CPolitanum affirmat, fuisse quidem ante Christi adventum quosdam Reges simul atque Pontifices; at Christum verum Regem atque Pontificem haec disjunxisse. *Cum ad verum*, inquit, *ventum est, ultra sibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit; nec Pontifex nomen Imperatorium usurpavit.* R. N. A. Ad I. D. A. Et his verbis indicat, Pontificem qua talem secundum id quod habet ex institutione Christi, non debere ovibus dominari, sed eas pascere, C. A. Pontificem, ut est Princeps politicus, N. A. Distinctio desumitur ex contextu; nam paulo ante dixerat S. Doctor: *Esto, ut alia quacunque ratione haec tibi vendices, sed non Apostolico jure: nec enim ille dari quod non habuit, potuit.* Illud praeterea certum est, quod S. Bernardus gravissimis verbis, ut par erat, in Arnaldum Brixiensem invectus sit. Cumque Eugenius III. excitata ab Arnaldistis seditione Roma pulsus fuisset, Romanos data Epistola increpuit, et Conradum Imperatorem hortari non destitit, ut Pontificem in integrum restitueret, compressa rebellium factione, qui politicum illius dominatum excusserant. Ad II. D. A. Et his verbis Nicolaus indicat, Pontifici non competere imperium totius orbis, C. A. Non competere imperium alicujus provinciae, subdist. Ratione Pontificatus, C. Ex alia ratione aut justo titulo, v. g. emptionis, aut donationis etc. N. A. Eo tempore, quo haec scripsit S. Nicolaus, Romana Ecclesia jam diu erat in pacifica possessione Exarchatus Ravennatensis, Ducatus Romani, aliarumque provinciarum, quarum imperio se

nunquam Nicolaus abdicavit. Quod si dicta Patrum aut Pontificum objiciantur saeculo VIII. anteriorum, ex illis nihil evincitur; cum ante saeculum VIII. nec Romana Sedes, nec aliqua alia Ecclesia in Galliis aut Germania temporale dominium obtinuerit.

CCLXXIX. *Objicitur III.* Ratio. Politica potestàs Ecclesiasticae conjuncta confusionem parit regnorum, alitque discordias laicos inter et Ecclesiasticos Ergo jure naturali Ecclesia est incapax dominii politici. P. A. Multa exorta sunt bella, eaque gravissima ob dominium temporale Episcoporum sub Henrico IV. et V. aliisque Imperatoribus. Ergo. *Confirm.* Ipsi Pontifices Romani agnoverunt, temporale dominium Episcoporum plus afferre Reipublicae nocumenti, quam commodi. Ergo. P. A. Saeculo XII. *Paschalis II.* ob cruenta dissidia Sacerdotium inter et Imperium Henrico V. Imperatori resignavit omnium Ecclesiarum regalia, ea lege, ut Imperatores in Episcopatuum investituras sese amplius non immitterent. Unde Episcopales reditus in posterum solis constare oblationibus, et privatis haereditatibus voluit, addita ratione: *Oportet Episcopos saecularibus curis expeditos, curam suorum agere populorum.* Ergo. R. I. Retorquendo in Principes Protestantes, qui simul habent curam Sacrorum. R. II. D. A. Parit confusionem, si cum confusione utraque potestas exerceatur, C. Secus, N. A. Ad *probat.* D. A. Multa exorta sunt bella per se, et ex natura utriusque potestatis conjunctae, N. A. Per accidens, et saepe ex invidia et cupiditate laicorum, C. A. N. C. Ut aliquid jure naturae prohibitum censeatur, non sufficit, quod ex eo per accidens sequantur mala etiam gravissima: alias etiam potestas politica in Principibus laicis esset jure naturae

prohibita, quod ex abusu hujus potestatis plurima mala in Republica saepe sint exorta: sed requiritur, ut ex natura illius rei, et per se ea mala sequantur. Ad *confirm.* N. A. Ad *probat.* D. A. Resignavit regalia, tamquam minus proficua Ecclesiae et Reipublicae per se, N. A. Tamquam minus proficua in illis temporum circumstantiis, ob continuas rixas et dissidia, C. A. N. C.

CCLXXX. *Dices I.* Saltem consultius foret Reipublicae, si dominium temporale Ecclesiasticorum pertineret ad Principes Saeculares. Ergo. P. A. his rationibus. I. Vix fieri potest, ut quis duabus rebus administratu difficillimis par sit. II. Saeculares, relicturi ditionem liberis suis, eam quam florentissimam reddere satagunt: contra Praelati, cum haeredem non relinquant, provincias magis expilant, quam ornant. III. Saeculares accedunt ad rempublicam ab incunabulis jam instituti; quod dici non potest de Ecclesiasticis. R. I. Etiam consultius Reipublicae foret, si divitiae penes probos tantummodo essent, qui eis ad Reipublicae emolumentum utuntur, quam penes improbos ad fovenda vitia. Ergo jure naturae licitum erit improbos divitiis suis spoliare? R. II. N. A. Ad I. rationem. R. N. A. Eo modo pares sunt Praelati Catholici Reipublicae sacrae et civili gubernandae, quo Protestantes Principes, qui plures Episcopatus Catholicis ereptos possident: vel alii Reges, qui amplissimis provinciis, pluribusque regnis dominantur. Ad II. et III. rationem R. Quandoque etiam fieri, ut Principes Saeculares vel ingenio non valeant ad gubernandam Rempublicam, vel parum voluntatis ad illam afferant, remque publicam continuis exactionibus exhauriant. Illud vero frequentissime accidit, ut Ecclesiastici Principes et ingenio, et mansue-

tudine, et subditis benefaciendi studio plurimum se commendent.

CCLXXXI. *Dices II.* Ex divitiis Episcoporum innumera mala oriuntur, avaritia, luxuria, ac millena scandala, quae Germaniam inundarunt. Ergo non tantum Reipublicae, sed etiam Ecclesiae consultius foret, si Ecclesiastici nullum haberent dominium temporale. R. I. quaerendo, an non ejusmodi scandala saepe oriantur ex divitiis laicorum? R. II. D. A. Oriuntur per se, N. A. Per accidens, et respectu paucorum Praelatorum, C. A. N. C. Imperatores et Principes bona temporalia Ecclesiis liberaliter concessere ad promovendum Dei cultum, ad alendos pauperes, ad sublevandas Ecclesiarum necessitates. Si vero Praelati divitiis aliter uterentur, (qui tamen certe pauci sunt, si cum tot aliis praestantissimis, et non de Imperio minus quam de Ecclesia optime meritis Episcopis conferantur), fatemur eos contra Canones et aequitatem agere, neque fundatorum mentem implere. Non enim inter consanguineos haereditas Christi dividenda est, aut in voluptatibus et deliciis consumenda. Quamquam vero aliqua per accidens oriantur mala, certum tamen est, ex conjunctione hac politicae potestatis cum Ecclesiastica innumera bona oriri, quae Dominicus Soto insignis Theologus, Tract. de Justitia et Jure, Lib. X. Quaest. IV. Artic. V. describit: *Negari non potest, quin Ecclesiarum divitiae multa spiritualibus rebus pericula conflent: sed forte majora crearet paupertas, nisi, quod impossibile, Sacerdotes et populi omnes Sancti essent. Experimur enim, ubi Episcopi pauperes sunt, in nullo haberi pretio, et mendicantes Sacerdotes, praeter eos qui intra claustra nutriuntur, vilipendio haberi, et sic omnia Ecclesiasti-*

ca pessumdari. Et revera Antististes, nisi ullam etiam saecularem habeant potestatem, vix possent vitia castigare. Immo etiam in Germania, nisi Catholici Ecclesiarum Praesules potentatibus saecularibus subnixi essent, omnia jam essent ab Acatholicis obtrita.

O. A. M. D. G.

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM

QUAE

IN TRACTATUS III. DE ECCLESIA PARTE PRIORE CONTINENTUR.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

L

N

O

P

Q

R

S

VV

X

Z

O. D. M. D. G.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Pat. Sac. Palatii Apostolici Magistro.

Cand. M. Frattini Arch. Philip. Vicesg.

IMPRIMATUR

Fr. Philippus Anfossi Sacri Palatii Apost. Magist.